LB XVIII 302441

Cs 5268 compl 9 k –

Amort, Eus.

R 4° 395.

32

II H 76 fra

R. D. EUSEBII AMORT

DISQUISITIONES DOGMATICÆ DE CONTROVERSIIS

IN THEOLOGIA MORALI INSIGNIBUS.

R. D. EUSEBII AMORT

DISQUISITIONES

DOGMATICÆ

DE CONTROVERSIIS

IN THEOLOGIA MORALI INSIGNIBUS

DISQUISITIONES
DOGMATICÆ
DE CONTROVERSIIS
IN THEOLOGIA MORALI INSIGNIBUS.

I. De actu morali indifferente in individuo.
II. De petitione debiti conjugalis, quo tempore uxor est gravida.
III. De copulatione viduæ ex defuncto marito gravidæ.
IV. De Amore Dei, an possit aut debeat excludere desiderium beatitudinis propriæ?
V. De Contractu censuali utrinque redimibili, an per legem vel consuetudinem possit fieri licitus sine particulari titulo?
VI. De obligatione ad unam refectionem in casu dispensationis generalis ad esum carnium in Quadragesima.

AUTHORE

D. EUSEBIO AMORT
CANONICO REGULARI POLLINGANO,

Eminentissimi Cardinalis LERCARI, nec non Serenissimi ac Reverendissimi D. D. JOSEPHI Episcopi Augustani S. R. I. Principis Darmstadiani, Landgravii Hassiæ &c. &c. Theologo.

ALMA COLLEGE 239.04 LIBRARY Am68 Alma California

VENETIIS,
MDCCXLV.

APUD JOANNEM BAPTISTAM RECURTI.
SUPERIORUM PERMISSU AC PRIVILEGIO.

42822

Digitized by the Internet Archive
in 2026 with funding from
Graduate Theological Union

https://archive.org/details/disquisitionesdo00amor

A D

LECTOREM.

Uæſtio, an licitus ſit uſus matrimonii cauſa vitandæ incontinentiæ, præſertim cum uxore gravida? magnam habet connexionem cum ea controverſia; an detur actus indifferens in individuo? Itaque ad præcludendum adverſariis circa illud uſus conjugalis dogma omne effugium, neceſſum habui, etiam præſentem exactius diſcutere materiam. Vale, & conanti reducere ad Deum omnia fave.

NOI

NOI RIFORMATORI
Dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di Reviſione, ed Approvazione del P. *Fra Paolo Tommaſo Manuelli Inquiſitore del Sant' Offizio di Venezia* nel Libro intitolato: *Diſquiſitiones Dogmaticæ de Controverſiis in Theologia Morali inſignibus &c. Authore Euſebio Amort Canonico Regulari &c.* non v'eſſer cos'alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per atteſtato del Segretario noſtro, niente contro Principi, e buoni coſtumi, concediamo Licenza a *Giambatiſta Recurti Stampatore di Venezia*, che poſſa eſſere ſtampato, oſſervando gli ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite Copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 22. Giugno 1744.

(Alviſe Mocenigo V. Riform.
(Marco Foſcarini Cav. Proc. Riform.

Regiſtrato in Libro a car. 8. al num. 58.

Michel Angelo Marino Segret.

Adi primo Settembre 1745.
Licenziato dal Magiſtrato Eccellentiſſimo contro la Beſtemmia.

Franceſco Gadaldini Segret.

DEMON-

DEMONSTRATIO
DOGMATICA,

Non dari actum indifferentem in individuo,
per se talem

Ex traditione perpetua Ecclesiæ, & ex principiis rationis ab Authore deducta.

R. D. EUSEBII AMORT
DISQUISITIONES
DOGMATICÆ
De Controverſiis in Theologia Morali inſignibus.

QUÆSTIO DOGMATICA

An poſſit dari actus moralis indifferens in individuo?

NOTANDUM 1. Quæſtionem eſſe de *actu morali*, qui videlicet ponitur deliberate cum ſufficiente advertentia rationis ad honeſtatem vel inhoneſtatem actionis. Non enim eſt quæſtio de actionibus indeliberatis, quales ſunt v. g. *ex conſuetudine fricare barbam, levare manum &c.* Nam tales actiones indeliberatæ, niſi ſint liberæ ſaltem in ſua cauſa, nec ſunt laude vel vituperio, nec præmio vel pœna dignæ.

Notandum 2. Varias eſſe in hac re ſententias.

Prima docet, nullum dari actum indifferentem in individuo, ſed omnem actionem non ſolum eſſe ordinandam ad finem naturalem honeſtum, ſed etiam ad finem ſupernaturalem, puta ad gloriam Dei, vel ad ſalutem propriam æternam. Hæc doctrina non eſt ſolum D. Thomæ 1. 2. 18. 1. C. & omnium Thomiſtarum vix uno vel altero excepto, ſed etiam inſignium Theologorum ex Societate Jeſu, v. g. Suarezii, Valentiæ, Bellarmini, Azorii, Tanneri, Eſparzæ, Mauri, Haunoldi, & aliorum &c.

Secunda ſententia docet, omnem actionem deliberatam eſſe quidem ordinandam ad finem naturalem honeſtum, diſtinctum ab actione, & a voluptate

vel delectatione, quæ cum actione percipitur; non tamen dari obligationem ordinandi quamlibet actionem ad finem supernaturalem: Hoc non obstante quemlibet actum rationi conformem, atque ordinatum ad finem naturalem a natura intentum coronari a Deo per præmium supernaturale, si ponatur ab homine justo, in gratia sanctificante constituto, qui semetipsum & omnia sua ordinaverit ad Deum. Censent enim Patroni hujus sententiæ, congruere bonitati divinæ, dignificare omnes actiones rationales hominis justi per gratiam sanctificantem in ordine ad præmium supernaturale. Hujus est sententiæ Cardinalis Pallavicinus, & P. Ulloa, ambo ex Societate Jesu.

Tertia sententia docet, non quidem dari actum indifferentem *per se* talem; dari tamen actum indifferentem *per accidens*. Actum indifferentem *per se* talem vocant, qui ponitur cum reflexione ad Deum, comparando videlicet actionem ad Deum, tanquam regulam morum permittentem, præcipientem vel prohibentem. Actum autem indifferentem *per accidens* vocant, qui ponitur sine tali reflexione ad Deum, aut prout alii authores recentiores explicant, qui ponitur cum reflexione ad Deum, attamen cum ignorantia invincibili obligationis ordinandi quamvis actionem ad Deum, eo quod vel nihil audierit de hac obligatione; vel quod positive judicet, non dari hanc obligationem, vel quod putet, sententiam negativam esse probabilem, & licitum esse, se conformare opinioni probabili. Patroni hujus tertiæ sententiæ, in quantum non admittit actum indifferentem *per se* talem, non solum sunt authores primæ sententiæ, sed etiam Alensis, & D. Bonaventura, prout manifestum est legenti eorum textus objectione prima referendos. Eandem tenent plerique Theologi, prout testatur A. R. P. Petrus Pfister Soc. Jesu in dictatis Theologicis Dilingæ anno 1708. his verbis: *Per se nullus datur actus moralis indifferens in individuo, saltem de facto. Ita communior & verior Theologorum contra aliquos Neotericos.*

Quarta sententia admittit actum indifferentem etiam *per se* talem, in sensu explicato. Censent enim Patroni hujus sententiæ, hominem, dum cognoscit, actionem sibi a Deo esse permissam, & ob hanc permissionem divinam operatur sine respectu ad altiorem finem, nec mereri nec demereri. Hujus sententiæ sunt *aliqui Neoterici*; ut loquitur P. Pfister, qui tamen ab anno 1708. increverunt in Bavaria.

Quinta sententia docet, ita dari actum indifferentem *per se* talem, ut ne quidem detur obligatio, actionem ordinandi ad finem naturalem positive honestum, distinctum a voluptate vel oblectatione, quæ in actione percipitur, dummodo illa voluptas vel oblectatio non habeat conjunctam aliam deordinationem, aut periculum propinquum peccati. Itaque authores hujus sententiæ docent, licitum esse agere ex hoc solo motivo: *quia placet*, *quia delectat*, non ordinando actionem ad aliam utilitatem corporis vel animæ, consequenter potero audire musicam, videre pulchra &c. non ordinando ista omnia ad sustentationem corporis, vel refocillationem fatigatæ mentis, sed præcise, *quia delectat*, *quia placet*. Possem nominare aliquos hujus sententiæ patronos, qui eam publice dictarunt in celebri Universitate, quorum ne existimer sinistre interpretari mentem, adscribo ipsa illorum verba. Itaque Scripta Theologica anno 1732. dictata in celebri Universitate Germaniæ sic habent:

„ *Dico* 2. Per accidens dari potest „ actus humanus deliberatus indifferens „ in individuo. Ita plerique Theologi „ contra Gonet, Esparza, Pallavicinum „ & paucos alios. Dixi autem, *per ac-* „ *cidens*, id est, ex suppositione alicu- „ jus casus extraordinarii, v. g. ignoran- „ tiæ. *Probatur conclusio*. Potest quis „ bona fide existimare & judicare seu „ vere vel ex errore per ignorantiam *in-* „ *vincibilem*, non dari ullam obligatio- „ nem referendi omnes suos actus deli-

„ be-

„ beratos ad finem poſitive honeſtum. „ Atqui ſuppoſito tali judicio poteſt aliquis ponere actum indifferentem in „ individuo per accidens. Ergo. *Major* „ negari non poteſt, quia utique poteſt „ aliquis judicare id, quod *tanquam certum* judicarunt S. Bonaventura, Alenſis, Scotus, & alii viri plurimi & doctiſſimi, qui *omnes conſtantiſſime* aſſerunt, non dari obligationem illam „ referendi omnes actus ad finem poſitive honeſtum.

„ *Dico* 3. Etiam per ſe, & extra caſum ignorantiæ vel ſuppoſitionis cujuſdam dari poteſt actus deliberatus in „ individuo indifferens. Dixi primo, „ *per ſe*, quatenus nimirum poteſt aliquis deliberate ambulare, legere, fricare caput, barbam &c. vel ex hoc „ motivo, *quia licet*, vel præſcindendo „ ab hoc, & intendendo motivum aliud „ indifferens, v. g. naturæ commoditatem, ſic ut actio ipſius neque ſit *poſitive honeſta*, ſeu *intentiva honeſtatis*, „ neque etiam peccaminoſa. *Probatur Concluſio*. Si quis v. g. per feneſtras „ in campum proſpicit præciſe ut animum & oculos recreet ſine honeſtate „ alia poſitive intenta, pauciſſimi agnoſcunt vel apprehendunt rationem peccati venialis. Ergo.

„ *Objicitur* 9. Stante hac ſententia „ non peccabit, ſed aget indifferenter „ ille, qui junctus matrimonio intendit „ ſolam voluptatem in matrimonio permiſſam, eamque non ordinat ulterius „ ad fines honeſtos matrimonii. Atqui „ hoc eſt damnatum ab Innocentio XI. „ propoſ. 9.

„ 2. Vi hujus ſententiæ licebit comedere & bibere uſque ad ſatietatem ex „ ſolo fine delectabili, poteritque appetitus naturalis licite frui ſuis actibus. „ Hoc rurſum eſt damnatum ab Innocentio XI. propoſ. 8.

„ 3. Saltem vacabit culpa comedere „ & bibere non ad ſatietatem, ſed moderate & mediocriter ob ſolam delectationem. Item licebit intendere aliquam delectationem ſpiritualem, laudem, vel honorem ex re aliqua, tanquam bonum delectabile. Sed etiam „ hæc videntur contraria menti Patrum, „ præſertim Divi Thomæ, qui 2. 2. q. „ 141. ar. 6. ait: *Omnia delectabilia*, „ *quæ in uſum hominis veniunt, ordinantur ad aliquam hujus vitæ neceſſitatem tanquam ad finem*.

„ *Reſp. ad* 1. Uſum matrimonii ex „ ſolo motivo delectabilitatis eſſe ſpecialiter prohibitum a Deo; & hanc eſſe „ nimis immodicam & vehementem.

„ *Reſp. ad* 2. Etiam in cibo & potu „ delectabilitatem non poſſe intendi propter ſe: quia ſicut in matrimonio, ita „ & in cibo & potu delectabilitas eſt a „ Deo tantum intenta tanquam medium „ ad alium finem honeſtum, nempe ad „ conſervationem vitæ. Et hoc ideo, „ quia in utraque illa delectabilitate difficile eſt tenere modum. Ex hoc autem, quod in his duabus actionibus „ non liceat ſiſtere in ſola delectabilitate, „ ſed debeat intendi motivum aliud, „ non ſequitur, nec inferri poteſt, quod „ in nulla prorſus actione ſiſti poſſit abſque peccato in ſola delectabilitate, non „ elevando actionem illam ad finem ſublimiorem; quia in aliis actionibus, „ v. g. auditione muſicæ, aſpectu floris, „ ambulatione per hortum vel campum, „ delectabilitas non eſt adeo periculoſa, „ nec ita abſorbens animum, vel rationem a ſupernis abſtrahens, ac terrenis „ affigens, quam delectabilitas, quæ reperitur in actionibus hic objectis.

„ *Reſp. ad* 3. Omiſſa *Majore* inprimis negando *Minorem*. Ad textum D. „ Thomæ *diſtinguo*. Juxta D. Thomam „ omnia delectabilia ordinantur ad aliquam vitæ neceſſitatem potentialiter, „ & in actu primo. *Concedo*. Etiam actualiter, *Subdiſtinguo*. Et hoc neceſſario ſeu ſub culpa, ſi non ita ordinetur. *Nego*. Congruenter tantum & „ non ſemper ſub culpa. *Concedo*.

„ *Reſp.* ſecundo. *Negando* etiam *Majorem*, quoad primum membrum. Eo „ quod delectabilitas in his actionibus „ reperibilis, de quibus fit mentio in utraque propoſitione damnata, a natura ſit intenta præciſe ut medium or-

„ dinandum ulterius, nempe ad conser-
„ vationem speciei vel individui proprii.
„ Quod alterum membrum attinet de
„ delectabilitate spirituali, *distinguo Ma-*
„ *jorem*. Vacabit culpa, intendere de-
„ lectationem aliquam spiritualem, lau-
„ dem, honorem &c. aliquando & cum
„ moderatione. *Concedo*. Semper & il-
„ limitate quovis modo. *Nego*. Quando
„ authores aliter loquuntur, intelligendi
„ sunt de indiscreto & nimio appetitu
„ gustus spiritualis, laudis, & honoris
„ &c. Item de eo, quod fieri solet sæ-
„ pius ac frequentius inter homines.
„ Multo autem frequentius accidit, ut
„ in talibus actionibus excedantur metæ
„ prudentiæ & moderationis.

„ *Objicitur* 10. Omne verbum otio-
„ sum ob solam delectationem prola-
„ tum, & non ad finem positive ho-
„ nestum ordinatum est peccaminosum.
„ Ergo etiam omnis actio non ordina-
„ ta ad finem honestum erit peccami-
„ nosa.

„ 2. Nulla alia explicatio verbi otiosi
„ videtur esse ad mentem Patrum, quam
„ ea, quæ verbum otiosum explicat
„ per defectum ordinationis ad finem
„ honestum juxta Origenem.

„ 3. Si aliter explicetur verbum otio-
„ sum, nullum amplius poterit dari,
„ quod sit proprie otiosum, quia sem-
„ per aderit hic finis loquendi; *quia*
„ *sic placet*, *& delectat*. Hæc juxta
„ Suarium, & revera, est contra sen-
„ tentiam nostram præcipue, quæ fieri
„ potest, instantia.

„ *Resp. ad* 1. Non deesse equidem
„ aliquos, qui negent consequentiam,
„ nec admittant paritatem a verbis ad
„ opera, eo quod verbis sit labi pro-
„ nius, & peccare facilius, quam ope-
„ ribus; adeoque licet non detur actus
„ indifferens verbalis, dicunt tamen
„ posse dari actum indifferentem rea-
„ lem seu in actione aliqua consisten-
„ tem. Interim tamen, cum huic re-
„ sponsioni non videatur adeo firmum
„ subesse firmamentum.

„ *Resp.* 2. cum pluribus aliis *Negan-*
„ *do antecedens*. ad prob. *conc. Majo-*
„ *re*. *Nego Minorem*. Hæc enim defi-
„ nitio: Illud est verbum otiosum,
„ *quod non est ordinatum ad finem po-*
„ *sitive honestum*, est probabilius falsa
„ ex duplici capite. *Primo* quia potest
„ dari verbum otiosum, licet finis sit
„ honestus illud proferendi; ergo illa
„ definitio non convenit omni. *Ante-*
„ *cedens probatur* ex communi sensu,
„ qui judicat eum loqui otiose, qui in
„ eodem sermone vel concione, quam
„ bono fine instituit, sæpius & pluries
„ idem repetit, & sic verba inutiliter
„ multiplicat, ut supra tempus ex na-
„ turali quadam ac superflua loquacitate
„ excurrat. *Secundo*, quia definitio il-
„ la non convenit soli. Posito enim
„ quod aliquis in tempore vel loco, in
„ quo loqui aliunde non est prohibi-
„ tum, dicat alteri: *Hodie est tempe-*
„ *stas*, *pluvia*, non intendendo his ver-
„ bis finem positive honestum, non
„ censetur loqui verbum otiosum.

„ *Ad* 2. *Nego antecedens*. Verba S.
„ Gregorii possunt sumi in sensu mi-
„ nus stricto. Dum enim illud vocat
„ verbum otiosum, quod caret ratione
„ piæ utilitatis, per utilitatem piam
„ non potest intelligere supernaturalem
„ piam utilitatem; neque etiam pieta-
„ tem naturalem in parentes: alias om-
„ ne verbum ad hos fines non dire-
„ ctum, & aliunde non necessarium
„ jam esset otiosum. Ad textum Ori-
„ genis dico, sensum esse hunc, quod
„ illud sit otiosum verbum, quod ne-
„ que mali aliquid addit, neque boni,
„ etiam ad delectationem congruam,
„ non nimiam tamen, & non prohi-
„ bitam. " Hucusque dictata Theo-
logica anno 1732.

Alia vero scripta Theologica ab alio Professore Theologiæ ejusdem Academiæ anno 1736. dictata sic habent:

„ *Quæri potest primo*, an possit dari
„ actus moralis indifferens, seu medius
„ inter peccatum, & actum positive
„ honestum etiam naturaliter, sive ta-
„ lis, qui ne quidem sit peccatum ve-
„ niale, neque etiam *positive honestus*
„ etiam naturaliter, qualis actus natu-
„ rali-

„ raliter honeſtus eſſet, *qui honeſtatem* „ tantum naturalem & naturaliter pro- „ poſitam *ut motivum amplecteretur*.

„ *Secundo quæri poteſt*, an poſſit da- „ ri actus moralis indifferens, ut ſit „ medius inter actum poſitive hone- „ ſtum, & inter *imperfectionem moralem* „ poſitivam. Quæſtionem ſolum primo „ modo propoſitam examinandam ſu- „ ſcipimus.

„ *Dico*. 4. Videtur poſſe dari etiam „ *per ſe* actum moralem in individuo „ indifferentem. Pro noſtra ſententia „ citantur D. Bonaventura, Scotus, „ Alenſis, & Scotiſtæ communiter. „ Cæterum fateor pro oppoſita ſtare et- „ iam magnam authoritatem, pro qua „ citatur D. Thomas, & ut mihi vi- „ detur, merito. S. Thomam ſequun- „ tur Thomiſtæ communiter; Suarez, „ Pallavicinus, Eſparza, Granado, „ Haunoldus, Maurus, Azor, Valen- „ tia, Bellarminus.

„ *Probatur Concluſio*. Poſitiva obli- „ gatio referendi omnes actiones noſtras „ deliberatas ad finem poſitive hone- „ ſtum ex una parte eſt notabiliter dif- „ ficilis & gravis conſcientiis hominum, „ & infirmitati humanæ. Ex altera „ parte non ſatis conſtat illa obliga- „ tio. Ergo probabilius non datur. *An- „ tecedens* quoad primum membrum *pro- „ batur*. Nam licet illa obligatio non „ ſit notabiliter difficilis difficultate pro- „ veniente ex eo, quod obliget ſub pec- „ cato gravi; tamen eſt difficilis ex „ eo, quod obliget ſaltem ſub venia- „ li, & ſe extendat ad omnes actiones „ deliberate factas, etiam minimas; „ quia ſi aliquis etiam in minima actio- „ ne, ut intenderet finem poſitive ho- „ neſtum, nempe gloriam Dei, vel fi- „ nem alicujus virtutis, obligatur, nec „ poſſit præciſe ſiſtere in delectatione „ non prohibita v. g. in auditione mu- „ ſicæ, in aſpectu pulchri coloris, ad „ quas tamen delectationes valde incli- „ nat natura, & pronum eſt, ejuſmo- „ di delectationes quærere, omnes hu- „ juſmodi actiones mererentur pœnas „ purgatorii, quæ tamen ſunt adeo ter- „ ribiles. Neque dicas; non eſſe adeo „ difficile, omnes actiones deliberate „ factas dirigere ad finem honeſtum, „ cum non requiratur intentio actualis, „ ſed ſufficiat etiam virtualis vel habi- „ tualis. Nam contra eſt. Quia hoc „ ipſum ſatis difficile eſt infirmitati hu- „ manæ, nempe facere ut ſaltem ha- „ bitualiter perſeveret illa intentio, ſi- „ ve ut inter diem inter occurrentes „ tot tamque diverſas actiones nulla in- „ tentio contraria ponatur, qua quis „ nempe ob ſolam delectationem natu- „ ralem de ſe non prohibitam opere- „ tur, v. g. dum proſpicit in campum, „ audit muſicam, olfacit florem, dum „ ſumit tabacum; adeoque magnum pe- „ riculum eſt, ne nimium multiplicen- „ tur peccata venialia.

„ *Objicitur* 7. Chriſtus Matth. 12. ſup- „ ponit, dari verbum otioſum, & qui- „ dem ut malum & puniendum. At- „ qui ſi verbum otioſum ſit malum, „ etiam omnis actus moralis non ordi- „ natus ad finem poſitive honeſtum erit „ malus. Ergo. *Probatur Minor*. Ver- „ bum otioſum dicitur, quod non or- „ dinatur ad finem poſitive honeſtum, „ & quod præciſe ponatur propter ali- „ quam delectationem in loquendo.

„ *Reſp.* Tranſmiſſa *Majore*, Negan- „ do *Minorem*. Ad probationem. *Ne- „ go Antecedens*. Et dico, verbum o- „ tioſum eſſe non ex eo, quod non „ ordinetur ad finem poſitive honeſtum, „ ſed quod vel ad rationem, aut le- „ gem, ſeu ad finem poſitive præfi- „ xum inconveniens ſit, ſive inconve- „ nienter accipiatur ad finem illum con- „ ſequendum. Si quis ergo proferret „ verba ut ſaltem habeat finem nega- „ tive honeſtum, ac etiam hic & nunc „ convenienter adhibeantur, non erunt „ verba otioſa, v. g. ſi quis cum ſocio „ ſuo aliquantum frigeat, & dicat; ac- „ cedamus ad fornacem, ita ut præci- „ ſe ſiſtat in tali cogitatione vel volu- „ ptate, quam habet in tali verbo vel „ calore. Quis, ait Vaſquez, verbum „ hoc vel factum otioſum eſſe dicet? „ Erit igitur indifferens, quin adhuc „ po-

„ potest esse utile ad delectationem hic
„ & nunc non inconvenientem . At
„ quamvis possit quis aliquando ejusmo-
„ di verba proferre ob aliquam delecta-
„ tionem vel commoditatem, potest ta-
„ men fieri , quod id in certis circum-
„ stantiis inconvenienter & incongrue
„ faceret , v. g. quando tractanda sunt
„ seria ; si quis hisce seriis immisceret
„ aliqua ad rem non pertinentia, præ-
„ cise ut illis delectetur . Talis in cir-
„ cumstantia illa inconvenienter ejus-
„ modi proferret verba , consequenter
„ ad finem illum ac delectationem con-
„ sequendam hic & nunc inconvenien-
„ tia ac inutilia; quia non haberet uti-
„ litatem in his circumstantiis ad con-
„ venientem delectationem : talia enim
„ verba, idem dic de talibus factis vel
„ cogitationibus , forent otiosa , cum
„ otiosum sit , quod frustra fit .

„ *Objicitur* 8. Innocentius XI. dam-
„ navit propositionem , quæ tribuitur
„ Joanni Sanchez , *Comedere & bibere*
„ *ob solam voluptatem usque ad satieta-*
„ *tem non est peccatum , modo non obsit*
„ *valetudini , quia licite potest appetitus*
„ *naturalis suis actibus frui* .

„ Idem damnavit alteram num. 9.
„ *Opus conjugii ob solam voluptatem exer-*
„ *citum penitus caret culpa ac defectu*
„ *veniali* . Atqui si nostra sententia sub-
„ sisteret , vi cujus non esset malum
„ operari ex delectatione, non videtur
„ esse ratio , quare hæ propositiones
„ fuerint confixæ .

„ *Resp.* Concessa *Majore* Negando
„ *Minorem* . Et quidem quod primum
„ concernit , quod habet additam cau-
„ salem : *Quia licite potest appetitus* &c.
„ hæc propositio cum sua causali uni-
„ versaliter sumpta , & extendendo se
„ ad omnem appetitum , falsissima est ;
„ cum ex ea inferri posset indefinita li-
„ centia quarumcunque voluptatum na-
„ turalium , sicque licitæ forent luxu-
„ ria & ebrietas .

„ *Respondent* Alii , illam propositio-
„ nem etiam quoad primum membrum
„ esse falsam , quia , inquiunt , come-
„ dere & bibere non moderate tantum,
„ sed *usque ad satietatem* , hoc est ,
„ quamdiu cibus sapit , modo non ob-
„ sit valetudini , & quidem ob solam
„ voluptatem , non caret culpa venia-
„ li . Sed num comestio, quæ modera-
„ ta sit , si tamen fiat ob solam volu-
„ ptatem , & non propter conveniен-
„ tem sustentationem , culpa veniali
„ vacet vel non , ad hoc respondent
„ aliqui , quod præscindendo ab hoc ,
„ an in tali comestione intendatur sola
„ voluptas & delectatio , non videatur
„ vacare culpa veniali propter pericu-
„ lum transgrediendi terminos honesta-
„ tis & mediocritatis , cum juxta Au-
„ gustinum l. 4. C. Julianum , *nesciat*
„ *cupiditas , ubi finiatur necessitas* . Quid-
„ quid autem de hoc sit , *Respondet* P.
„ Viva , quod talis comestio , etsi mo-
„ derata , sed tamen intenta ob solam
„ gustus delectationem , videatur sine
„ peccato veniali fieri non posse, quam
„ opinionem Cardenas vocat commu-
„ niorem . Rationem dat , quia volu-
„ ptas ac delectatio, quæ in comeden-
„ do & bibendo percipitur , a natura
„ intenta est , ut homo facilius eadem
„ utatur ad sustentationem proprii in-
„ dividui . Accedit , quod in ejusmodi
„ delectatione valde difficile sit modum
„ tenere , ut ex S. Augustino notavi-
„ mus . Quæ ratio utraque a fortiori
„ procedit de declaratione & voluptate
„ venerea , quæ in usu matrimonii per-
„ cipitur , utpote quæ a natura præci-
„ se intenta est ad finem honestum ,
„ nempe ad conservationem speciei , si-
„ ne quo fine author naturæ illam nun-
„ quam permisisset , utpote de se nimis
„ animalem & indignam , quæ gratia
„ sui a creatura rationali intendatur .
„ Quare merito utraque hæc voluptas
„ debuit prohiberi a natura , ne gratia
„ sui intendatur . Consequenter qui il-
„ lam sic intenderet , peccaret venіali-
„ ter ; quæ doctrina teste Eximio est
„ Augustini & Theologorum omnium ,
„ si Sanchez excipias & Majorem . Ex
„ quibus patet Responsio ad alteram Pro-
„ positionem , cur nempe merito confi-
„ xa sit a Summo Pontifice .

„ Ne-

„ *Neque* tamen ex his *inferas*: Ergo „ & aliæ delectationes, quæ habentur „ v. g. in auditione muſicæ, in luſtra„ tione Bibliothecæ, moderato ludo, „ aſpectu floris, non poterunt directe „ & ratione ſui intendi. *Reſpondeo*, „ Negando illatum; quia ſicut Logici „ ex particulari non bene inferre poſ„ ſunt univerſale, niſi probabiliter, eo „ quod prædicatum quod convenit par„ ticulari, conveniat ipſi tantum ra„ tione prædicati univerſalis: ſicut Ad„ verſarii probare non poſſunt, quod „ duæ illæ delectationes, de quibus pro„ poſitiones confixæ, ſint prohibitæ, „ ut propter ſeipſas intendantur, præ„ ciſe ratione prædicati generici dele„ ctationis, aut ſaltem delectationis „ ſenſitivæ. Ideo enim duæ illæ dele„ ctationes ſunt prohibitæ, ne propter „ ſeipſas intendantur, quia ſunt tales „ delectationes in certa ſpecie.

„ Cæterum inter has & alias dele„ ctationes, de quibus paulo ante, diſ„ paritas eſt, quod hæ duæ delectatio„ nes, de quibus propoſitiones confixæ, „ ſint etiam communes cum belluis, & „ a natura inſtitutæ ut ulterius ordinen„ tur, ita ut in ipſis ſiſtere non liceat. „ Econtra priores illæ delectationes ſunt „ magis elevatæ, & a natura etiam „ ad hoc ordinatæ, ut animus relaxe„ tur. Scio, quidem, quod S. Tho„ mas 2. 2. q. 141. a. 6. C. doceat, „ quod omnia delectabilia, & quæ in „ uſum hominis veniunt, ordinentur ad „ aliquam hujus vitæ neceſſitatem, ſi„ cut ad finem, & ideo temperantia „ accipiat neceſſitatem hujus vitæ, ſi„ cut regulam delectabilium, quibus „ utitur. Sed jam ſupra notavi, An„ gelicum hac in parte videri nobis con„ trarium.

„ *Reſpondent Alii*; Etiamſi omnis de„ lectatio ita a natura ſit ordinata; ta„ men non ſequi, quod quælibet dele„ ctatio eodem etiam modo debeat re„ ferri ab operante ad illum finem, & „ quidem ſub obligatione peccati ve„ nialis. Addunt etiam hoc, nempe „ ordinari delectabilia ad aliquam vitæ „ neceſſitatem eſſe finem adhuc indiffe„ rentem.

„ *Sed dices*, quod actus multi, quos „ nos vocamus indifferentes, ſint poſi„ tive honeſti, qui ſcilicet fiunt pro„ pter moderatam corporis vel animi „ hilaritatem, aut vitæ neceſſitatem: „ Quia videtur, quod ponens hujuſmo„ di actus hoc ipſo, ſaltem implicite „ & æquivalenter intendat bonum vir„ tutis, puta ordinatæ charitatis erga „ ſeipſum. Vel dici poteſt, quod ta„ les actiones revocentur ad virtutem „ Eutrapeliæ, ad quam ſpectat inſti„ tuere ludum moderatum, miſcere u„ tile dulci, & feriis jucunda ad ju„ ſtam hominis refocillationem.

„ *Reſp.* Negando Antecedens, intel„ ligendo hoc de ejuſmodi actionibus, „ quæ quidem aliquo modo conducunt „ ad commoditatem corporis vel ani„ mi, & relaxationem; vel etiam ali„ quo modo neceſſariæ, ita tamen, ut „ illas quis ſine diſpendio vel incommo„ do notabili omittere poſſit: quales „ ſunt v. g. ambulare, fricare manus „ ad pellendum frigus aliquod manuum „ &c. Ejuſmodi enim actiones nego „ cum S. Bonaventura, Alenſi, Vaſ„ quez, eſſe poſitive honeſtas, præci„ pue ſi propter hanc ipſam commodi„ tatem & delectationem, quæ in ip„ ſis reperitur, præciſe ſaltem directe „ intendantur; nam harum actionum „ vel ſimilium patrocinium non ſuſci„ pit ordinata charitas vel Eutrapelia. „ Charitas enim ordinata præcipit vel „ ſuadet illa tantum naturæ levamina, „ quæ vel neceſſaria ſunt unice, vel „ valde opportuna ad vitæ conſervatio„ nem, ac quietem animi, vel corpo„ ris proprii. Priora vero commoda „ non ita neceſſaria vel opportuna lex „ charitatis non præcipit vel ſuadet, „ ſed tantum permittit. Similiter Eu„ trapelia non admittit ludum, jocum „ &c. niſi pro certis quibuſdam circum„ ſtantiis, in quibus poſſunt eſſe ma„ teria prudentis conſilii vel etiam præ„ cepti, in illis nempe, in quibus e„ juſmodi actiones valde conducentes

„ sunt, immo & necessariæ ad sublevationem naturæ, ad pellendam notabilem defatigationem corporis propter „ studium e. g. speculationem, & contemplationem, ut advertit S. Thomas.

Hucusque dictata Ingolstadiana anno 1736. quæ fusius recensenda judicavi, ne aut imputare videar Adversariis aliena ab eorum mente; aut insectari opiniones dudum exoletas. His suppositis

CONCLUSIO I.

Dico 1. Non datur actus moralis in individuo indifferens ad finem naturalem distinctum ab actione, & a delectatione. *Conclusio* est contra authores, qui asserunt, operantem sistere posse in delectatione, dummodo non habeat conjunctam aliam deordinationem, aut periculum peccati; nec subsistet speciali præcepto, eam ordinandi ad aliquam naturæ utilitatem vel necessitatem.

Probatur. Omnes Patres, & Theologi, qui de hac re scripserunt, unanimiter usque ad sæculum XV. docuerunt, omnes actiones earumque concomitantes oblectationes esse ordinandas ad aliquam vitæ utilitatem vel necessitatem. Ergo hoc est indubitato verum. *Consequentia* probari potest ex eo, quia impossibile est, omnes Patres, & Theologos per 14. sæcula uniformiter falli circa regulam morum tam necessariam, & universalem circa innumeras actiones humanas. Nam ut bene observat D. Thomas 1. 79. 12. c. dictamen conscientiæ nihil aliud est, quam habitus intellectualis a natura homini infusus, quo homo per lumen naturale agnoscit primaria ac generalia morum principia, ut sciat quid sibi agendum, vel omittendum sit. *Synderesis*, seu conscientia, inquit, *est habitus principiorum practicorum, sicut intellectus est habitus principiorum speculabilium, nam oportet, naturaliter nobis esse indita, sicut principia speculabilia, ita & principia operabilium*. Quis autem credat, omnes Patres & Theologos usque ad *Majorem*, Scriptorem sæculi XV. errasse in tam universali principio innumerarum actionum moralium, ut censuerint, actiones omnes necessario esse referendas ad finem naturalem distinctum ab oblectatione? *Confirmari* potest ex eo; quia regula circa actiones humanas in ordine ad finem naturalem attingit ferme dimidiam actionum humanarum partem, prout fatentur ipsimet Adversarii, dum exaggerant arduitatem controversæ obligationis ex multitudine *innumerarum*, ut ajunt, actionum, ad quas ea obligatio ac periculum *innumerabilium* peccatorum venialium se extendit. Ergo interest providentiæ divinæ, ut aliquam de hac re promulget regulam vel per lumen naturale ac dictamen conscientiæ, vel per legem divinam positivam. Neutrum autem potuit ab omnibus universim Patribus aut Theologis per quatuordecim sæcula ignorari.

Probatur igitur *Antecedens* ex textibus Patrum & Theologorum.

I.

CLEMENS ALEXANDRINUS *libr.* 2. *Pædag. cap.* 1. „ Quando quis a ratione deductus eorum, quæ in homine „ secundum naturam eveniunt, contemplationem didicerit, sciet, non esse „ studium in res externas conferendum. „ Alii homines vivunt, ut comedant, „ nobis autem Pædagogus præcipit, comesse, ut vivamus; neque enim nutritio nostrum munus est, neque institutum, scopusque noster voluptas, „ sed ea nutritio est ad conservationem „ hujus præsentis vitæ. -- Audent (quidam) appellare nutritionem studium „ delitiarum. -- Nondum didicerunt, „ Deum paravisse opificio suo homini cibum & potum, ut conservetur, non „ autem ut voluptate afficiatur. -- Sicut autem delitias a gustu amovimus, „ ita certe a visu, & odoratu sensus titillantem voluptatem amandamus, ne „ per sensus ei aditum in animam patefaciamus. "

Ibid. cap. 8. de odoribus agens dicit: „ Suavis odoris studium est esca otii & „ mollitiei, quæ ad intemperantiam cupiditatem paulatim attrahit. Qui est „ enim intemperans, undequaque ducitur, & a cibo, & a strato, & a conversatione, & ab oculis, & ab au-

„ ri-

„ ribus, & a maxillis, atque etiam a „ naribus. -- Quoniam autem voluptati nihil loci tribuimus, quæ cum nullo uſu, qui vitæ conferat, conjuncta „ eſt, age hic quoque eas diſtinguamus, „ id quod eſt utile, eligentes; dantur „ enim ſuaves odores, qui ſunt utiles, „ ac cerebrum alunt, & ſtomachum „ corroborant &c.

Idem lib. 3. cap. 10. „ Sicut de alimento diximus, ita etiam dicendum „ eſt ubique in omnibus. Non ad voluptatem vita agenda eſt, ſed ad mediam vitæ rationem, quæ pura eſt ab „ utroque vitio, delitiarum & parcitatis.

Idem lib. 2. Stromatum. „ Non eſt „ omnino neceſſaria affectio voluptatis, „ ſed acceſſio quædam naturalium neceſſitatum, famis, ſitis, frigoris, matrimonii. Si itaque fieri poſſet, ut „ abſque ea vel biberetur, vel alimentum ſuſciperetur, vel liberi procrearentur, non poſſet oſtendi alius voluptatis uſus. Neque enim operatio, „ neque affectio, ſed neque pars aliqua „ noſtri eſt voluptas, ſed vicarii miniſterii gratia in vitam acceſſit, quemadmodum dicunt acceſſiſſe ſales nutrimenti concoquendi cauſa.

Idem lib. 3. Stromatum. „ In ſumma „ generaliter procedat oratio de matrimonio, nutrimento, & aliis, ut nihil faciamus ex cupiditate: velimus „ autem ea ſola, quæ ſunt neceſſaria. „ Non oportet conſiderare continentiam „ in uno tantum genere, ſed in quibuſcunque, quæ concupiſcit anima, „ non contenta neceſſariis, ſed ſollicita de deliciis. " Plures hujus antiquiſſimi Patris textus ſimiles vide Concluſione ſequente; ubi & bene *lib. 2. & 3. Strom.* oſtendit, per amorem cujuſcunque voluptatis turbari libertatem, pacem, & tranquillitatem animi.

I I.

S. Basilius Homil. *Non adhærendum rebus ſæcularibus* ſic ſcribit: „ Si „ animam a vulnerum dedecore liberare voluerimus, quidquid jucundum „ apparet, mox ſuſpectum habere, & „ prætercurrere, nec aliquam illi cogi„ tationem applicare oportet: ſub his „ namque omnibus ita jucundis latebras „ ſuas habet communis hoſtis noſter. „ Plurimum timendum eſt, ne oblectationem nihil habere periculi putantes „ hamum voremus, atque ad latronis „ latebras trahamur. Neceſſarium itaque eſt omnibus, ut ſine ullo reſpectu ad ſimilia ad viæ hujus terminum „ properemus.

Idem lib. de legendis libris Gentilium. „ Non itaque corpori ſerviendum, niſi „ in quantum expoſcit uſus, ventri autem tantum, quod ſit ſatis, non autem uſque ad delitias & voluptatem „ miniſtrandum. Ad hunc modum etiam in reliquis, quidquid neceſſitatis „ uſum excedit, vitandum eſt, neque „ corpori plus ornatus dandum, quam „ quantum animæ profit. " Ita D. Baſilius.

I I I.

Gregorius Nyssenus *lib. de virginit. cap. 31.* „ Compertum eſt, nemi„ nem poſſe ad Dei puritatem accedere, niſi ſit liber a mundanis affectibus. Certe neceſſarium eſt, ut ſe „ magno & firmo muro interjecto a „ voluptatibus removeat. Cum enim „ voluptas genere una ſit, velut aqua „ aliqua, quæ ab uno fonte manans in „ varios rivulos dividitur, ſic illa per „ ſingulas ſenſuum vias ſeſe in voluptatum amatores diffundit. Igitur qui „ ex uno aliquo ejus voluptatis ſenſu „ victus eſt, in corde plagam accepit; „ quoniam qui oculorum ſenſu cupiditatem explevit, corde is peccati labem concepit. Quare ne hoc unquam „ eveniat, regula eſt hæc adhibenda, „ ut animum nunquam ad aliquid quis „ adjungat, in quo aliqua admixta eſt voluptatis cupiditas -- ut non voluptatem, „ ſed neceſſarium in ſingulis uſum pro „ delectationis termino conſtituamus.

I V.

D. Augustinus, *lib. 10. Confeſs. c. 31.* „ Hoc me docuiſti, ut quemadmodum medicamenta ſic alimenta ſumpturus accedam. Sed cum ſalus ſit cauſa edendi & bibendi, adjungit ſe peri„ cu-

„ culoſa jucunditas, & plerumque præi-
„ re conatur. In his tentationibus poſi-
„ tus certo quotidie: & quis eſt, qui non
„ rapiatur aliquantulum extra metas ne-
„ ceſſitatis? Ego non ſum, quia homo
„ peccator ſum. " *Ibid. c.* 33. „ In ſo-
„ nis, quos animant eloquia tua, cum
„ ſuavi voce cantantur, fateor, aliquan-
„ tulum aquieſco. Delectatio carnis meæ,
„ cui mentem enervandam non oportet
„ dari, ſæpe me fallit, dum præcurrere
„ ac ducere conatur; ita in his pecco
„ non ſentiens, ſed poſtea ſentio, tamen
„ cum mihi accidit, ut ne amplius can-
„ tus, quam res, quæ canitur, moveat,
„ pœnaliter me peccare fateor.

Ibid. c. 35. „ Accedit alia forma ten-
„ tationis, vana & curioſa cupiditas a-
„ nimæ, quæ concupiſcentia oculorum
„ vocatur. In quam multis curioſitas
„ quotidie noſtra tentatur, & quam ſæ-
„ pe labamur quis enumerat? Quoties
„ narrantes inania primo quaſi toleramus,
„ deinde paulatim libenter advertimus?
„ Canem currentem poſt leporem in cir-
„ co non ſpecto, at in agro, ſi tran-
„ ſeam, avertit me fortaſſis, deviare me
„ cogens cordis inclinatione, & niſi cito
„ admoneas, vanus hebeſco. *Idem l.* 83.
quæſtion. q. 30. Frui dicimur ea re, de
„ qua capimus voluptatem; utimur ea,
„ quam referimus ad id, unde voluptas
„ capienda eſt. Omnis itaque humana
„ perverſio eſt, quod etiam vitium voca-
„ tur, fruendis uti velle, atque utendis
„ frui. Hominis ratio utitur quibuſdam
„ ad valetudinem, quibuſdam conſide-
„ randis ad aliquod veritatis documen-
„ tum. Omnibus ſenſis & non ſenſis
„ utitur, nec aliquod tertium eſt. Solo
„ Deo non utitur ſed fruitur: neque e-
„ nim ad aliud aliquid Deus referendus
„ eſt.

V.

S. Leo *Serm.* 5. *De Jejun.* „ Duo
„ amores ſunt, ex quibus omnes pro-
„ deunt voluntates. Rationabilis enim
„ animus aut Dei amator eſt aut mun-
„ di. Æternis bonis inhærendum: tem-
„ poralibus utendum eſt, ut peregrinan-
„ tibus nobis, quidquid de proſperitate
„ mundi occurrerit, viaticum ſit itine-
„ ris, non illecebra manſionis.

Plures hujuſmodi Patrum textus repe-
ries concluſione ſequente, uti & Alen-
ſis, Bonaventuræ, & Scoti. Vide &
Cardenam in Criſi Theologica Diſſert.
7. c. 1. art. 3. num. 36. 37. 38. ubi docet;
*nullum eſſe peccatum, audire Muſicam ab
ſolam delectationem*, eſſe propoſitionem
virtualiter damnatam.

Probatur 2. Diverſis rationibus Patrum.
Nam 1. in omni delectatione, cui ani-
mus aquieſcit, concomitatur ſimul quæ-
dam ſenſualis affectio potentiæ appetiti-
væ, quæ dum corroboratur frequentatis
actibus, tranſit in habitum, ac demum
non ſolum incipit difficulter parere ra-
tioni, ſed etiam nititur trahere rationem,
hinc 2. omnis delectatio poteſt & debet
conſiderari per modum tentationis pro-
venientis frequenter a corrupta natura
aut a dæmone. 3. Omnes delectationes
ſunt ejuſdem generis. Ergo ſi animus ſe-
mel conſuevit cedere affectioni oblecta-
tionis in uno genere, facile ſinet ſe mo-
veri in alio; ſicut qui libenter come-
dunt falſa, aut dulcia, non diſtinguunt
multum varietatem ciborum alias idoneo-
rum, dummodo reperiant genus falſedi-
nis aut dulcedinis ſibi acceptum. Hinc.
4. Qui dediti ſunt illecebris voluptuoſis
in uno genere, plerumque probantur eſ-
ſe voluptuarii in alio quovis genere. 5.
Omnes delectationes enervant mentem &
reddunt mollem, ſic ut non ſapiant fe-
ria, divina, & ardua Dei negotia. 6
Omnes delectationes tollunt aut turbant
animi pacem ac tranquillitatem, quam-
primum iis acquieſcitur, quia omnia in
animo volunt eſſe ordinata ad alium fi-
nem. 7. Non datur medium inter bo-
na *fruenda & utenda*. Voluptas autem
temporanea non eſt id, quo frui appetit
natura; cum non ſit bonum infinitum;
ergo pertinet ad utenda. 8. Natura ordi-
nat voluptatem ad finem a voluptate di-
ſtinctum. Ergo & operans debet eam ſic
ordinare, aut ſaltem non niſi in circum-
ſtantiis, in quibus ad finem ſuum appli-
catur, uſurpare. 9. Omnis humana vo-
litio oritur ex appetitu boni univerſalis „

ex-

ergo nil poteſt prudenter eligi, niſi vel ipſum bonum univerſale ſeu finis ultimis, vel tanquam medium rite ordinatum ad illum finem. Ergo & voluptas non poteſt aliter eligi, niſi tanquam ipſum bonum univerſale quod eſſet perverſum, vel tanquam medium, quale non foret, niſi per ſubordinationem ad finem naturalem a Deo tanquam authore naturæ intentum.

CONCLUSIO II.

Dico 2. Non datur actus in individuo indifferens, *per ſe talis*, etiam in ordine ad finem ſupernaturalem. Dixi, *per ſe talis*, quando videlicet homo cogitat de Deo, aut ſuam actionem comparat ad Deum: eoipſo enim videt, Deum ſe ad nullam actionem humanam habere præciſe indifferenter, ac pure permiſſive, nullum requirendo ex illa actione lucrum ſuæ gloriæ, aut pro homine fructum meriti & gloriæ.

ARGUMENTUM I.

Omnes Patres, qui de hac re ſcripſerunt, oſtendunt, omnes actiones humanas non ſolum ordinari debere ad finem actionis naturalem, ſed etiam ſupernaturalem. Ergo illud tenendum eſt indubitato. *Antecedens* probatur ab inductione.

I.

Clemens Alexandrinus, qui vixit ſæculo ſecundo exeunte, palam docet, a Pædagogo, divino videlicet Magiſtro, *præcipi*, ut v. g. nutritio ordinerur ad conſervationem vitæ; ipſam autem conſervationem vitæ ulterius a ratione, ad aſſequendam vitam æternam eſſe ordinandam. l. 2. Pædagogi c. 1. ſic ſcribit: „ *Qualem in tota vita oporteat eſſe eum, „ qui Chriſtianus dicitur, deſcribendum „ eſt. Quando quis a ratione deductus eorum, quæ in homine ſecundum naturam „ eveniunt*, contemplationem didicerit, „ ſciet, non eſſe ſtudium in res externas „ conferendum. Alii homines vivunt ut „ comedant, nobis autem Pædagogus „ præcipit, comeſſe, ut vivamus; neque „ enim nutritio noſtrum munus eſt, neque inſtitutum ſcopuſque noſter voluptas: ſed ea nutritio eſt ob conſervationem hujus præſentis vitæ, quam ratio „ ad incorruptionem vitæ æternæ inſtituit, „ & ideo aſſumitur alimentum. Eſt autem ipſum ſimplex, utpote quod ad „ vivendum, non ad lautitias delitiaſque „ aptum ſit. Ipſum autem vivere ex duobus, ſanitate videlicet, & viribus conſtituitur, quibus maxime convenit alimenti facilitas, ut quod & ad digeſtionem, & corporis levitatem ſit utile. „ Sunt itaque multiplices qualitates reſpuendæ, quæ pariunt malas corporis „ habitudines, cum guſtus corruptus & „ conſtupratus fit miſera quadam & infauſta condiendi arte, & inani in faciendis bellariis artificio: audent enim „ appellare nutritionem ſtudium delitiarum: nondum didicerunt, Deum paraſſe opificio ſuo homini cibum & potum ut conſervetur, non autem ut voluptate afficiatur: victus autem qui ſufficientiam excedit ac obruit, homini „ multum officit, animam ſegnem & inertem reddit, corpus vero valetudinarium -- Sive comeditis, inquit, ſive „ bibitis, omnia in gloriam Dei facite, „ veram frugalitatem ac tenuitatem tanquam ſcopum proponentes. -- Quemadmodum autem non advenit juſtitia per „ avaritiam, neque temperantia per intemperantiam, ita nec victus chriſtiani ratio lautitiis paratur & delitiis. -- „ Etſi omnia propter homines facta ſint, „ non tamen omnibus uti bonum eſt, „ aut ſemper: nam tempus, occaſio, „ modus, & reſpectus rei alicujus non „ parvum momentum afferunt ad id, „ quod ſibi eſt utile. Sicut autem delitias a guſtu amovimus, ita certe a viſu & odoratu ſenſus titillantem voluptatem amandamus, ne quam fugavimus intemperantiam, per ſenſus „ tanquam per portas, quibus deſunt cuſtodes, ei in animam aditum patefaciamus.

Idem l. cc. c. 8. De odoribus agens dicit: „ Suavis odoris ſtudium eſt eſca otii & „ mol-

„ mollitiei, quæ ad intemperantem cupiditatem paulatim attrahit, qui est enim intemperans, undequaque ducitur & a cibo, & a strato, & a conversatione, & ab oculis, & ab auribus, & a maxillis, atque etiam a naribus: et sicut boves annulis ac funibus, ita etiam intemperans suffitibus & unguentis, & odoribus trahitur. Quoniam autem voluptati nihil loci tribuimus, quæ cum nullo usu qui vitæ conferat, conjuncta est, age hic quoque eas distinguamus, id quod est utile, eligentes. Sunt enim suaves odores, qui nullum torporem afferunt, sed suut una cum temperatia utiles; ac cerebrum quidem alunt, & stomachum corroborant: non est enim usus eorum omnino ablegandus, sed unguento tanquam medicamento & auxilio utendum est, & ad vires languentes excitandas, & ad catarrhos, & ad refrigerationes, & ad fastidium pellendum. Quemadmodum quoque Comicus dicit: Unguentis manus ungitur, quod est pars sanitatis maxima. Quin etiam pedum per eorum, quæ calefaciunt aut refrigerant unctionem, fricatio exercetur utilitatis gratia, ut scilicet iis, qui sunt repleti in capite, fiat quædam attractio & diversio ad corporis partes, quæ sunt minus principales. Voluptas autem, cui nulla accedit utilitas, meretriciorum est morum opprobrium. *A Domino*, inquit Scriptura, *est medicina; & unguentarius faciet mixtionem*. Videlicet quod data essent unguenta ad utilitatem, non autem ad suavem sensuum titillationem: in unguentorum enim illiciis nequaquam affectio ponenda est, sed id, quod in eis est utile, eligendum est. — De his autem multa dici possent; id unum dico; flores & aromata ad necessarias utilitates, non ad delitiarum insolentiam facta esse.

Ibidem l. 2. *c.* 10. ad illa verba Christi Matth. 6. *Ne solliciti sitis, quænam comedatis aut quænam bibatis*, ait: „ De his „ esse sollicitum nimiam plura habendi „ cupiditatem & delitias arguit. Sed si co„ medere per se solum cogitetur: est ar„ gumentum necessitatis, & defectus re„ pletio. Quod est autem amplius, est „ ex superfluo; quod est autem ex super„ fluo, esse a diabolo declaravit Scriptu„ ra, nam, cum dixisset, *ne quærite quid „ comedatis & quid bibatis*, subjunxit: „ *& ne sublimes efferamini*: a veritate „ autem sublimes efferunt arrogantia & „ delitiæ; & quæ in rebus supervacuis „ versatur delectatio, a veritate abducit, „ quocirca pulcherrime quoque dicit: Hæc „ autem omnia gentes mundi quærunt. „ Qui immoderati sunt & incipientes, „ gentes sunt, quænam autem *hæc* dicit? „ delitias, delectationem, cupedias: De „ solo autem nutrimento, sicco scilicet „ & humido, ut quæ sint necessaria, scit, „ inquit, Pater vester, quid vobis opus „ sit. Si ergo Christus de veste & deli„ tiis, rebusque supervacaneis totaliter „ tanquam non necessariam omnem cu„ ram tollit, quid censendum est, eum „ dicere de superflua cura gemmarum, „ cerussæ fucationibus, intortis crini„ bus &c.

Idem l. 3. *c.* 9. „ Balnei quatuor sunt „ causæ, propter quas ad ipsum accedi„ mus, vel enim causa munditiei, vel „ caloris, vel sanitatis, vel postremo „ voluptatis. Voluptatis autem causa quæ „ instituitur lotio, est rejicienda; impu„ dens enim voluptas est omnino exscin„ denda.

Et Ibidem c. 10. „ Neque oportet es„ se omnino otiosum, neque esse nimis „ laboriosum. Sicut enim de alimento „ diximus, ita etiam dicendum est ubi„ que in omnibus. Non ad voluptatem, „ & illicitam diætam vita agenda est, „ sed ad mediam vitæ rationem, quæ „ temperata & moderata est, & pura „ ab utroque vitio, delitiarum scilicet „ & parcitatis.

Idem l. 2. *Stromatum*. „ Non est om„ nino necessaria affectio voluptatis, sed „ accessio quædam & consequentia quæ„ dam naturalium necessitatum, famis, „ sitis, frigoris, matrimonii. Si itaque „ fieri posset, ut absque ea vel bibere„ tur, vel alimentum susciperetur, vel „ liberi procrearentur, non posset osten„ di

„ di alius voluptatis uſus, neque enim „ operatio, neque affectio, ſed neque a- „ liqua pars noſtri eſt voluptas, ſed vi- „ carii miniſterii gratia in vitam acceſ- „ ſit, quemadmodum dicunt acceſſiſſe fa- „ les nutrimenti concoquendi cauſa. -- „ Pax & libertas animi non aliter accedit, „ quam per perpetuam & indefatigabi- „ lem adverſus animi noſtri motus repu- „ gnantiam ; ſunt enim hi adverſarii „ veſpis acriores, & maxime voluptas, „ quæ non ſolum interdiu ſed etiam no- „ ctu in ſomnis inſidiatur & mordet. „ Socrates itaque jubet ea cavere, quæ „ perſuadent, ut non eſurientes come- „ dant, & bibant non ſitientes, & pul- „ chros aſpectus, & oſcula, ut quæ ſcor- „ piis & araneis gravius venenum natu- „ raliter emittat. Antiſtenes autem vult „ potius inſanire, quam voluptate affici.

Idem l. 3. Stromatum. „ Omnino fieri „ non poteſt, ut quis ſit ſimul ſcientia „ (Chriſtiana) præditus, & blandiri cor- „ pori non erubeſcat: neque enim poteſt „ unquam convenire, quod voluptas ſit „ bonum, cum eo, quod bonum ſit ſo- „ lum pulchrum & honeſtum, vel etiam „ cum eo, quod ſolus ſit bonus Deus, & „ ſolus amabilis. -- lux illa, quæ inna- „ ta fuerit in anima per præceptorum „ obedientiam, docet hominem, ut ad „ Deum ſuas cognitiones dirigat; neque „ vocent libertatem eam, quæ eſt ſub „ voluptate ſervitutem, ſicut ii qui bi- „ lem dicunt dulcem, nos enim didici- „ mus libertatem, qua Dominus nos li- „ beravit, ſolvens a voluptatibus & cu- „ piditatibus.

Idem l. cc. „ In ſumma autem & ge- „ neraliter procedat oratio de matrimo- „ nio, nutrimento & aliis, ut nihil fa- „ ciamus ex cupiditate, velimus autem „ ea ſola, quæ ſunt neceſſaria. -- Non „ ſumus enim filii cupiditatis, ſed vo- „ luntatis. --- Non oportet conſiderare „ continentiam in uno ſolum genere, „ ſed in quibuſcunque, quæ concupiſcit „ anima, non contenta neceſſariis, ſed „ ſollicita de delitiis: continentia eſt „ pecuniam deſpicere, voluptatem, os „ continere.

Idem l. 4. Stromatum. Non recte fa- „ ciunt, qui corpus vituperant, non „ conſiderantes, corporis conſtitutionem „ rectam factam eſſe ad cœlum contem- „ plandum, & inſtrumentorum ſenſuum „ effectionem tendere ad cognitionem, „ & membra & partes apte eſſe com- „ poſitas ad honeſtum, non ad volup- „ tatem.

Idem l. 6. Stromatum. Ethnici vero „ cujuſvis peccat contra (eam regulam) „ actio, non enim abſolute bene agere, „ ſed ſcopum quendam ſpectando actio- „ nes producere, & ex ratione operari „ oportere oſtendunt ſcripturæ. -- Non „ ſolum in bellis certamen ſuſcipitur pro „ libertate, ſed etiam in conviviis, in „ cubili, & in judiciis, ii qui verbo un- „ cti ſunt, erubeſcunt ſervi fieri volup- „ tatis; injuſto lucro nunquam virtutem „ permutavero ; lucrum autem eviden- „ ter injuſtum eſt voluptas.

Idem l. 7. Stromatum. Deſcribens vi- tam veri Chriſtiani jam confirmati dicit: „ Hic quæ dicuntur & fiunt & viden- „ tur voluptatis illicientis gratia, ne in „ ſomnis quidem admittit. Neque has „ ergo quæ viſu percipiuntur voluptates, „ nec eas, quæ in aliis fruendis capiun- „ tur varietates, ut ſumptuoſos & ma- „ gnificos ſuffitus, qui odoratum alli- „ ciunt, aut condimenta ciborum, & „ quæ ex variis vinis ſentiuntur delitias „ guſtum ineſcantes; neque odoriferas ex „ variis floribus contexturas, quæ per „ ſenſum animam effœminant ; ſed ho- „ neſtum omnium rerum uſum ad Deum „ ſemper referens, & cibi & potus & „ unctionis univerſorum datori offert pri- „ mitias gratias agens & per donum, „ & per unctionem, & per verbum ei „ datum -- cum ſint autem tres fines „ cujuſvis actionis, propter id quidem „ quod eſt bonum & utile, omnia ope- „ ratur; voluptatis autem cauſa aliquid „ agere his relinquit, qui communem vi- „ tam (gentium) ſequuntur. -- Quæcunque „ ergo fit actio a cognitione (Chriſtiana) „ prædito, ea eſt recta actio; quæcun- „ que autem a non prædito ea ſcientia, „ mala eſt, quoniam non fit fortis ex

„ con-

„ consideratione (finis) neque dirigit ac-
„ tionem ad aliquid utile ex his, quæ
„ ad virtutem dirigunt, & procedunt
„ a virtute -- merito ergo nunquam ju-
„ cundum præfert utili. -- Qui Deo pla-
„ cet, quomodo cibus & potus &c. ei
„ amplius fuerit delectabilis, cum etiam
„ sermonem, qui aliquam affert volu-
„ ptatem, motumque cogitationis, &
„ operationem jucundam habeat suspe-
„ ctam? revera non potest fieri, ut qui
„ Deum cognovit vere, eis, quæ adver-
„ santur, serviat voluptatibus. - qui ad-
„ versus voluptates durum semper in-
„ fractumque habuit animum, nec in
„ peccata unquam incidit, alienis non
„ castigatur exemplis malorum; multum
„ autem abest, ut terrenis voluptatibus
„ delectetur, qui mundanas, etsi sint
„ divinæ, contempsit promissiones. Non
„ omnis, qui dicit mihi Domine, intra-
„ bit in regnum cœlorum, sed qui fa-
„ cit voluntatem Dei. Is autem erit,
„ qui est cognitione præditus operarius,
„ qui mundanas vincit cupiditates.

I I.

Tertullianus ostendit, universim in omni actione peccari, si quis in ea nolit mereri; dum enim in l. de exhortatione ad castitatem c. 3. conatur probare, in omni actione dari obligationem eligendi id, quod consideratis omnibus magis placet Deo. Hoc probat ex eo, quia *nolle promereri delinquere est*. Alte, „ inquit, recogitandam esse dico Dei
„ voluntatem, quid etiam in occulto ve-
„ lit. Quæ enim manifesto (vult), om-
„ nes scimus, eaque ipsa, qualiter in
„ manifesto sint, perspiciendum est. Nam
„ si quædam videntur voluntatem Dei
„ sapere, dum a Deo permittuntur,
„ non statim omne quod permittitur,
„ ex mera & tota voluntate procedit e-
„ jus, qui permittit. Ex indulgentia
„ est, quodcunque permittitur; quæ etsi
„ sine voluntate non est; quia tamen
„ aliquam habet causam in loco cui in-
„ dulgetur, quasi de invita venit volun-
„ tate, passa causam sui, quæ cogit
„ voluntatem. Vide qualis sit enim vo-
„ luntas, cujus altera sit causa. Secunda
„ (dein) species considerandæ est puræ
„ voluntatis. Vult nos Deus sibi placi-
„ ta, in quibus non indulgentia opera-
„ tori patrocinatur, sed disciplina (id
„ est, prudens œconomia) dominatur.
„ Si tamen (Deus prudenti hac œcono-
„ mia, & voluntate beneplaciti diver-
„ sa vult), ista proponit utique (nobis
„ sequenda) quæ magis vult. Dubium-
„ ne est, ea nobis taxanda esse, quæ
„ mavult, quam ea, quæ minus vult.
„ Qualia magis vult, proinde habenda
„ sunt. Nam ostendendo quæ magis ve-
„ lit, minorem voluntatem majore de-
„ levit. Quantoque notitiæ tuæ utram-
„ que proposuit, tanto definivit id te se-
„ ctari debere, quod patuit, eum ma-
„ gis velle. Ergo si ideo declaravit
„ (per illustrationem internam) ut se-
„ cteris, quod magis vult, sine dubio
„ nisi ita facis, contra voluntatem ejus
„ sapis sapiendo contra potiorem ejus
„ voluntatem, magisque offendis, quam
„ promereris; quod vult quidem facien-
„ do, quod mavult respuendo. Ex par-
„ te delinquis, non tamen promereris.
„ Porro & promoreri nolle, delinquere
est. In hoc discursu, quem Tertullianus male ad secundas nuptias applicat, quasi cuivis per specialem vocationem ac illustrationem internam Deus ostendat, meliorem ac gratiorem sibi esse in hoc individuo statum continentiæ, sufficienter tamen ostendit, ejus judicio positivam quandam esse deordinationem rationis, si quis *nolit promereri*, *cum possit*. Cæterum an præterea detur obligatio, in individuo semper eligendi, quod est *hic & nunc melius*, & *majoris meriti hic & nunc*, *magis acceptum Deo hic & nunc*, non est locus hic examinandi. Censeo potius Deum non præbere homini in quolibet individuali actu illustrationem de melioritate actus aut inferioritate; si enim daretur talis illustratio, aut obligatio ponderandi excessum bonitatis unius actus supra alium, daretur etiam obligatio perpetua faciendi innumeras reflexiones, & attendendi vel ad illustrationem perpetuam, vel ad excessum bonitatis, quam intricatam obligationem, cum

non

non ſit neceſſaria ad fines a Deo præſtabilitos, non eſt veroſimile impoſuiſſe Deum.

III.

ORIGENES *Hom.* 11. *in c.* 13. *Ezech.* „ Cum in judicio ille ordo conſederit, „ de quo prophetavit Daniel, & libri „ fuerint aperti, omnes mei conatus, „ omnes meæ expoſitiones proferentur in „ medium ſive in juſtificationem ſive in „ condemnationem. In juſtificationem „ quidem mihi erunt, quæ bene dicta „ ſunt; in condemnationem autem ea, „ quæ ſecus quam veritas poſſit explanata. *Ex ſermonibus* inquit (Matth. 12.) „ *tuis juſtificaberis, & ex ſermonibus tuis condemnaberis*, quaſi habenti non omnes ſermones, de quibus juſtificaretur, „ neque rurſum omnes ſermones, de quibus condemnaretur. Si quis a ſermonibus purus eſt alienis, & eis qui poſſint reprehendi, ex ſermonibus ſuis „ juſtificabitur, & non condemnabitur. „ Si autem nunquam recte locutus eſt, „ ſed ſemper protulit prava, ex ſermonibus condemnabitur & non juſtificabitur. Verum quia nos, qui non „ ſumus ex omni parte perfecti, neque „ ſic dicimus ut ſemper juſtificemur, „ neque ſic e contrario ſumus peccatores, ut ſemper condemnemur, & habemus alia verba ex quibus juſtificemur, & alia ex quibus condemnemur, „ Deus ſuper ſtateram ſuam utraque ponens expendit diligenter, & judicat in „ quibus juſtus ſim, & in quibus ſermonibus condemnandus. Quod autem „ in ſermonibus facit, hoc idem facit „ & in geſtis. Neceſſe eſt enim, ut „ alia ſint facta, in quibus juſtificemur, „ & alia in quibus condemnemur. Neque enim ſic perfectus ſum, ut omnia facta habeam, in quibus juſtus „ exiſtam; neque ſic peccator, ut talia „ cuncta fecerim, quæ me ex omni parte condemnent. -- Propter quod inter ſe accuſantium ſive ſatisfacientium „ judicium me exſpectat de omnibus quę „ facio, quæ intelligo, quæ loquor, & „ incertus opperior, quid in illo judicio mihi ſit futurum. Quantoque magis timor Dei mihi incutitur ad recipienda cuncta quæ feci, tanto magis „ cuſtodire me debeo a peccatis. In hoc textu, in quo Origenes omnes actus ſubjicit judicio juſtificationis aut condemnationis, videtur plane per ea verba: *ad recipienda quæ feci*, cuivis actui ſtatuere aut poſitivum juſtificationis præmium, aut poſitivum condemnationis ſupplicium; in quo & ſenſu ille terminus; *juſtificari*, uſitatius ac eoipſo probabilius accipitur.

Idem in c. 15. *Matth.* Non ob laſciviam, nec ob voluptatis amorem, neque cum hæſitatione ac dubitatione (an cibi ſint idolis oblati) juſti utuntur cibis aut potu, memores dicti Paulini; *ſive editis, ſive bibitis, ſive quid aliud facitis, in gloriam Dei facite.* " In hoc textu, cum Origenes intentionem gloriæ divinæ opponat intentioni propriæ voluptatis, ſequitur, juſtum non poſſe operari ex motivo voluptatis in ullo actu, prout tamen operaretur, ſi diceret; ſic operor, quia mihi placet; quod utique eſt quædam animi voluptas.

Idem lib. 8. *Contra Celſum.* Sic vivendum eſt, ut vita inſtituatur juxta „ divina præcepta quoad poteſt fieri, „ & quoad nobis donatur; donatur autem, ſi edendo, bibendo, omnia denique faciamus in Dei gloriam; nec „ ſunt nobis aſpernanda conditoris munera, ſed utendum eis cum gratiarum „ actione, hac enim conditione in vitam venimus. " In hoc textu Origenes præcepta divina ea ſola conditione impleri & ad vitam perveniri aſſerit, ſi omnia faciamus in gloriam Dei.

IV.

LACTANTIUS *l.* 7. *Inſtitut. c.* 4. & 5. docet, Deum nihil fruſtra creare; ideo omnia quæ in mundo ſunt creavit propter hominem, & hominem, ut contemptis omnibus terrenis ac corporeis voluptatibus in omni actione tendat ad perfectionem ac ad Deum. „ Nihil eſt, „ inquit, quod ſit propter ſeipſum factum; ſed quidquid omnino fit, ad „ uſum aliquem fieri neceſſe eſt. Quis

„ eſt

„ est enim tam ineptus vel tam otio-
„ sus, ut aggrediatur aliquid facere fru-
„ stra, ex quo nullam commoditatem,
„ nullam utilitatem speret? Qui domum
„ ædificat, non idcirco ædificat, ut
„ tantummodo domus sit; sed ut in ea
„ possit habitari. Qui navem fabricat;
„ non ideo assumit operam, ut tantum
„ navis appareat, sed ut in ea navige-
„ tur. Item qui vas aliquod instituit vel
„ format; non propterea id facit, ut
„ tantum fecisse videatur. Similiter cæ-
„ tera quæque fiunt, non utique in su-
„ pervacuum, sed ad usus aliquos la-
„ borantur. Mundus igitur a Deo fa-
„ ctus est propter hominem, propter
„ quem mundum ipsum & universa quæ-
„ cunque sunt, Deus fecit. -- Redda-
„ mus nunc rationem, quare ipsum ho-
„ minem fecerit Deus? scilicet, ut esset,
„ qui opera ejus intelligeret, & admi-
„ rari & proloqui posset, id est, ut
„ Deum colat, & sit in æternum bea-
„ tus. -- Itaque vita hæc temporalis il-
„ li æternæ debet esse subjecta, sicut cor-
„ pus animæ. Quisquis ergo animæ vi-
„ tam maluerit, vitam corporis conte-
„ mnat necesse est, nec aliter ad sum-
„ mum eniti poterit, nisi quæ sunt im-
„ ma despexerit. Qui mavult bene vi-
„ vere in æternum, male vivet ad tem-
„ pus, & afficietur omnibus molestiis
„ & laboribus, quamdiu fuerit in terra.

Hæc principia non consonant indifferentismo actionum, quæ nec Deo prosunt nec homini. Si enim dicatur, ejusmodi actus ordinari ab homine vel a Deo in solatium & levamen aut commoditatem naturæ humanæ; redit quæstio, an istud solatium naturæ humanæ frustra sine ordine ad alium finem producatur a Deo & homine? Si frustra; ergo valet argumentum Lactantii. Si in ordine ad alium finem homini aut Deo utilem; ergo, cum juxta Lactantium homo teneatur se conformare intentioni divinæ, & Deus revera sine ordinatione hominis non obtineat finem suum ex actionibus humanis intentum, puta gloriam suam & cultum, & beatitudinem hominis, clarum est, dari obligationem omnes actus ordinandi ad finem a Deo intentum.

V.

Eusebius *l.* 1. *Præpar. Evang. C.* 4. describens vitam Christianorum ait: „ Hæc omnia quis ad beatæ vivendum
„ plurimum momenti habere non vi-
„ deat. Similiter quod ne in leviss-
„ mis quidem vocalis ac mutuis quoti-
„ dianisque congressibus sese negligen-
„ tius habere velint, sed in iis, quid-
„ quid loquuntur, accurrate expendant,
„ ne quod illis verbum aut vanum aut
„ contumeliosum, aut turpe, minusque
„ compositum excidat; idque propter
„ unum hoc Salvatoris monitum: *De*
„ *omni verbo otioso reddetis rationem in*
„ *die judicii*.

Idem l. 8. *Præpar. Evang. C.* 9. ex Aristæo desumens mysticam expositionem illius mandati divini, quo Judæi jubentur mandatum dilectionis erga Deum inscribere vestibus, & januis; ac id ligare manibus, atque versare inter oculos, affert verba Eleazari Pontificis hæc: „ Nec summis tantum in vestibus ac
„ januis divinorum præceptorum oracu-
„ la, quibus Dei memoria foveatur,
„ collocanda; sed ipsis etiam manibus
„ illigatum ejusmodi signum circumfe-
„ rendum edicit; quo perspicue omni-
„ bus ostendat, nullam non esse nobis
„ cum justificatione functionem obeun-
„ dam, ita quidem, ut dum nostræ
„ formationis propriæ recordamur, si-
„ mul divinum timorem in omnibus
„ conservemus. " Si juxta hanc expo-
sitionem tenemur in omnibus actionibus respicere ad Deum, & ad justificationem, plane esset magna socordia servi, si in ipso conspectu sui Domini tam exacte requirentis fructus & census, sine ullo fructu & censu boni operis sterteret, atque in sola commoditate naturæ sine subordinatione ad alacrius labores subeundos quiesceret.

VI.

S. Basilius *in Ps.* 33. " Potest vir
„ quivis bonarum rerum studiosus cun-
„ cta facere ad Dei gloriam, ita ut fa-
„ cta dictaque ipsius omnia, omnisque

„ spi-

„ ſpiritualis operatio vim laudis habeant; „ ſive enim bibeat juſtus, ſive edat, omnia ad Dei gloriam facit. Talis etiam cum dormit, cor vigilat, juxta „ verbum dicentis in Cantico: Ego dormio, & cor meum vigilat. Quaſi enim tenor ſoni ſemel editi ac diutius „ auribus inſonantis ſunt illæ, quæ per „ ſomnum recurrunt imaginationes conceptæ interdiu cogitationis.

Idem in Pſ. 45. „ Nonnulli de humano fine varia opinati ſunt. Aliqui „ dixerunt, ſcientiam eſſe finem; quidam vero activæ vitæ exercitationem; „ nonnulli voluptatem eſſe dictitaverunt. „ Nobis vero finis, cujus gratia cuncta „ facimus, & ad quem omni ſtudio properamus, beata eſt in futuro ſæculo „ vita, quam Deo ſerviendo conſequimur.

Idem Homil. in Martyrem Julittam. „ Ab Apoſtolo dicebatur: ſine intermiſſione orate, proinde, num illud „ præceptum a quoquam præſtari opere poſſit, pro virili Apoſtolicæ huic ſententiæ patrocinium feram. Dicimus, „ orationem potius oportere explere in „ animæ libera electione ac propoſito, „ ſimul & in actionibus quæ per omnem vitam intento ſtudio perficiuntur ad præſcriptum virtutis juxta Paulum; ſive comeditis, ſive bibitis, „ ſive quid facitis, omnia ad gloriam „ Dei facite. Accumbens menſæ ora; „ eſitans panem, largitori gratiam rependito; ſuffulciens firmanſque infirmas corporis vires vino ejus memineris, qui hoc tibi donum contulit „ ad inferendam cordi tuo lætitiam & „ ad multiplicium infirmitatum non mediocre ſolamen. Nulli tibi eſt ſumendi „ edulii neceſſitas? cave, te prætereat „ memoria ejus, cujus beneficio ſatiatus es. Tunicam indueris? gratias agito benigno datori; palium circumdas? „ fac, in te augeſcat interior erga Deum charitas, qui indumenta largitus „ eſt. Dies expletus abiit? illi referto „ gratiam, qui ſolem indulſit in humanæ operationis miniſterium, ignem „ vero contulit illuſtrandæ nocti, utque „ ſubveniat reliquis vitæ commoditatibus. Ipſa rurſus non alias ad orationem ſuggerere poſſit conſiliareve occaſiones; etenim ſi quando in cœlum ſuſpexeris, procide Deo, & eum, „ qui cuncta hæc condidit: Si omnigenam animantium naturam in ſomnum „ reſolutam videris, ſupplex adora rurſus eum, qui nos a laborum aſſiduitate relaxat, perque exiguæ quietis „ refocillationem vigorem addit corpori -- ſane ad eum modum continen„ ter oraveris. " Si ergo præceptum eſt, ſic utique præcipiente ratione naturali, ut ſemper oremus quoad fieri poteſt, & momentis aliunde ab alia attentione liberis, non relinquitur ullum actibus indifferentibus ſpatiolum temporis.

Idem docet, univerſim periculoſum eſſe ac obnoxium inſidiis dœmonum, ſi ſatisfiat in ulla re appetitui naturæ; atque exinde infert, tantum ſatisfaciendum eſſe neceſſitati naturæ in ordine ad alias functiones utiles; ergo iterum non convenit rationi, agere præciſe quia ſic lubet & placet, utique ex motivo ſatisfaciendi appetitui naturæ. In Homil. *non adhærendum rebus ſæcularibus* ſic habet: „ Si tuto vitæ noſtræ viam percur„ rere, & animam a vulnerum dedeco„ re liberare, & victoriæ coronas ap„ prehendere voluerimus, animi oculos „ perpetuo vigiles circumquaque diducere, & quidquid jucundum apparet, „ mox ſuſpectum habere & prætercurrere, nec aliquam illi cogitationem „ applicare oportet. -- Sub his namque „ omnibus ita jucundis latebras ſuas habet communis noſter hoſtis, exſpectans, num per objectorum ſpectacula illecti ad ipſius aliquando inſidias „ ultro declinemus. Et plurimum ſane „ timendum eſt, ne quo pacto incaute „ illis accurrentes, & oblectationem illam, quam uſurpantibus offerunt, nihil habere periculi putantes primo ſtatim guſtu doloſe abditum hamum voremus, atque illi poſtea, nolimus velimus (affectu quantumvis indeliberato) ligati ad latronis latebras tra„ ha-

„ hamur. Necessarium itaque omnibus, „ ut sine ullo respectu ad similia ad viæ „ hujus terminum properemus.

„ *Et in l. de legendis libris gentilium.* „ Quid igitur faciamus, dicet aliquis? „ Quid aliud, nisi ut cæteris omissis animæ curam inprimis geramus? Non „ itaque corpori serviendum, nisi inquantum exposcit usus; ventri autem „ tantum, quod sit satis; non autem „ usque ad delitias & voluptatem ministrandum. Quidam mensæ diligentius studentes gravissima servitute premuntur, & gravissimo Domino tributa tribuunt, misere otiosi, aquam cribro ferentes, ac fracta dolia implere conantes. Quid differre potest, sumptuosam vestem induere, an vilem? modo satis hoc ad frigus caloremque arcendum fuerit. Et ad hunc modum etiam in reliquis quidquid necessitatis usum excedit, vitandum; neque corpori plus ornatus dandum est, quam quantum animæ prosit. -- Corpori tantum indulgendum, quanto ei opus est, ut ait Plato, ut philosophiæ ministerium atque auxilium suppeditet; quod sane dictum cum Pauli convenit sententia, qui monet, nullam habendam corporis curam ad concupiscentiæ materiam.

Idem in Regulis Moralibus Reg. 25. „ Quod nullo modo otiosa verba debent proferri, ex quibus nulla utilitas nascatur; dico enim vobis, quod de omni verbo otioso, quod locuti fuerint homines, reddent rationem in die judicii.

Idem in Regulis fusius disputatis Reg. 20. „ Paucis est opus, immo uno potius, nempe fine ipso, ut necessitati fiat satis, = abusus nihil aliud est, quam sumptus ille, qui ultra necessarium usum fit. Cur escam a Deo esurientibus datam perverse in delitias ac voluptates insumimus?

Idem in Constitutionibus Monasticis C. 12. „ Restant explicanda maturitas temporis ad loquendum, & verborum habita utilitatis ratione prolatio. Verborum autem ea opinor utilitas fuerit, si aut de virtute in loco differatur, aut si ad rei alicujus, quæ facienda instet, urgeatque, usum sermo accommodetur, aut denique ad audientium ædificationem referatur. Qui autem in alio quovis genere sermones versentur, ii reijci tanquam supervacanei ac inutiles debent.

Ibidem Reg. 13. „ Colligitur, pervigilem & attentam animi excubationem cum facetiarum diffusione simul cohærere non posse. Cæterum si usus inciderit aliquando, ut remittendæ aliquantulum tristitiæ causa sermone ad hilaritatem excitemur, danda omnino opera est, ut spirituali lepore referta sit oratio nostra, & evangelico sale condita, ut rectæ, quæ interius sit, sapientiæ gratum foras odorem aspiret, dupliciterque auditorem & animi relaxatione, & intelligentiæ festivitate delectet. " Hæc omnia D. Basilii principia ostendunt, nec ciborum quidquam, nec verborum, nec temporis sic indifferentia actionum prodigi posse, ut nulla animæ, aut proximo conferatur juxta præscriptum rationis & Evangelii utilitas.

VII.

D. Gregorius Nazianzenus *Orat.* 20. *de S. Basilio.* „ Alias recreationes, festa, spectacula, convivia „ aliis relinquebamus; nihil enim æstimandum censeo, nisi quod ad virtutem ducit, & sui studiosos meliores efficit. " *De eodem ibid.* observat: nec risum aut jocos fuisse indifferentes. „ Quis, inquit, magis aut virtutem coluit, aut vitium coercuit? „ Quis officio probe functis suaviorem „ se, aut peccantibus severiorem præbuit? utpote cujus vel pertenuis risus laudatio esset, & silentium objurgatio. Quod si non lepidus erat, „ & facetus, nec circumforaneus, nec „ ex eo omnibus acceptus, laudem potius hoc nomine, quam reprehensionem meretur, nisi quis & leonem „ accusandum putet, quod non simiæ „ vultum, sed regium quid præferat, „ cujus ipsæ quoque saltationes fortes &

„ ge-

„ generoſæ ſunt, & cum admiratione „ jucundæ. Quanquam ſi & hoc quæ„ ramus, quis in cætibus adeo jucun„ dus? quis in narrando feſtivior? quis „ in jocando argutior? quis in objur„ gando lenior? utroque cum ratione „ tempeſtive utens?

Idem Orat. 33. „ Neque hæc quiſ„ quam ita accipiat, quaſi Deum per„ petua memoria colendum eſſe negem, „ nec enim tam ſæpe ſpiritum ducere, „ quam Dei meminiſſe debemus, immo, „ ſi dicere licet, aliud nihil quam hoc „ faciendum. Nam & ego inter eos „ nomen meum profiteor, qui ſenten„ tiam illam approbant, quæ nos die „ ac nocte jubet meditari, veſpere & „ mane & meridie narrare, ac omni „ tempore Dominum benedicere, ſive, „ ut verbis Moyſis utar, dormiamus, „ ſive conſurgamus, ſive iter faciamus, „ ſive quid aliud agamus, atque hac „ ipſa recordatione ad puritatem infor„ mari.

VIII.

S. Gregorius Nyssenus *in Eccleſiaſten Homil. 6.* „ In iis quæ præceſſe„ runt, damnata ſunt omnia tanquam „ vana, in quæ confertur ab homine „ ſtudium ob nullum lucrum animæ.

Idem lib. de Virginitate cap. 21. „ Quo„ niam manifeſto compertum eſt, non „ poſſe quempiam ad puritatem Dei ac„ cedere, niſi talis prius ipſe factus eſt „ (ut ſit liber ab affectibus omnibus „ mundanis & corporeis) illud certe „ neceſſarium eſt, ut ſe magno aliquo „ ac firmo muro interjecto a voluptati„ bus removeat, ut nullo pacto hac „ appropinquatione cordis inquinetur „ mundities: murus vero firmiſſimus „ eſt quædam ab affectuum imperio ab„ alienatio. Cum enim voluptas gene„ re una ſit, velut aqua aliqua, quæ „ ab uno fonte manans in varios rivu„ los dividitur, ſic illa per ſingulas „ ſenſuum vias ſeſe in voluptatum ama„ tores diffundit. Igitur qui ex uno ali„ quo ejus voluptatis ſenſu, quæ ſibi „ inhæret, victus eſt, ex ea parte in „ corde plagam accepit. Quoniam qui „ oculorum ſenſu cupiditatem explevit „ corde, is peccati labem concepit. „ Quare ut ne hoc eveniat regula eſt „ hæc adhibenda, ut animum ne un„ quam ad aliquid quis adjungat, in „ quo aliqua admixta eſt voluptatis cu„ piditas. -- Ergo continentior diſcipli„ na eſt adhibenda, ut non voluptatem, „ ſed neceſſarium in ſingulis uſum de„ lectationis modum & terminum con„ ſtituamus. Sin autem cum neceſſitate „ jucunditas ſæpe commixta eſt, opor„ tet neque propter oblectationem, quæ „ conſequitur, neceſſitatem abjicere, „ neque propter ipſam neceſſitatem vo„ luptatem perſequi, ſed ex omnibus „ eligendo, quod utile eſt, illa quæ „ ſenſum oblectant, negligere nos debe„ mus. *Et cap.* 22. Qui temperantiam „ colit, a voluptate neceſſitatem quaſi „ a paleis frumentum ſejungit, ut vo„ luptatem ad beſtias ejiciat, quarum „ conſummatio in combuſtionem; ne„ ceſſitatem rerum ſuavium, quatenus „ oportet, ipſe ſumat.

Idem in Pſalmos cap. 1. „ Finis vitæ „ ex virtutis præſcripto inſtitutæ eſt bea„ titudo. Quidquid enim ſerio & deli„ berate agitur, ad aliquid relationem „ habeat neceſſe eſt. Et quemadmodum „ medicina ſanitatem ſpectat, finiſque „ agriculturæ eſt rerum ad victum ne„ ceſſarium præparatio, ſic & virtutis „ poſſeſſio in id unum intendit, ut bea„ tum efficiat.

IX.

D. Ambrosius *in Pſal.* 38. ad illa verba: *Ut non delinquam in lingua mea.* „ Si hoc cavet Propheta, tu non caves? „ tu non reformidas, cui ſcriptum eſt „ in Evangelio, quia pro omni verbo „ otioſo rationem es redditurus? ſi pro „ otioſo verbo periculum eſt, quanto „ magis pro criminoſo. Non omne „ quod otioſum, & criminoſum; ſed „ omne, quod non fructuoſum, pericu„ loſum atque eradicabile; omnis enim „ arbor non faciens fructum excidetur, „ & in ignem mittetur.

Idem in Pſalm. 118. ad illa verba: *Loquetur lingua mea verbum tuum*, ait:

„ Qui didicerit juſtitias Dei, loquitur „ verbum Dei, & qui verbum Dei loquitur, otioſum verbum non loquitur: otioſum verbum eſt loqui opera „ hominum. Ideo ſanctus rogat ſibi „ dari gratiam, ut non loquatur opera „ hominum, quia otioſum verbum eſt; „ nec ſolum otioſum, ſed etiam periculoſum, pro quo rationem reddituri „ ſumus: non enim mediocre periculum eſt, cum habeas tanta eloquia „ Dei, & Dei opera, quæ fecit in Geneſi, in Exodo &c. illis prætermiſſis „ loquaris, quæ ſæculi ſunt, audias quæ „ ſæculi ſunt: --- ideo & adverſarius „ frequenter etiam orantibus ſæculares „ offundit cogitationes. Si ergo non debemus audire ſæcularia vel ſuperflua, „ quanto magis non debemus obloqui.

Idem in cap. 1. *Malachiæ Sermone*, qui ab aliis creditur eſſe S. Maximi, ſic habet: „ Qui eſt utilis Chriſtianus, „ ſemper debet Patri ac Domino ſuo „ laudes dicere, & in ejus gloriam omnia procurare, ſicut ait Apoſtolus: „ Sive manducatis, ſive bibitis, ſive „ aliud quid facitis, omnia in gloriam „ Dei facite. Vide quale viri Chriſtiani Apoſtolus voluit eſſe convivium? „ omnia, inquit, in gloriam Dei facite. Omnes ergo actus noſtros Chriſto „ vult ſocio vel teſte compleri, hac ſcilicet ratione, ut bona ipſo authore „ faciamus, mala propter ipſius contubernium declinemus. Debemus ergo „ ſurgentes gratias agere Chriſto, & „ omne diei opus in ſigno facere Salvatoris; in hoc nomine omnes actus „ noſtri dirigendi ſunt, & ad ipſum totius vitæ noſtræ commotio referenda.

Idem lib. 1. *de officiis cap.* 2. *&* 3. „ Si pro otioſo verbo unuſquiſque reddet rationem, quanto magis pro verbo impuritatis & turpitudinis? Deinde, ſi pro otioſo verbo reddemus rationem, videamus ne reddamus & pro otioſo ſilentio. *Et cap.* 9. Nos nihil „ omnino, niſi quod deceat & honeſtum ſit, futurorum magis quam præſentium metimur formula, nihilque „ utile, niſi quod ad vitæ illius æternæ „ profit gratiam definimus, non quod „ ad delectationem præſentis.

X.

D. Chrysostomus in multis locis in Reſp. ad Object. II. referendis negat actum indifferentem.

X I.

D. Hieronymus *in Eſaiam cap.* 5. reprobat omnes delitias, quæ ſtatum mentis evertere poſſunt a conſideratione divinorum, ad illum textum: *Væ qui conſurgitis mane ad ebrietatem ſectandam & potandum uſque ad veſperam: cythara, & lyra, tympanum & tibia, vinum in conviviis veſtris, & opus Domini non reſpicitis, nec opera manuum ejus conſideratis: propterea ductus eſt captivus populus meus, quia non habuit ſcientiam, & nobiles ejus interierunt fame, & multitudo ejus ſiti exaruit*; ſic habet: „ Luxuriæ ſe & voluptatibus „ tradiderunt: non ſolum in veſcendo „ & bibendo, ſed in aurium quoque „ oblectatione, & in diverſis muſicæ artis generibus: qui cum iſta faciunt, „ opus Domini non reſpiciunt, nec conſiderant, quæ futura ſunt. Abutamur „ hoc teſtimonio adverſus principes Eccleſiæ, qui delitiis occupati ex creaturis non intelligunt creatorem, nec „ conſiderant opera manuum ejus. *Et „ in cap.* 19. *Eſaiæ*. Quando vivimus in „ delitiis, & jacemus ſuper lectos eburneos, & primis ungimur unguentis, „ loquimur lingua Ægyptiaca, id eſt, „ aliena a beneplacito divino & exoſa „ Deo.

Idem in Ezech. cap. 33. „ Servus, qui „ ſe luxuriæ tradit & otio, dividetur, „ id eſt, mucrone ferietur, & pars ejus „ ponetur cum infidelibus. “ Si ergo juxta Hieronymum datur magnum otium inferno dignum, neceſſe eſt, illud accreſcere ex parvis otiis levi pœna dignis, adeoque omne otium utut leve, eſſe vituperabile.

Idem in Micheæ cap. 6. „ Poſcit Dominus a nobis accipere, quod nobis „ profit, ut faciamus judicium, id eſt, „ ut nihil abſque ratione & conſilio faciamus, ut ante mens judicet quid „ fa-

„ factura ſit, & poſtea opere compleat: „ ambulare cum Domino non eſt præ- „ mium, ſed præceptum; ſicut enim „ jubetur nobis, ut faciamus judicium „ & miſericordiam, ita præcipitur, ut „ præparati ſimus ambulare cum Domi- „ no Deo noſtro; nulla hora dormire, „ nullo tempore ſecuri eſſe debemus, ſed „ ſemper exſpectare patremfamilias ve- „ nientem, & diem formidare judicii, „ & in nocte hujus ſæculi dicere: *Ego* „ *dormio & cor meum vigilat*. Verbum „ quod Septuaginta tranſtulerunt, *pa-* „ *ratum eſſe*, & nos diximus, *ſollicitum* „ *ambulare*, Theodotio ſignificantius ex- „ preſſit, cave diligenter, ut ambules „ cum Deo tuo. " Si ergo nulla hora vitæ noſtræ rationalis licet dormire, ſed neceſſe eſt cum Deo verſari, & omnia cum ratione agere, non licet quidquam agere ex hoc ſolo motivo, quia ita placet: in hujuſmodi enim actu non concurrit ratio, ſed ſola voluntas.

Idem in Matthæum cap. 12. ad illa verba: *Quoniam omne verbum otioſum &c.* „ Senſus eſt, inquit; ſi otioſum „ verbum, quod nequaquam ædificat „ audientes, non eſt abſque periculo e- „ jus, qui loquitur, & in die judicii „ unuſquiſque redditurus eſt rationem „ ſermonum ſuorum, quanto magis vos, „ qui calumniamini Spiritum ſanctum? „ otioſum verbum eſt, quod ſine utili- „ tate & loquentis dicitur, & audien- „ tis; ſi omiſſis ſeriis de rebus frivolis „ loquamur, & fabulas narremus anti- „ quas. Cæterum qui ſcurrilia replicat, „ & cachinnis ora diſſolvit, & aliquid „ profert turpitudinis, hic non otioſi „ verbi, ſed criminoſi tenebitur re- „ us.

Idem in Epiſt. ad Galatas cap. 5. ad illa verba: *Spiritu ambulate. Caro autem concupiſcit adverſus ſpiritum, ſpiritus autem adverſus carnem*. „ Caro, in- „ quit, delectatur præſentibus & brevi- „ bus; ſpiritus perpetuis & futuris: in- „ ter hoc jurgium media anima conſi- „ ſtit, habens in ſua poteſtate malum „ & bonum, velle vel nolle. -- Quod „ ait: Ut non quæcunque vultis, illa „ faciatis, (ſic intelligendum) ut non „ quo proprium tulerit arbitrium, quo „ vel carni vel ſpiritui aſſentiamur, ſed „ quia quod facimus opus vel carni vel „ ſpiritui deputatur: *grandis laboris &* „ *diſputationis eſt nimiæ* (id eſt, *fru-* „ *ſtraneæ*) *oſtenſis operibus carnis &* „ *ſpiritus, media aliqua reperire, quæ* „ *nec ad carnem videantur pertinere, nec* „ *ad ſpiritum*.

Idem in eandem Epiſt. cap. 6. ad illa verba: *Qui ſeminat in carne ſua, de carne & metet corruptionem: qui autem ſeminat in ſpiritu, de ſpiritu metet vitam æternam*, ſic habet: „ *Omne quod* „ *loquimur, agimus, cogitamns, in duo-* „ *bus ſeminatur agris, carne & ſpiritu;* „ *ſi bona ſunt, quæ manu, ore, corde* „ *promuntur, ſeminata in ſpiritu vitæ æ-* „ *ternæ fructibus redundabunt: ſi mala,* „ *ab agro carnis excepta, corruptionis no-* „ *bis ſegetem pullulabunt*. -- Addendum „ eſt, eos quoque qui comedant & bi- „ bant, & dormiant, & aliquid faciant „ ob refrigerium corporis (juxta Tatia- „ ni hæreſiarchæ principia) ſeminare in „ carne, & de ea metere corruptionem. „ Quod ſi ad hoc confugerit, ut dicat, „ eos qui ſive bibant, ſive manducent, „ ſive dormiant, in nomine tamen Do- „ mini omnia cum ratione perficiant, „ non in carne ſeminare, ſed in ſpiri- „ tu; & nos ei ſimiliter reſpondebimus, „ eos quoque qui Dei primam ſenten- „ tiam ſequantur cum ratione facientes, „ non in carne ſed in ſpiritu ſeminare." Ex hoc Divi Hieronymi textu ſequitur, non dari opus, quin pertineat ad opere carnis vel ſpiritus: ſequitur etiam, omne quod cum ratione fit, pertinere ad ſpiritum, adeoque hæreditare vitam, ac proin eſſe meritorium.

Idem in Pſal. 1. „ Juſtus ſive man- „ ducat ſive bibit ſive dormit, in no- „ mine Domini omnia faciens medita- „ tur legem ejus die ac nocte.

Idem in Pſalm. 140. ad illa verba: *Pone cuſtodiam ori meo*, dicit: „ Mors „ & vita in manibus linguæ. Et ite- „ rum: De omni verbo otioſo reddent „ rationem. Hoc ergo poſtulat prophe- „ ta,

„ ta, ut omne quod loquitur, non sit „ otiosum, sed sanctum, & dignum „ Deo. " Ex hoc textu sequitur, non supponi verbum medium inter otiosum & sanctum: inter illud, quod pertinet ad vitam, & quod pertinet ad mortem.

XII.

S. Augustinus *l.* 10. Confess. *c.* 31. fatetur se peccare, si aut transeat limites necessitatis, aut trahi se patiatur a desiderio voluptatis. „ Reficimus, inquit, quotidianas ruinas corporis comedendo & bibendo, nunc autem suavis est mihi necessitas, & „ adversus istam suavitatem pugno ne „ capiar. Hoc me docuisti, ut quemadmodum medicamenta, sic alimenta „ sumpturus accedam: sed cum salus „ sit causa edendi & bibendi, adjungit „ se tanquam pedisequa periculosa jucunditas, & plerumque præire conatur, ut ejus causa fiat, quod salutis „ causa facere me dico vel volo. Nec „ idem utriusque modus est; nam quod „ saluti satis est, delectationi parum „ est. Et sæpe incertum sit, utrum adhuc necessaria corporis cura subsidium „ petat, an voluptuaria cupiditatis fallacia ministerium suppetat. Ad hoc „ incertum hilarescit infelix anima, & „ in eo præparat excusationis patrocinium, gaudens non apparere, quid „ satis sit moderationi valetudinis, ut „ obtentu salutis obumbret negotium „ voluptatis. His tentationibus quotidie conor resistere -- In his tentationibus positus certo quotidie adversus „ concupiscentiam manducandi & bibendi -- Et quis est, qui non rapiatur aliquantulum extra metas necessitatis? Quisquis est, magnus est; ego „ non sum, quia peccator homo sum." Si daretur licentia, appetitu aliquo & voluptate alias moderata naturæ frui, frustra S. Augustinus conquereretur de periculo pugnæ; & frustra se accusaret, si præcise cederet moderatæ voluptati.

Idem l. 10. *Confess. C.* 33. „ In sonis, quos animant eloquia tua, cum „ suavi & artificiosa voce cantantur, „ fateor aliquantulum aquiesco, non „ quidem ut hæream: sed ut surgam „ cum volo, -- sed delectatio carnis „ meæ, cui mentem enervandam non „ oportet dari, sæpe me fallit, dum „ rationem sensus non ita comitatur, „ ut patienter sit posterior, sed tantum „ quia propter illam meruit admitti, „ etiam præcurrere ac ducere conatur, „ ita in his pecco non sentiens, sed „ postea sentio, -- tamen cum mihi accidit, ut me amplius cantus quam res „ quæ canitur moveat, pœnaliter me „ peccare confiteor. " In hoc ergo textu agnoscit peccatum, si causa motiva actionis sit voluptas seu illecebra.

Idem l. 10. *Confess. C.* 35. „ Accedit alia forma tentationis multiplicius „ periculosa, præter eam enim concupiscentiam, quæ inest in delectatione omnium sensuum & voluptatum, „ inest animæ per eosdem sensus corporis quædam non se oblectandi in carne sed experiendi per carnem vana & „ curiosa cupiditas nomine cognitionis „ & scientiæ palliata, -- quæ generalis experientia sensuum concupiscentia „ oculorum vocatur. -- Ex hoc autem „ discernitur, quid (causa) voluptatis, quid (causa) curiositatis agatur „ per sensus, quod voluptas pulchra, „ canora, suavia, sapida, levia sectatur, curiositas autem etiam his contraria tentandi causa; quid enim voluptatis habet in laniato cadavere, „ & tamen sicubi jaceat concurrunt. „ Hinc ad scrutanda naturæ secreta proceditur, quæ scire nihil prodest, & „ nihil aliud quam scire homines cupiunt. In hac immensa sylva plena „ insidiarum & periculorum, quam multa præciderim, (nosti) Deus: -- verumtamen in quam multis minutissimis & contemptibilibus rebus curiositas quotidie nostra tentatur, & quam „ sæpe labamur, quis enumerat? quoties narrantes inania primo quasi toleramus, deinde paulatim libenter advertimus. Canem currentem post leporem jam non specto, cum in cir-

„ co

„ eo fit, at vero in agro ſi tranſeam, „ avertit me fortaſſis & ab aliqua magna cogitatione ad ſe convertit illa „ venatio, non deviare cogens corpore „ jumenti, ſed cordis inclinatione. Et „ niſi jam demonſtrata infirmitate mea „ cito admoneas ex ipſa viſione per aliquam conſiderationem in te aſſurgere, aut totum contemnere, vanus „ hebeſco. Quid cum me domi ſedentem ſtellio muſcas captans vel aranea retibus ſuis irretiens, ſæpe intentum facit? pergo inde ad laudandum te creatorem mirificum, ſed non „ inde intentus eſſe incipio. Aliud eſt „ cito ſurgere, aliud eſt non cadere. „ In hujuſmodi rebus conceptaculum fit „ cor noſtrum, & portat copioſæ vanitatis catervas, hinc & orationes noſtræ ſæpe interrumpuntur atque turbantur, & dum ad aures tuas vocem „ intendimus, irruentibus nugatoriis cogitationibus res tanta præciditur. “ Ex hoc textu colligitur, S. Auguſtinum non reſpuere aut ejuſmodi objectorum notitiam, aut delectationem, ſi ad eam non impellat inclinans concupiſcentia ſeu præcedens rationem inclinatio inordinata, ſed motivum inde aſſurgendi in laudem Dei quod & confirmatur ex eodem libro Conf. 10: c. 32. ubi dicit: „ De illecebra odorum non ſatago nimis; cum abſunt, non requiro, cum „ adſunt, non reſpuo, paratus eis etiam ſemper carere. Ita mihi videor, „ fortaſſis fallor: nemo ſecurus eſſe debet in hac vita, quæ tota tentatio „ nominatur, utrum qui fieri potuit ex „ deteriore melior, non fiat etiam ex „ meliore deterior. “ Id quod certo fieret, niſi ejuſmodi notitiæ aut delectationes, non prævenientes indifferentiam rationis, aſſumerentur ex motivo aſſurgendi efficaciter in Deum.

Idem in l. de Muſica, quem ſcripſit ante ſuum baptiſmum C. 4. inducit Magiſtrum ad ſuum diſcipulum ſic loquentem. „ Dic mihi, nonne ii pecoribus comparandi ſunt, qui aut ſuaviter canunt, aut canentes libenter „ audiunt ſine ſcientia numerorum. *Diſcipulus*. Cenſeo, ſed pene in omne „ genus humanum tendit hæc contumelia. *Magiſter*. Non eſt, quod putas. Nam magni viri, etſi Muſicam „ neſciunt, aut poſt magnas curas relaxandi ac reparandi animi gratia moderatiſſime ab iis aliquid voluptatis „ aſſumunt, quam interdum ſic capere „ moleſtiſſimum eſt, ab ea vero capi „ vel interdum turpe atque indecorum „ eſt.

Et l. 6. de Muſica c. 14. „ *Magiſter*. „ Videamus quænam actio animæ divinitus imperetur, qua (actione) purgata intret in gaudium Domini. — „ Quid me putas debere (aliud) dicere, cum Scripturæ nihil nobiſcum aliud agant, niſi ut diligamus Deum „ ex toto corde, ex tota anima, & „ ex tota mente, & proximum tanquam noſipſos. Ad hunc finem, ſi „ omnes actionis humanæ motus referamus, ſine dubitatione mundabimur. “ In hoc textu docemur, nos mundari non poſſe ad æternam aſſequendam vitam, niſi mundetur intentio noſtra ab omni affectu ad vana ac inutilia Deo & proximo.

Idem in Epiſtola 19. *ad Hieronymum* fatetur, dari actum indifferentem ex ſuo genere, non tamen in individuo. D. Hieronymus in Epiſtola ad Auguſtinum carpit, quod obſervantiam cæremoniarum Judaicarum voluerit, aliquando fuiſſe indifferentem; ſic habet. „ Quid „ velis dicere, ſine ulla ſalutis neceſſitate (a Paulo obſervatas eſſe cæremonias Judaicas) non ſatis intelligo. „ Si enim ſalutem non afferunt, cur „ obſervantur? ſi autem obſervanda ſunt, „ utique ſalutem afferunt, maxime quæ „ obſervata Martyres faciunt (prout factum in Machabæis) Neque enim „ indifferentia ſunt inter bonum & malum, ſicut Philoſophi diſputant, bonum eſt continentia, malum eſt luxuria, inter utrumque indifferens, ambulare, digerere alvi ſtercora, capitis purgamenta naribus projicere, ſputis rheumata jacere: hoc nec bonum „ nec malum eſt: ſive enim feceris „

„ sive non feceris, nec justitiam habe-
„ bis, nec injustitiam. Observare au-
„ tem legis cæremonias non potest esse
„ indifferens, sed aut malum est, aut
„ bonum est. Tu dicis bonum, ego
„ affero malum." Ad hoc Respondet S. Augustinus sic: „ Judæi invidiam & „ persecutionem molientes concitare Paulo, tanquam inimicum legis criminabantur; cujus falsæ criminationis „ invidiam congruentius devitare non „ poterat, quam ut ea ipse celebraret, „ quæ damnare tanquam sacrilega putabatur, atque ita ostenderet, nec „ Judæos tunc ab eis tanquam a nefariis prohibendos, nec gentiles ad ea „ tanquam necessaria compellendos. -- „ Sed cavendum est videlicet in hac disputatione, ne sicut Philosophi quædam facta hominum media dicamus „ inter recte factum & peccatum, quæ „ neque in recte factis, nec in peccatis numerentur. Ego vero Apostolis „ exemplum Philosophorum non timeo, „ quando & illi veri aliquid dicunt, „ non propterea vani sunt, quia omnia „ falsa dicunt. Vellem, me doceret „ sincera benignitas tua, utrum simulate Sanctus quisquam Orientalis, cum „ Romam venerit, jejunet Sabbatho? „ Quod si malum esse dixerimus, Romanam Ecclesiam damnabimus; si „ autem non jejunare Sabbatho malum „ putaverimus, tot Ecclesias Orientis „ criminabimur? Placetne tibi, ut medium quiddam esse dicamus, quod „ tamen acceptabile (id est, meritorium) sit ei, qui hoc non simulate „ sed congruenti societate atque observantia fecerit? Et tamen nihil inde „ in Canonicis libris legimus præceptum „ esse Christianis.

Idem l. 83. *quæst. q.* 30. afferit, omne objectum voluntatis aut esse *utendum* ut medium ad alium finem; aut *fruendum* ut ipsum finem. Itaque non potest dari objectum indifferens in individuo, quod non debeat referri ad alium finem. „ Sicut, inquit, inter ho-
„ nestum & utile interest, ita & inter
„ *fruendum & utendum*: honestum ma-
„ gis proprie atque usitatius dicitur,
„ quod propter se expetendum est, utile autem quod ad aliud aliquid referendum est: secundum hanc differentiam nunc loquimur: frui ergo dicimur ea re, de qua capimus voluptatem; utimur ea, quam referimus ad „ id, unde voluptas capienda est. Omnis itaque humana perversio est, quod „ etiam vitium vocatur, fruendis uti „ velle, atque utendis frui: & rursus „ omnis ordinatio, quæ virtus etiam „ nominatur, fruendis frui, & utendis uti: uti autem aliqua re non „ potest, nisi animal quod est rationis „ particeps. Scire namque, quo quidque referendum sit, non datum est „ rationis expertibus: nec uti quisque „ ea re potest, quæ quo referenda sit „ nescit, nec quisquam potest scire, nisi „ sapiens. Perfecta igitur hominis ratio quæ virtus vocatur, utitur primo „ seipsa ad intelligendum Deum, ut eo „ fruatur, utitur autem cæteris rationalibus animantibus ad societatem, „ irrationalibus ad eminentiam vitam „ etiam suam ad id refert, ut fruatur „ Deo, ita enim beata est. Ergo & „ ipsa utitur, quæ profecto inchoat miseriam suam per superbiam, si ad se-
„ ipsam, non ad Deum referatur. Utitur etiam corporibus quibusdam vivificandis ad beneficentiam; sic enim „ utitur suo corpore, quibusdam assumendis vel respuendis ad valetudinem, „ quibusdam tolerandis ad patientiam, „ quibusdam ordinandis ad justitiam, „ quibusdam considerandis ad aliquod veritatis documentum: utitur etiam iis, „ a quibus se abstinet, ad temperantiam. „ Ita omnibus sensis & non sensis utitur, nec aliquod tertium est. Judicat autem de omnibus, quibus utitur; de solo Deo non judicat, quia „ secundum Deum de cæteris judicat, „ nec eo utitur sed fruitur: neque enim ad aliud aliquid Deus referendus „ est. -- Omnia ergo quæ facta sunt, „ in usum hominis facta sunt, quia „ omnibus utitur judicando ratio quæ „ homini data sunt.

Idem

Idem in Tract. de Epicureis & Stoicis cap. 3. & 4. oſtenſurus omnes homines, etiam impios, beatam vitam quærere, id probat ex actionibus ſingularibus, ergo ſupponit, omnem actionem referendam neceſſario ad vitam beatam, non utique apparenter talem & in hac vita, ſed vere talem in altera, ſic habet: „ Communiter omnes „ Philoſophi ſtudendo, diſputando, vivendo appetierunt apprehendere beatam vitam. Hæc una fuit cauſa philoſophandi. Sed puto quod etiam hoc „ Philoſophi nobiſcum commune habent. Appetitio beatæ vitæ Philoſophis Chriſtianiſque communis eſt. Vitam beatam appetere, ac ſectari omnium hominum eſſe arbitror, prorſus „ omnium bonorum & malorum, v. g. „ pone aliquem furem; quæro ab illo; „ quare furtum facis? ut habeam, inquit, quod non habebam. Quare vis „ habere, quod non habebas? quia miſerum eſt non habere. Si ergo miſerum eſt, non habere, beatum putat „ habere, ſed in eo errat, quia de malo vult beatus fieri.

Idem l. 2. *De peccatorum meritis c.*18. Tantum agnoſcit duas voluntates, una quæ cooperatur gratiæ, & bona eſt; altera, quæ non cooperatur gratiæ, quæ mala eſt: & hoc neceſſario conſequitur ex eo principio, quod ad omnem actum liberum detur a Deo gratia ſufficiens ad merendum. Sic habet: Laborant „ homines invenire in noſtra voluntate, „ quid boni ſit noſtrum, quod non ſit „ ex Deo, & quomodo inveniri poſſit „ ignoro. Apoſtolus ait, cum de bonis „ hominum loqueretur: Quid habes, „ quod non accepiſti? -- Illud Apoſtoli ſic defendere quidam voluerunt, ut „ dicerent: Ideo, quidquid homo habet bonæ voluntatis, Deo tribuendum eſſe, quia cum homo ut ſit, non „ habeat niſi a Deo cui non authori „ Deo tribuatur etiam quidquid in illo „ eſt bonæ voluntatis? Sed hoc modo „ dici poteſt, malam quoque voluntatem „ Deo authori eſſe tribuendam. Quapropter niſi obtineamus; non ſolum „ voluntatis arbitrium, ſed etiam voluntatem bonam, niſi ex Deo nobis eſſe non poſſe, neſcio quomodo defendamus quod dictum eſt: Quid „ habes, quod non accepiſti? nam ſi „ nobis libera quædam voluntas (ſeu „ potentia) ex Deo eſt, quæ adhuc poteſt eſſe bona vel mala; bona vero „ voluntas ex nobis eſt, melius eſt id, „ quod a nobis, quam quod ab illo eſt. „ Quod ſi abſurdiſſime dicitur, oportet fateantur, etiam bonam voluntatem nos divinitus adipiſci, quamquam voluntas mirum ſi poteſt in „ medio quodam ita conſiſtere, ut nec „ bona nec mala ſit. Aut enim juſtitiam diligimus & bona eſt, aut ſi „ omnino non diligimus, non bona eſt. „ Quis vero dubitet dicere, voluntatem „ nullo modo juſtitiam diligentem non „ modo eſſe malam, ſed etiam peſſimam „ voluntatem? Si ergo voluntas aut bona eſt, aut mala, & utique malum „ non habemus ex Deo, reſtat ut bonam voluntatem habeamus ex Deo. - „ Quocirca quod nos a Deo avertimus „ noſtrum eſt, & hæc eſt voluntas mala; quod vero ad Deum nos convertimus, niſi ipſo excitante atque adjuvante non poſſumus, & hæc eſt voluntas bona. Ex hoc textu clarum „ eſt, ad omnem actum liberum dari „ gratiam Dei excitantem, cum utique „ in omni actu libero poſſimus mereri „ ſi volumus. Itaque per actum indifferentem fruſtraretur effectu ſuo gratia „ Dei excitans, & adjuvans, quod eſt „ malum. " Hæc argumentatio S. Auguſtini confirmatur ex l. 4. contra Julianum c. 3. " Si veram juſtitiam non „ habent impii, profecto nec alias virtutes comites ejus & ſocias; quia cum „ non ad ſuum referuntur authorem dona Dei, hoc ipſo mali his utentes efficiuntur injuſti: ac per hoc nec continentia ſive pudicitia vera virtus eſt „ impiorum.

Idem Serm. 18. *de diverſis c.* 4., agnoſcit peccatum in omni actione, quæ non fit ex motivo ſupernaturali, ſed tantum temporali. „ Peccatum, inquit, „ non

„ non solum illud est, quod in turpi aut „ iniquo facto apparet hominibus; sed „ etiam si habeat speciem boni operis, „ & tamen propter mercedem temporalem fiat, non propter requiem sempiternam. Quodlibet enim quisque facit, si hoc animo facit, ut terrenum „ emolumentum consequatur, serviliter „ facit. Gratis amandus est Deus, nec „ anima potest nisi in eo, quod diligit, „ requiescere: æterna autem requies ei „ non datur, nisi in dilectione Dei. " Ex hoc sequitur, reperiri deordinationem servilitatis in actu virtualiter non ordinato ad fruitionem Dei, cum qua deordinatione, sicut cum quovis alio peccato veniali non potest perveniri ad visionem Dei.

XIII.

S. Leo *Serm.* 5. *De Jejunio septimi mensis*. „ Apostolus ait: *Qui se dicit in Christo manere, debet sicut ille ambulavit & ipse ambulare*; alioqui falsæ professionis imagine utimur, si cujus nomine gloriamur, ejus instituta non sequimur. „ Quæ utique nobis onerosa non essent „ & ab omnibus nos periculis liberarent, „ si nihil aliud, quam quod amandum jubetur amaremus. Duo namque amores sunt, ex quibus omnes prodeunt „ voluntates, ita diversæ qualitatibus, „ sicut dividuntur authoribus, rationabilis enim animus, qui sine dilectione „ esse non potest, aut Dei amator est aut „ mundi: in dilectione Dei nulla nimia; „ in dilectione autem mundi cuncta sunt „ noxia. Et ideo æternis bonis inseparabiliter inhærendum, temporalibus vero transeunter utendum est, ut peregrinantibus nobis, & ad patriam redire properantibus, quidquid de prosperitatibus mundi occurrerit, viaticum „ sit itineris, non illecebra mansionis. — „ Quod de specie, de copia, de varietate blanditur, non facile declinatur, „ nisi in illa visibilium pulchritudine creator potius, quam creatura diligatur; „ qui cum dicit: Diliges Dominum Deum „ tuum ex toto corde tuo, & ex tota „ mente tua, & ex tota virtute tua, in „ nullo nos vult ab amoris sui vinculis „ relaxari.

Idem in Serm. 8. *De Jejunio septimi mensis*. „ Omnis divinorum eruditio præceptorum hoc maxime agit apud corda credentium, ut amor pravus recto „ amore superetur, & delectatione justitiæ peccandi cupiditas destruatur, „ dicente scriptura: Post concupiscentias „ tuas non eas, & a voluntate tua avertere. Cum autem sint in animis hominum multæ bonæ concupiscentiæ & „ laudabiles voluntates, quid est, quod „ jubetur, ut nostris non consentiamus affectibus, nisi quod ab illa concupiscentia prohibemur, & ab illa voluntate „ revocamur, cujus ortus ex nobis est; „ & ideo mala pronunciatur, quia nostra esse convincitur? Ad distinctiones „ igitur concupiscentiarum, quæ sunt „ ex Deo, bene homini dictum est: „ *Post concupiscentias tuas non eas*, ut „ quas cognoverit proprias, sciat esse „ vitandas. Merito ergo Dominus noluit „ in oratione, quam nobis tradidit, nos „ dicere: Fiat voluntas nostra, sed *fiat voluntas tua*, hoc est, non illa, quam „ caro incitat, sed quam Spiritus Sanctus inspirat. „ En S. Leo omnes actiones ad amorem Dei revocat; & mundi; quod cum de amore Dei formali & actuali, intelligi non possit ob damnationem propositionis Quesnellianæ, id saltem intelligendum de amore Dei virtuali, aut latæ & reductive tali. Idem haud dubie actionem conceptam ex solo motivo voluptatis & beneplaciti non revocaret ad impulsum Spiritus Sancti, sed ad concupiscentiam & voluntatem propriam.

Idem Serm. De Jejunio decimi mensis. „ Homo ad imaginem & similitudinem „ Dei factus, nihil habet in naturæ suæ „ honore tam proprium, quam ut bonitatem sui imitetur authoris, qui donorum suorum, sicut misericors largitor est, ita & justus exactor, volens „ nos operum suorum esse consortes, ut „ quamvis nullam nos valeamus creare „ naturam, possimus tamen acceptam „ per Dei gratiam exercere materiam, „ quia non ita usui nostro bona terrena „ collata sunt, ut carnalium tantum sen-

„ su-

„ ſuum voluptati, ſatietatique ſervirent, „ alioquin nihil a pecudibus diſtaremus ; „ ubi autem illuminatio rationis, ibi & „ diſciplina pietatis, quæ dilectionem & „ Deo debet & proximo.

XIV.

S. GREGORIUS M. *l.* 1. *Moralium c.* 4. „ Nonnulla ſunt vitia, quæ a conviviis „ aut ſeparari vix poſſunt, aut certe ne- „ quaquam poſſunt. Pene enim ſemper „ epulas comitatur voluptas ; nam cum „ corpus in refectionis delectatione reſol- „ vitur, cor ad inane gaudium relaxa- „ tur, pene ſemper epulas loquacitas ſe- „ quitur. " Itaque juxta S. Gregorium, ſolum motivum voluptatis, inane gaudium, & loquacitas ad vitia referuntur.

Idem l. 4. *Moralium c.* 2. ad illa verba: *Pereat dies, in qua natus ſum.* „ Quis „ neſciat diem, in qua natus eſt, ne- „ quaquam tunc ſtare potuiſſe, motus „ quippe eſt temporis, ut ſtatum non ha- „ beat manſionis. -- Si autem non ſub- „ ſiſtebat, otioſum (verbum) eſt. Quiſ- „ quis vero ejus ſpiritu plenus eſt, qui „ ait: Omne verbum otioſum, quod lo- „ cuti fuerint homines, rationem red- „ dent de eo in die judicii, ita otioſa „ admittere, ſicut etiam pernitioſa for- „ midat.

Idem l. 7. *Moralium c.* 17. Veritas nos „ admonet dicens: *Omne verbum otioſum* „ *&c.* otioſum verbum eſt, quod aut „ ratione juſtæ neceſſitatis aut intentio- „ ne piæ utilitatis caret. " Idem textus repetitur in Paſtorali part. 3. admonit. 15.

Idem l. 26. *Moral. c.* 13. „ Omni cu- „ ſtodia mens ſervanda ; non enim ante „ oculos Dei vacuæ transvolant cogita- „ tiones noſtræ, & nulla momenta tem- „ poris tranſeunt ſine ſtatu retributionis „ (punientis utique aut præmiantis).

Idem l. 30. *Moral. c.* 13. „ Non ci- „ bus, ſed appetitus in vitio eſt: unde & „ lautiores cibos plerumque ſine culpa ſu- „ mimus, & abjectiores non ſine reatu „ conſcientiæ deguſtamus. -- Ea itaque „ ſumenda ſunt, quæ naturæ neceſſi- „ tas quærit, & non quæ edendi libido „ ſuggerit.

Et cap. 14. „ Sed magnus diſcretionis „ labor eſt huic exactori & aliquid im- „ pendere & aliquid denegare, & non „ dando gulam reſtringere, & dando na- „ turam nutrire. Quæ fortaſſe diſcretio „ ſubinfertur, cum dicitur: *Clamorem* „ *exactoris non audit*. Sermo namque hu- „ jus exactoris eſt neceſſaria poſtulatio na- „ turæ ; clamor vero ejus eſt menſuram „ neceſſitatis tranſiens appetitus gulæ. „ Hic itaque onager exactoris hujus Ser- „ monem audit, clamorem non audit ; „ quia diſcretus vir ac continens & uſque „ ad temperandam neceſſitatem ventrem „ reficit, & a voluptate reſtringit. Scien- „ dum vero quia ſic voluptas ſub neceſſi- „ tate ſe palliat, ut vix eam perfectus „ quiſque diſcernat. Sæpe in ipſa eden- „ di via furtive adjuncta voluptas ſub- „ ſequitur : nonnunquam vero etiam im- „ pudenter præire conatur. Sæpe dum ſi- „ bi mens ex neceſſitate blanditur, ex vo- „ luptate decipitur, ſcriptum quippe eſt: „ Carnis curam ne feceritis in deſideriis „ (hom. 13.) Quæ igitur fieri in deſide- „ rio prohibetur, in neceſſitate conceditur ; ſed ſæpe dum neceſſitati conde- „ ſcendimus, deſideriis deſervimus. „ Ex his D. Gregorii colligitur, omne illud, quod excedit limites neceſſitatis juſtæ, referendum ad Deſideria ab Apoſtolo in numero vitiorum poſita, quod & l. cc. ſequentia verba confirmant. „ Adjutorem, „ inquit, habemus intentionis internæ „ hunc hominem quem exterius geſtamus. „ Sæpe vero, dum quaſi concivi parci- „ mus, ad prælium hoſtem nutrimus-- „ Unde neceſſe eſt, ut homo interior æ- „ quus arbiter præſideat inter ſe, & eum „ quem exterius geſtat, quatenus ei ho- „ mo exterior ſemper ad debitum mini- „ ſterium ſufficiat, & nunquam ſuperbe „ libera cervice contradicat, nec moveat, „ ſiquid ſuggerendo ſubmurmurat, dum- „ modo eum calce dominationis pre- „ mat. Unde, quia unuſquiſque vir „ continens & debitæ neceſſitati con- „ gruit, & violentæ voluptati contradi- „ cit, dicitur: clamorem exactoris non „ audit.

Idem l. 3. *Moral. c.* 1. „ Unuſquiſque „ ſibi,

„ sibi, dum tactu veri luminis illustratur, „ ostenditur, & agnoscit quid sit culpa. „ Hinc mens sæpe, quamvis in quibusdam „ delinquat & nesciat, quamvis peccata quædam quasi nulla perpendat, „ cum tamen orationis compunctione se „ erigit, ad circumspiciendam se redit, „ nam cum neglectam se deserit, & noxio tepore torpescit, vel otiosa verba „ vel inutiles cogitationes minoris esse „ reatus omnimodo credit, at si igne „ compunctionis incalescens evigilet, illa quæ levia ante credidit, mox ut „ gravia ac mortifera perhorrescit; cuncta enim vel in minimis noxia quasi atrocissima refugit, quia introire ad se „ jam inania nulla permittit per conceptionem spiritus gravida.

Idem in Ezechielem lib. 1. *Homil.* 5. „ In electis & reprobis diversi sunt impetus; in electis videlicet impetus spiritus, in reprobis impetus carnis; impetus carnis ad odium, ad elationem, „ ad iram, ad jurgia; ad voluptat animum impellit; impetus vero spiritus „ ad charitatem, ad continentiam, ad „ lachrimas mentem pertrahit, unde „ necesse est, ut magna semper cura „ considerare debeamus in omne quod „ agimus, qui nos impetus ducat, utrum „ nostra cogitatio per impetum carnis, „ an per impetum spiritus impellatur; „ amare etenim terrena, exteriora bona „ non ad usum necessarium habere, sed „ ad voluptatem concupiscere, impetus „ carnis est; at contra amare cœlestia, „ contemnere transitoria, non ad fructum voluptatis transitoriæ, sed ad „ usum necessitatis quærere impetus spiritus est.

Idem in Ezech. lib. 1. *homil.* 11. ad illa verba: *Speculatorem te dedi domui Israel*, ait: „ O quam dura sunt mihi „ ista quæ loquor! quia memetipsum „ loquendo ferio, cujus neque lingua, „ ut dignum est, prædicationem sustinet, neque in quantum sufficit, vita „ sequitur linguam: qui otiosis verbis „ sæpe implicor; qui in conspectu Dei „ factus sum mutus in necessariis, verbosus in otiosis. Ego reum me esse „ non abnego; erit fortasse apud pium „ judicem impetratio veniæ ipsa cognitio culpæ. In monasterio positus valebam & ab otiosis linguam restringere & in intentione orationis pene „ continue mentem tenere: at postquam humerum pastorali curæ suppo„ sui, qua necessitate loci sæpe viris „ sæcularibus jungor, nonnunquam mihi linguæ disciplinam relaxo. Unde „ fit, ut sæpe eorum otiosa pariter audiam; sed quia ipse quoque infirmus „ sum, in otiosis sermonibus paulisper „ tractus libenter ea loqui incipio, quæ „ audire cœperam invitus; & ubi credebar cadere, libet jacere.“ Hæ tanti Doctoris quærelæ supponunt, ex ejus conscientia nulla admitti momenta temporis indifferentia.

Idem Epist. lib. 11. *Epist.* 3. „ Ad me „ perlatum est, vobis a perversis homi„ nibus esse prædicatum, ut Domini„ corum die nullus debeat lavari. Et „ quidem si pro luxuria ac voluptate „ quis lavari appetit, hoc fieri nec re„ liquo quolibet die concedimus; si autem pro necessitate corporis, hoc nec „ Dominicorum die prohibemus.

XV.

Damascenus *lib.* 2. *de Fide cap.* 39. tantum agnoscit duas providentias in Deo: unam *approbationis* respectu bonorum operum; alteram *permissionis* respectu operum malorum.

ARGUMENTUM II.

Divus Thomas negat actum indifferentem in individuo. Ergo non datur. *Consequentia* probatur. Non est verosimile, D. Thomam errare in Regula morum universalissima, influente in omnes actiones humanas. Nam evidens est, a D. Augustino, & D. Thoma formari mentem ferme totius Ecclesiæ. Itaque intererat providentiæ divinæ, suis luminibus sic dirigere intellectum tanti Doctoris, ne erraret in regula practica morum tam universali; aut certe præcavere, ne adoptaretur pro Regula doctrinæ ab omnibus ferme Universitatibus

bus & Ordinibus Religioſis totius Eccleſiæ, neve præſcriberetur ac commendaretur ab ipſis Romanis Pontificibus. Si enim Architectus, ut alibi Angelicus obſervat, eos lapides, quos deſtinat in frontem & ornamentum primarium ſui ædificii, provide expolit, & quadrat, quomodo veroſimile erit, Deum minori egiſſe providentia in præparando ac dirigendo circa regulam practicam morum univerſaliſſimam tanto Doctore, quem particulari operatione ſuæ providentiæ deſtinavit & evexit in Magiſtrum univerſalem Eccleſiæ?

Probatur ergo *Antecedens* ab inductione Textuum, quorum aliqui oſtendunt, omnes actiones humanas eſſe ordinandas ad finem ſupernaturalem, nempe ad ejus beatitudinem, ſeu finem ultimum. Ex aliis liquet, actiones humanas non poſſe pro fine ſuo habere ſolam voluptatem, ſed neceſſitatem naturæ, ſaltem late dictam, in quantum dicit ſuſtentationem congruam. Denique & illud eruitur, omnem actionem ordinatam ad finem naturalem rationi conformem ſufficienter cenſeri ordinatam eſſe etiam ad finem ſupernaturalem, ac eſſe meritoriam in eo, qui ſe & omnia ſua ordinat ad Deum.

Textus primus. 1. 2. q. 18. ar. 9. C. *Oportet, quod quilibet individualis actus habeat aliquam circumſtantiam, per quam trahatur ad bonum, vel malum, ad minus ex parte intentionis finis. Cum enim rationis ſit ordinare actus a deliberativa atione procedens, ſi non ſit ad debitum finem ordinatus, ex hoc ipſo repugnat rationi, & habet rationem mali. Si vero ordinetur ad debitum finem, convenit cum ordine rationis, unde habet rationem boni. Neceſſe eſt autem, quod vel ordinetur vel non ordinetur ad debitum finem: unde neceſſe eſt, omnem actum hominis a deliberativa ratione procedentem in individuo conſideratum bonum eſſe vel malum.*

Textus ſecundus. l. cc. ad 3. *Dicendum, quod omnis finis a deliberativa ratione intentus pertinet ad bonum alicujus virtutis, vel ad malum alicujus vitii. Nam hoc ipſum, quod aliquis agit ordinate ad ſuſtentationem vel quietem corporis, ad bonum virtutis ordinatur in eo, qui corpus ſuum ordinat ad bonum virtutis. Et item patet in aliis.*

Textus tertius. 2. 2. q. 141. ar. 6. C. *Dicendum, quod ſicut ex ſupradictis patet, bonum virtutis moralis præcipue conſiſtit in ordine rationis. Nam bonum hominis eſt ſecundum rationem eſſe, ut Dyoniſius dicit de Div. Nom. Præcipuus autem ordo rationis conſiſtit in hoc, quod aliqua in finem ordinat; & in hoc ordine maxime conſiſtit bonum rationis. Nam bonum habet rationem finis, & ipſe finis eſt regula eorum, quæ ſunt ad finem. Omnia autem delectabilia, quæ in uſum hominis veniunt, ordinantur ad aliquam hujus vitæ neceſſitatem, ſicut ad ſuum finem. Et ideo temperantia accipit neceſſitatem hujus vitæ, ſicut regulam delectabilium, quibus utitur, ut ſcilicet eis tantum utatur, quantum neceſſitas hujus vitæ requirit.*

Textus quartus. in 1. Sent. q. 3. ad 3. *Secundum Theologum* (id eſt, juxta Theologos) *nullus actus procedens a voluntate deliberata eſt indifferens; quia ſi referatur ad Deum, ſuppoſita gratia meritorius eſt. Si autem non eſt referibilis, peccatum eſt. Si vero eſt referibilis, & non refertur, vanus & otioſus eſt. Otioſum autem juxta Theologum inter peccata computatur.*

Textus quintus. l. cc. C. *Dicendum, quod quæcunque ſunt bona* (appetibilia ac eligibilia) *non habent bonitatem, niſi in quantum accedunt ad ſimilitudinem bonitatis divinæ.* (quæ ratione ſui eſt appetibilis) *Unde oportet, cum bonitas ſit ratio dilectionis & deſiderii, ut omnia amentur in ordine ad bonitatem primam, -- rebus mundi utendum eſt vel in quantum conferunt ad Dei cognitionem oſtendentes ipſius magnitudinem, vel quod præbent ſubſidium vitæ noſtræ ordinatæ in Deum. Similiter opera noſtra, quæ mala non ſunt, ab ipſo* (Deo) *ſunt, & propter ipſum facienda, non quod quamlibet operationem oporteat ſemper actualiter referre in Deum, ſed ſufficit, ut habitualiter*

liter in Deo constituant finem suæ voluntatis.

Textus sextus. In Epist. ad Coloss. ad illa verba : *Omne quodcunque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini nostri Jesu Christi facite*, addit : *Quidam dicunt, quod hoc est consilium, sed hoc non est verum.*

Dices 1. D. Thomas non potest esse indubitata agendorum regula in eo, in quo ipsi contradicitur ab aliis Doctoribus sanctitate aut pietate claris ; sed hoc contingit in præsenti articulo, ubi illi contradicitur ab Alensi, D. Bonaventura, & Scoto.

Respondeo. Negando Minorem, vel *distinguo*. Contradicitur ipsi ab Alensi & Bonaventura quoad punctum hujus controversiæ speculativum. *Transeat.* Quoad punctum hujus controversiæ practicum. *Nego.* Duo in hac controversia occurrunt dubia. Primum *dubium* est *practicum*, & consistit in eo, qualem modum tendendi *ex parte sua* in omni operatione habere debeat *homo*, quando agit deliberate comparando actionem suam ad Deum ? Et quoad hoc dubium convenit Alensis, & D. Bonaventura cum D. Thoma, prout ostendam in Responsione ad Objectionem primam ; quia æque, ac D. Thomas, docent, actionem referendam esse ad Deum. Alterum *dubium* est *speculativum*, & consistit in eo, quidnam *ex parte sua* faciat Deus, quando homo, qui se & omnia sua ordinat ad Deum, in particulari tamen explicite non cogitat de Deo, sed præcise ad hoc suam attentionem confert, ut agat conformiter rationi ? Quæritur enim, utrum Deus omnes hujusmodi actiones præmiet præmio supernaturali, si ponantur ab homine justo, qui se & omnia sua ordinavit ad Deum ? Quoad hoc punctum controversiæ speculativum forte dissentit Alensis & Bonaventura a D. Thoma, quamvis ne quidem hoc ipsum certum videatur attente legenti Alensem & D. Bonaventuram. Cum ergo Deus non teneatur sua providentia impedire dissensum SS. Patrum, & primariorum Doctorum Ecclesiæ quoad controversias speculativas, non pertinentes ad articulos fidei scitu Ecclesiæ necessarios, mirum non est, eatenus dari dissensum inter D. Thomam, & D. Bonaventuram. Sed in regula primaria ac universalissima morum quoad dubium practicum non decet divinam providentiam, permittere in Magistro Ecclesiæ receptissimo errorem, aut dissensum Doctorum præcipuorum Ecclesiæ. Scotum quod attinet, nec istum existimo erasse quoad punctum hujus controversiæ practicum, prout videri poterit in responsione ad objectionem primam. Si tamen errasset, id non impediret, quin D. Thomas habendus esset pro indubitata agendorum regula, quia divina providentia, quæ ad omnes suos fines uti solet congruis ac proportionatis mediis, videtur Scotum elegisse ad illustrandas controversias speculativas, non ad determinanda & novanda dubia practica. Speculativa enim indigent solo ingenio, quod plane subtilissimum Scoto divina providentia contulit. Practica autem indigent magna eruditione in scriptis Patrum ad cognoscendam traditionem Ecclesiæ, & experientia : ad utrumque autem, nempe ad eruditionem & experientiam opus est ætate profecta, quam Scoto negavit divina providentia, utpote mortuo in ætate triginta trium, vel ad summum triginta sex annorum.

Dices 2. Divus Thomas non requirit, ut omnia, quibus homo utitur, referantur ab operante ad aliquam necessitatem naturæ, sed sufficit juxta ipsum, dummodo referantur ad beatitudinem, quod fieri potest, ex percepta voluptate agnoscendo divinam bonitatem, eamque laudando, & appetendo. Ergo juxta Divum Thomam licebit appetere naturalem voluptatem non referendo illam ad alium finem naturalem, nempe ad necessitatem aliquam naturæ.

Antecedens probatur ex ejus textibus. 2. 2. q. 141. ar. 6. ad 1. *Dicendum, quod necessitas hujus vitæ habet rationem regulæ, in quantum est finis. Considerandum est autem, quod quandoque aliud est finis operantis, & aliud est finis operis ; sicut*

patet

patet, quod finis ædificationis eſt domus; ſed ædificatoris finis quandoque eſt lucrum. Sic ergo temperantiæ ipſius finis & regula eſt beatitudo: ſed ejus rei, qua utitur, finis & regula eſt neceſſitas humanæ vitæ, infra quam eſt, quod in uſum vitæ venit. Ex hoc ergo textu colligi poſſe videtur, neceſſitatem vitæ non neceſſario eſſe finem operantis, ſed operis tantum.

Idem in alio loco docet, omnia delectabilia pertinere ad neceſſitatem vitæ late dictam, dummodo congruant facultatibus, & decentiæ ſtatus. Ergo in voluptatibus non eſt quærendus alius finis earum naturalis. 2. 2. q. 141. ar. 6. format ſibi hanc objectionem. *Si neceſſitas corporalis eſſet regula temperantiæ, quicunque aliqua delectatione uteretur ſupra neceſſitatem naturæ, quæ valde modicis contenta eſt, peccaret contra temperantiam, quod videtur eſſe inconveniens.* Ad hanc objectionem D. Thomas ſic reſpondet: *Dicendum, quod neceſſitas humanæ vitæ poteſt attendi dupliciter. Uno modo ſecundum quod dicitur neceſſarium illud, ſine quo res nullo modo poteſt eſſe; ſicut cibus eſt neceſſarius animali. Alio modo, ſecundum quod dicitur neceſſarium illud, ſine quo res non poteſt convenienter eſſe. Temperantia autem non ſolum attendit primam neceſſitatem, ſed etiam ſecundam. Unde Philoſophus dicit in 3. Ethic. Quod temperatus appetit delectabilia propter ſanitatem, vel propter bonam habitudinem. Alia vero, quæ ad hoc non ſunt neceſſaria, poſſunt dupliciter ſe habere. Quædam enim ſunt impedimenta ſanitatis vel bonæ habitudinis; & his temperatus nullo modo utitur: hoc enim eſſet peccatum contra temperantiam. Quædam vero ſunt, quæ non ſunt his impedimenta, & his moderate utitur pro loco & tempore, & congruentia eorum, quibus convenit. Et ideo ibidem Philoſophus dicit; quod etiam temperatus appetit alia delectabilia, quæ ſcilicet non ſunt neceſſaria ad ſanitatem, vel ad bonam habitudinem, non impedimenta his exiſtentia.* Ibidem ad 3. *Dicendum, quod temperantia reſpicit neceſſitatem, quantum ad convenientiam vitæ, quæ quidem attenditur non ſolum ſecundum convenientiam corporis, ſed etiam ſecundum convenientiam exteriorum rerum, puta divitiarum & officiorum, & multo magis ſecundum convenientiam honeſtatis. Et ideo Philoſophus ibidem ſubdit, quod in delectationibus, quibus temperatus utitur, non ſolum conſiderat, ut non ſint impeditiva ſanitatis, & bonæ habitudinis corporalis, ſed etiam ut non ſint præter bonum, id eſt, contra honeſtatem, & quod non ſint ſupra ſubſtantiam, id eſt, ſupra facultatem divitiarum. Et Auguſtinus dicit in lib. de moribus Eccleſiæ, quod temperatus reſpicit non ſolum neceſſitatem hujus vitæ, ſed etiam officiorum.*

Reſpondeo, diſtinguendo. D. Thomas non requirit, ut omnia referantur ad aliquam neceſſitatem naturæ tanquam ad motivum & finem operantis, *concedo*: tanquam ad prærequiſitum & regulam operantis: *nego*. Verum eſt, quod D. Thomas neceſſitatem naturæ tantum conſtituat operanti *tanquam regulam*, præter quam nihil delectabilium eligendum eſt. Evidens autem eſt, quod illa neceſſitas naturæ non poſſit operanti ſervire pro regula, niſi actio comparetur ad hanc regulam, adeoque niſi referatur objective ac intentionaliter ad hanc regulam. Itaque juxta D. Thomam actus temperantiæ erit bonus ac meritorius, ſi actio intentionaliter referatur ad neceſſitatem naturæ tanquam regulam & finem actionis, quæ ab operante non neceſſario intenditur ac quæritur; ita tamen ut ſimul referatur ad beatitudinem tanquam finem operantis & motivum, quod intenditur ac quæritur. Cæterum quia aliqua delectabilia a natura ordinantur ad ſanitatem & bonam habitudinem corporis, ut alimenta; alia ad decentiam ſtatus, ut divitiæ, dicit, recte ac meritorie fieri, ſi quævis actio aut res ponatur *juxta regulam* neceſſitatis, ad quam a natura ordinatur; attamen cum ordine ad beatitudinem, tanquam finem operantis.

Reſpondeo 2. diſtinguendo. D. Thomas dicit, non omnia eſſe referenda ad ne-

necessitatem naturæ tantum : *concedo* : simul etiam : *nego* : D. Thomas l. cc. docet, non sufficere, si actio *tantum* referatur ad necessitatem naturæ, v. g. ad sanitatem, nisi *simul etiam* referatur ad decentiam status, quia non licet, ad sanitatem conservandam adhibere quævis media, excedentia facultates proprias.

Dices 3. D. Thomas solum requirit, ut actio referatur ad Deum *habitualiter*, ergo non requiritur *intentio virtualis*.

Respondeo. D. Thomam pro eodem quandoque sumere to *habitualiter* & to *virtualiter*, prout ostendam in responsione ad object. 10. Vide etiam responsa ad object. 5.

ARGUMENTUM III.

Christus condemnat quodvis verbum otiosum; ergo etiam condemnat actum indifferentem. *Antecedens* patet ex illo Math. 12. ubi Christus ostensurus, quanta severitate sint judicanda verba blasphema aut detractoria intentione blasphemandi aut detrahendi contra Christum prolata; id ostendit a minori, quia & verba, quamvis non pernitiosa, attamen otiosa, districte erunt judicanda; *Dico vobis*, inquit, *quoniam omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii*.

Consequentia probatur. Eadem est ratio verbi otiosi, & actus indifferentis; ergo si illud reprehensione dignum, nec iste effugiet pœnam. *Antecedens* probatur. Verbum otiosum est, quod non servit ad finem utilem loquentis vel audientis, & actus indifferens est, qui consimiliter non servit ad finem utilem operantis, aut proximi, ergo. *Antecedens* quoad primum membrum probatur ex SS. Patribus, qui ita definiunt verbum otiosum. I. *Basilius* in Regulis moralibus. Reg. 25. *Quod nullo modo verba otiosa debent proferri, ex quibus nulla utilitas nascatur*. Et in Constitutionibus Monasticis c. 12. *Verborum ea utilitas fuerit, si ad rei alicujus, quæ facienda instet, usum sermo accomodetur, aut ad audientium ædificationem referatur. Qui in alio quovis genere sermones versantur, ii rejici tanquam supervacanei ac inutiles debent*. II. *Hieronymus* in c. 12. Matth. *Otiosum verbum est, quod sine utilitate & loquentis dicitur & audientis*. III. *Gregorius* l. 7. Mor. c. 17. *otiosum verbum est, quod aut ratione justæ necessitatis aut intentione piæ utilitatis caret*.

Confirmatur 1. Christus loquitur de tali verbo otioso, de quo *reddenda est ratio*; ergo non loquitur de verbo aliunde positive deordinato, sed præcise de inutili. *Consequentia* probatur; reddere rationem in ore Christi idem sonat ordinarie, ac demonstrare utilitatem ex re sibi concredita Domino suo obtentam: sic enim illud verbum sumit Matth. 18. *Assimilatum est regnum cœlorum regi, qui voluit* rationem ponere *cum servis suis*. Et Matth. 25. *Venit Dominus servorum illorum, &* posuit rationem *cum eis*. Et Lucæ 16. Redde rationem *villicationis tuæ*.

Confirmatur 2. Si Christus per verbum otiosum non intellexisset verbum inutile, sed aliunde deordinatum, incongrue subjunxisset immediate illam propositionem causalem aut conclusionem universalem: *Ex verbis enim tuis justificaberis aut condemnaberis*; quorum verborum juxta Origenem argum. 1. num. 3. relatum is est sensus; omnia verba subitura sunt aut sententiam condemnationis & punitionis, aut sententiam approbationis & præmiationis. Si enim Christus tantum fuisset locutus de verbo aliunde deordinato, & non de verbo, opinione hominum innocentissimo, quale est inutile, incongrue allegaret causalem universalem, aut subjungeret conclusionem universalem; *omne verbum improbandum aut approbandum* in ordine ad condemnationem vel justificationem daretur enim verbum, nempe indifferens, ex quo homo nec condemnaretur, nec justificaretur.

Dices 1. D. Chrysostomus per verbum otiosum intelligit verbum *non congruens* offi-

officio aut negotio, *mendax*, *aut calumnioſum*. Ergo non debet intelligi verbum præciſe inutile. Verba Chryſoſtomi in c. 12. Matth. referam object. 11.

Reſpondeo diſtinguendo. D. Chryſoſtomus per verbum otioſum intelligit non congruens officio aut negotio, ita ut in hac claſſe comprehendantur etiam verba præciſe inutilia ad officium aut negotium loquentis & audientis, *concedo*: ſecus: *nego*. Quod D. Chryſoſtomus ad otioſa verba referat etiam verba inutilia, patet ex variis ejus textibus l. cc. relatis. Nec obſtat, quod addat, *a quibuſdam* ſolum ſic explicari illum terminum, ut intelligant verbum *inutile*: horum enim *quorundam* explicatio eſt de *verbo faceto*, quod riſum movet inordinatum, non de verbo inutili ac infructuoſo. Hoc enim verbum juxta horum *quorundam* explicationem eſt μάταιον, ſeu ineptum ac ſtultum; dum eocontra illud verbum, de quo loquitur Chriſtus, ab Evangeliſta vocetur ἄργον, quod proprie ſignificat *inutile*, *infœcundum*, *infructuoſum*, *iners*, *ac pigrum*.

Dices. 2. Poteſt dici, etiam per illud verbum, quod cauſa oblectationis honeſtæ profertur, obtineri finem diſtinctum, nempe oblectationem honeſtam, ſeu exhilarationem mentis, ac recreationem. Ergo non eſt habendum pro otioſo.

Reſpondeo. *Diſtinguendo*. Verbum prolatum cauſa oblectationis honeſtæ non erit otioſum, ſi per oblectationem honeſtam idem intelligatur, ac oblectatio ordinata ad reparationem aut conſervationem virium animi vel corporis: *concedo*. Si per oblectationem honeſtam intelligatur ſola oblectatio ſine ordine ad reparationem aut conſervationem virium animi vel corporis: *nego*. Ex dictis enim SS. Patrum, & ex ipſa proprietate vocis tam in latino, quam in græco to *otioſum*, ſeu ἄργον, idem eſt, ac carens utilitate diſtincta ab ipſa oblectatione loquendi, utpote quæ eſt inſeparabilis ab omni actione vel locutione ſpontanea.

Dices. 3. Poteſt dici, per otioſum verbum intelligi id, quod ad finem intentum non ſervit, eo quod ad finem intentum ſit vel incongruum, vel ſuperfluum. Ergo etiamſi verbum cauſa ſolius oblectationis prolatum non referatur ad verbum otioſum, habebitur nihilominus genus verbi otioſi.

Reſpondeo. *Negando Antecedens*. Verbum enim *incongruum*, aut *ſuperfluum* ad finem non eſt ſynonimum cum to *otioſum*, ut norunt omnes gramatici. In græco enim ἄπρεπον, ἄτροπον, & περισσὸν non eſt idem ac ἄργον, ut videri poteſt in Lexico Roberti Conſtantini. Itaque dum in Evangelio reprehenditur verbum *otioſum*, ἄργον, non licet illi ſubſtitere verbum *indecens*, *incongruum*, *abſurdum*, aut *ſuperfluum* ad finem intentum. Si enim non ſervata verborum proprietate uni voci ſubſtituere liceret aliam non ſynonimam, aditus ex Scriptura pateret cuivis errori aut hæreſi. Huc etiam ſervit illa regula Criticæ: Illud non continetur ſub ſignificato proprio vocis, quod in ſenſu proprio exprimitur alio verbo non ſynonimo. Atqui, ut oſtenſum eſt, verbum non ſerviens ad finem intentum exprimitur alio verbo, quam *otioſum*. Ergo non continetur ſub ſignificato hujus verbi.

ARGUMENTUM IV.

Ad omnem actionem deliberatam datur gratia ordinis ſupernaturalis. Ergo etiam datur obligatio, in omni actione tendendi ad finem ſupernaturalem. *Antecedens* ſuppono ex Tractatu de Gratia, ubi oſtenditur, quod homo habeat gratiam ſufficientem ad hoc, ut in omni actu poſſit operari meritorie, ſi velit. Dixi autem, *gratia ordinis ſupernaturalis*, non determinando, an debeat eſſe ſupernaturalis *intrinſece*, an vero ſufficiat, eam tantum eſſe ſupernaturalem extrinſece, in quantum v. g. cogitatio congrua a Deo immiſſa, entitative ſupernaturalis, a Deo ordinatur ad finem ſupernaturalem. *Conſequentia probatur*. Non poteſt ulla gratia ordinis ſuperna-

turalis frustrari suo effectu sine peccato veniali. Ergo si datur gratia ordinis supernaturalis ad omnem actum, eoipso datur obligatio, quemvis actum referendi ad finem supernaturalem.

Antecedens probatur 1. Non licet invertere ordinem rationis sine peccato veniali; quia omnis deordinatio rationis est peccatum veniale, prout ostendit D. Thomas, & Gregorius Nyssenus *in Epistola ad Letojum*, & alibi sæpius. Ergo etiam non licet invertere ordinem divinæ bonitatis & sapientiæ, ordinantis gratiam ad finem supernaturalem; quod tamen fieret frustrando gratiam suo fine & effectu.

Probatur 2. Apostolus 2. Cor. 6. monet. *Ne in vacuum gratiam Dei recipiatis*. Ergo reprehensione dignum est, frustrare gratiam Dei: quia Scriptura non solet uti illo termino inhibitorio, *Ne*, nisi ubi datur locus reprehensioni.

Probatur 3. Qui negligeret gratiam sibi collatam in susceptione presbiterii sine præoptione melioris, esset positiva reprehensione & pœna dignus. Hinc & Apostolus 1. Tim. 4. comminatorie dicit: *Noli negligere gratiam, quæ tibi data est per prophetiam cum impositione manuum presbiterii*.

Probatur 4. Servus, qui nullum retulit fructum ex Talento seu Mna unico, sibi concredito, quamvis exiguo, condemnatur ad tenebras exteriores, ubi erit fletus & stridor dentium. Ergo & pœnam luet, saltem temporalem, qui nullum refert fructum ex portione sui talenti, nempe gratia Dei. *Vide argum.* 5.

Dices 1. Si daretur obligatio, sequendi inclinationem cujusvis supernaturalis gratiæ, sequerentur magna absurda: nam 1. teneremur semper operari amorem Dei perfectissimum, ac valde intensum, quia possumus operari amorem Dei valde intensum & perfectum, si volumus; adeoque præsupponitur ad eum actum gratia Dei, utpote sine qua nihil possumus. 2. teneremur sequi omnes inspirationes divinas, cum utique consistant in speciali gratia Dei illustrante, suadente, ac movente: 3. omnia consilia Evangelica, & alia documenta puri consilii, simul forent præcepti; quia in quolibet homine supponitur gratia sufficiens ad illa servanda. Consequenter negligens rem consilii frustraret gratiam Dei.

Respondeo. Negando antecedens. Ad 1. nego, gratiam ordinariam cujuslibet hominis movere quemcunque ad actum amoris divini valde intensum ac perfectum; cum enim omnis gratia divina sit effectus non solius bonitatis, sed etiam sapientiæ divinæ, quæ disponit omnia in numero, pondere, & mensura, sequitur, quod Deus non omnibus det æqualem gratiam, nec omnes moveat ad eosdem actus; nec enim omnes moventur a Deo ad eliciendos actus amoris tam intensos ac perfectos, ac elicuit B. Virgo. Sequitur proin, quod Deus cuivis conferat gratiam sufficientem, cujusvis dispositioni, merito, ac viribus præsentibus proportionatam; & si hæc gratia frustretur suo primario effectu, id fieri nequit sine peccato veniali. *Ad rationem additam*, quod quilibet possit elicere actum amoris intensiorem ac perfectiorem in infinitum, adeoque præsupponatur gratia etiam ad actum intensiorem ac perfectiorem.

Respondeo, distinguendo. Etiam ad actum intensiorem ac perfectiorem semper præsupponitur *gratia Dei* in omnipotentia Dei, & in decreto divino concurrendi cum conatu hominis *præparata*: Concedo. *Actu collata*: subdistinguo. Actu collata in ordine ad actum dignificandum in ordine ad præmium supernaturale: *concedo*: in ordine ad actum modificandum certo quodam modo tendendi valde intenso: *nego*. In gratia divina duo distingui debent. Nam omnis gratia divina tribuit inprimis *posse operari salubriter* in ordine ad vitam æternam, & eatenus gratia habet se indifferenter ad quemlibet modum tendendi idoneum, sive intensum sive remissum, sive perfectum sive imperfectum: dignificat enim ad præmium supernaturale correspondens omnem

nem actum idoneum modo proportionato ad modum tendendi. Alterum in gratia eſt, quod etiam moveat ac excitet ad certum modum tendendi, diſpoſitioni operantis proportionatum: & eatenus non omnis gratia actu movet ac excitat ad modum operandi intenſiſſimum ac perfectiſſimum.

Ad 2. *Reſpondeo*, peccare omnes venialiter, qui reſiſtunt inſpirationi divinæ, ut tali a ſe cognitæ: quia eſt deordinatio rationis, reſiſtere tractioni divinæ aut ſuaſioni perſonali, in circumſtantiis individualibus cognitæ, ut profectæ ab infinita bonitate Dei erga hominem, & ſapientia infinita.

Ad 3. *Nego ſequelam*. Conſilia enim Evangelica dantur *omnibus* ſimul ſumptis, non *ſingulis*, quorum ſalvatur intentio in mente Dei, ſi obſerventur ab iis, ad quos per ſigna vocationis divinæ particularis, puta per concurſum circumſtantiarum ſubſtantem divinæ providentiæ, & per inſpirationes internas perſonales ſpecialiter applicantur. Econtra ea, quæ ſunt præcepti, ligant omnes. *Ad rationem additam* quod homo ad ſequenda conſilia evangelica habeat gratiam, *Reſpondeo* ſicut prius; haberi nempe *gratiam præparatam* conanti; ſed nondum actu cuivis *collatam* in ordine ad illum ſpecialem modum tendendi aut operandum, ad quem non eſt ſpecialiter vocatus a Deo.

Dices 2. Si quis non cooperatur gratiæ vocanti ad opus alioquin indebitum, id erit mera imperfectio, quæ in hoc differt a merito & peccato; quod merito correſpondeat præmium, peccato pœna; imperfectioni autem nec præmium nec pœna, ſed præciſe denegatio vel ſubtractio uberioris gratiæ alioquin indebitæ. Ergo non committet peccatum fruſtrando finem & effectum gratiæ.

Confirmatur. Juxta authores communiter dantur imperfectiones, quæ nec ſunt meritum, nec peccatum ac materia confeſſionis, v. g. ſi quis non oret majore devotione vel attentione, qua poſſet orare. Ergo hujuſmodi imperfectionibus etiam debet correſpondere aliquid medium inter præmium & pœnam, nempe ſubtractio vel denegatio alicujus doni alias indebiti, ſeu gratiæ indebitæ.

Reeſpondeo. *Negando* Antecedens, quia non cooperari gratiæ ſemper eſt peccatum.

Ad confirmationem diſtinguo. Dantur imperfectiones, quæ nec ſunt meritum, nec peccatum, concomitantes meritum: *concedo*: ſeparatæ ab omni merito: *nego*. Quando admittuntur imperfectiones, illæ reperiuntur in ipſo opere meritorio non extra actum meritorium. Sicut enim juxta D. Bernardum l. de præc. & diſpent. c. 14. interdum idem opus ob duas intentiones, quarum una bona, altera mala, meretur præmium & ſupplicium, ita multo magis in opere meritorio poterit cum intentione meritoria commiſceri quædam ſocordia, qua homo non quidem reſiſtit gratiæ poſitive ad majorem perfectionem vocanti, attamen non agit omni conatu ſibi poſſibili. D. Bernardus l. cc. ſic ſcribit: *In eo, qui malum facit, & bonum putat, laude duxerim dignam vel ſolam intentionem piam; nec plane condigna remuneratione fraudabitur in opere quoque non bono ipſa bona voluntas; attamen ſine malo quocunque non erit decepta ſimplicitas puta vincibilis.*

Si dicas, hoc modo tolli *gratiam vocantem ad opus indebitum*; quia ſi non poteſt unquam reſiſti gratiæ vocanti ſine peccato, eoipſo opus *indebitum*, ad quod gratia vocat, fiet *debitum*.

Reſpondeo, hoc non eſſe mirum, quod opus *ex ſuo genere indebitum*, ob particularem vocationem fiat *in individuo debitum*, ſicut patet ex venditione omnium bonorum, ad quam ſpeciali vocatione Chriſtus vocaverat juvenem Evangelicum divitem. Matth. 19.

ARGUMENTUM V.

Deus ex quovis talento hominibus concredito exigit lucrum ſuæ gloriæ; ergo conſimile lucrum exigit ex quavis

actione humana. *Consequentia* patet ex eo, quia in qualibet actione humana concurrunt plura dona Dei, seu quod idem, talenta: concurrit enim concursus Dei, gratia, temporis momenta, conservatio virium animæ, cogitationes congruæ, organa corporis &c.

Antecedens probatur 1. ex variis parabolis Evangelii: sic enim Matth. 25. Dominus servo pigro, qui unicum, quod acceperat, talentum, reliquerat otiosum, dicit: *Serve male & piger; oportuit te committere pecuniam nummulariis, & recepissem, quod meum est, cum usura. Tollite itaque ab eo talentum, & inutilem servum ejicite in tenebras exteriores.* Simile habetur Lucæ 19. de servo pigro, qui acceperat Mna unicum, illudque reliquerat otiosum in sudario. Et huic namque a Domino dicitur: Serve nequam, quare non dedisti pecuniam meam ad mensam, & ego cum usuris exegissem illam. *Matthæi* 21. & *Marci* 12. reprobantur cultores vineæ, qui Domino vineæ non retulerunt fructum. *Marci* 11. maledicit Christus cum ira ficulneæ non ferenti fructum. *Lucæ* 13. eradicari & in ignem projici jubetur ficulnea, nisi labori sui cultoris reponderit fructum. *Matthæi* 3. Joannes Baptista dicit: *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur & in ignem mittetur.* Similiter quinque fatuæ virgines ex eo excluduntur a regno, quia dormiendo neglexerunt fructum boni operis, ut habetur Matth. 25. Ex his omnibus colligitur, Deum ex omnibus actionibus humanis deliberatis requirere usuram & fructum suæ gloriæ. Cum enim in omni actione concurrat portio talenti, & anima semper se habeat instar arboris plantatæ in domo Dei seu Ecclesia ad fructificandum, semper exigitur fructus boni operis, quandocunque homo congrue potest fructificare: sicut enim prudens Paterfamilias non solum exigit fructum ex summa totali servo concredita, aut ex toto arbore, sed etiam ex singulis partibus, aut ramis, ita idem Deus exigit ex singulis actionibus deliberatis, in quibus utique fructificare poterit Deo, si dependenter a priori suo proposito, quo se & omnia sua ordinavit ad Deum, operetur conformiter rationi.

Probatur Antecedens 2. Deus & natura nil faciunt frustra, ut fert Axioma Philosophorum: & Proverb. 16. dicitur: *Universa propter semetipsum operatus est Dominus.* Et Deut. 26. *In cunctis gentibus, quas creavit in laudem, & nomen, & gloriam suam.* Similia, quod Deus omnia fecerit in gloriam suam, habentur multa testimonia in Scriptura; immo ea divina intentio satis insinuatur illo textu, ubi dicitur: *Plena omnis terra gloria ejus* Isaiæ 6. Cum ergo Deus etiam operetur ipsam actionem humanam tanquam concausa partialis, & huic tribuat existentiam, non est dubium, ab eo intendi gloriam suam modo congruo obtinibilem; quam modo condecente ex tali actione libera non obtineret, nisi homo se & omnia sua efficaciter ordinaret in gloriam Dei.

Probatur Antecedens 3. Deus opera sua non finit esse vacua influxu suæ sapientiæ & aliarum suarum perfectionum divinarum, inquantum reperit capacitatem in iis subjectis; ergo nec relinquit ea vacua influxu sui zeli pro gloria divina, ubicunque reperit in suis operibus capacitatem congruenter obtinendi suam gloriam. Hanc autem capacitatem reperit in actionibus deliberatis hominum, prout patebit ex solutione objectionum. *Antecedens* colligitur ex illo Sapientiæ 14. *Ut non essent vacua sapientiæ tuæ opera*, id est, *sine sapientia*. Pari ergo modo dicere licebit; ne sint ejus opera sine *zelo gloriæ* divinæ, aut sine *providentia*, *justitia &c.*

ARGUMENTUM VI.

Monita Apostolica, frequenter inculcata, operanti valde salubria, ad fines a Deo præstabilitos moraliter necessaria, nec ullo motivo retrahente difficilia, non possunt recusari sine deordinatione rationis; sed talia sunt monita Apostolica, omnia referendi ad gloriam Dei, ac operandi meritorie. Ergo non possunt

recu-

recuſari ſine deordinatione rationis, ſeu peccato veniali. *Major patet*, quia ſi deliberatur in gravi negotio, ubi ex una parte reperiuntur ſuaſiva graviſſima, ex altera vero parte reperiuntur motiva retrahentia leviſſima, contra rationem ageret, qui amplecteretur motiva retrahentia.

Probatur ergo *Minor* ex inductione & ponderatione variorum textuum Scripturæ.

Textus primus. 1. Cor. 10. *Sive ergo manducatis, ſive bibitis, vel aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite*. In hoc textu particula illativa, *ergo*, eſt relativa ad dubium conſcientiæ de licito vel illicito eſu idolothitorum eo toto capite diſcuſſum. Dubium illud reſolvit Apoſtolus, non eſſe formandum ſcrupulum conſcientiæ, ſi quis ſine ſcandalo comedat idolothita, & gratias agat Deo. *Itaque*, infert, *ad illibatam ſervandam conſcientiam univerſim, quiſquis edit, vel bibit, vel aliud agit, id in gloriam Dei referat*. Hæc expoſitio illius particulæ illativæ probatur ex eo, quia non poteſt afferri veroſimilior ratio illius particulæ illativæ & connexivæ, niſi & ſubſequentia, æque ac antecedentia, proferantur ad illibatam ſervandam conſcientiam. *Vide Conſ.* 1.

Textus ſecundus, ad Coloſſ. 3. *Omne quodcunque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, gratias agentes Deo & Patri per ipſum*. Hoc monitum Apoſtolicum ponitur ab Apoſtolo in medio documentorum, quæ Apoſtolus judicabat pro inſtructione Chriſtiani præcipua, quarum pleraque manifeſte continent rationem præcepti, alia autem comprehendunt primaria quædam perfectionis Chriſtianæ capita aut ſubſidia.

Præſens monitum videtur Apoſtolus referre ad primarium aliquod caput perfectionis Chriſtianæ; nam in verſu immediate præcedente dicit: *Verbum Chriſti habitet in vobis abundanter in omni ſapientia*. Itaque & hoc monitum pertinet ad ordinem ſapientiæ Chriſtianæ, cui non licet deliberate refragari ſine deordinatione rationis, ubi vires & circumſtantiæ permittunt, nullo motivo graviore retrahente.

Confirmatur 1. a pari. Si quis diceret: *Non eſt illicitum, comedere cum ſenſu voluptatis, dummodo comeſtio ordinetur ad finem a natura intentum, nempe ad ſuſtentationem; Ergo ſi comedas, ordina comeſtionem ad ſuſtentationem corporis*: omnes intelligerent, inſinuari per *ergo* obligationem ordinandi comeſtionem ad ſuſtentationem corporis. Ergo etiam ſimilis obligatio inſinuatur in priori textu D. Pauli 1. Cor. 10.

Confirmatur 2. SS. Patres in his duobus textibus agnoſcunt obligationem omnia ordinandi ad Deum; ergo revera in his duobus textibus continetur non ſolum ratio conſilii, ſed etiam ratio præcepti. *Antecedens probatur*. 1. *S. Ambroſius* ſuper verba Malachiæ cap. 1. dicit: *Chriſtianus debet omnia in Dei laudem referre*. 2. *S. Bernardus* Serm. de Divin. *Quidquid facimus, jubemur facere in gloriam Dei*. 3. *S. Thomas* in Epiſt. ad Coloſſ. ad præfatum textum: *Quidam dicunt, quod hoc eſt conſilium, ſed hoc non eſt verum*.

Textus tertius, ad Coloſſ. 1. *Non ceſſamus orantes pro vobis, ut impleamini agnitione voluntatis ejus, ut ambuletis digne Deo per omnia placentes, in omni opere bono fructificantes*. Ergo eſt voluntas Dei, ut in omni opere placeamus Deo, & fructificemus. Quando autem ab Evangeliſtis, vel Apoſtolis Eccleſiæ proponitur *voluntas* Dei, regulariter non ſignificatur voluntas ſolum beneplaciti, ſeu conſilii, ſed voluntas præcepti. Cum ergo pro ſenſu famoſiori & uſitatiori ſtet præſumptio, etiam hoc loco ſtabit præſumptio pro voluntate præcepti.

Textus quartus. Jubemur *omne tempus utiliter collocare; inſtanter operari bonum; omni tempore orare*; quæ omnia impleri non poſſunt, quin teneamur omnia referre ad Deum, ſicque jugiter elevare mentem ad Deum. *Antecedens probatur* ab inductione. 1. ad Epheſ. 5. *Videte, fratres, quomodo caute ambuletis, redimentes tempus*. Hac cautione non fo-

ret opus, si liceret operari, *quia libet*, *quia placet*, *quia delectat*. 2. ad Col. 4. *In sapientia ambulate ad eos, qui foris sunt, redimentes tempus*. Ergo non sapienter, sed insipienter agit, qui sinit perire tempus per actus indifferentes. 3. Ecclesiastis 10. *Quodcunque facere potest manus tua, instanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quo tu properas*. Hoc loco Salomon insinuat, pœnituros, qui neglexerunt occasionem operandi bonum, ac placendi Deo. Quod autem pœnitendum, hoc contra rationem est. 4. Ecclesiastici 14. *Memor esto, quoniam mors non tardat. Ante mortem benefac amico tuo; & secundum vires tuas exporrigens da pauperi. Non defrauderis a die bono, & particula boni doni non te prætereat. Da, & accipe, & justifica animam tuam. Ante obitum tuum operare justitiam, quia non est apud inferos invenire cibum*. Hoc loco iterum Sapiens insinuat, damnum fore pœnitendum ac irreparabile, si quis vel *particulam* temporis perire sinat sine fructu justitiæ. 5. 1. Thess. 5. *Sine intermissione orate; in omnibus gratias agite. Hæc est enim voluntas Dei in omnibus vobis*. Hæc voluntatis divinæ inculcatio referenda est ad omnia præcedentia, quia non est major ratio de uno præcedentium, quam de altero. 6. ad Ephes. 6. *State induti loricam justitiæ, sumentes scutum fidei, ut possitis tela nequissimi extinguere; & galeam salutis assumite; per omnem orationem orantes omni tempore*. In hoc textu videtur Apostolus insinuare, jugem orationem, quæ est elevatio mentis ad Deum, esse partem armaturæ Christianæ adversus continuas nullo momento quiescentis adversarii insidias, adeoque necessariam. Jam vero ex omnibus his textibus sic licet argumentari: Contra rationem agit, qui sine gravi motivo vitandi majoris mali, aut procurandi majoris boni resistit gravissimis adhortationibus paternis aut divinis, inculcatis inter primaria ac summaria paterna aut divina monita. Ergo etiam contra rationem agit, qui deliberate negligit præfata Scripturæ monita ponendo actum indifferentem, cum facillime se & omnia sua referre posset ad Deum, & in virtute hujus propositi operari conformiter rationi, ut decet filium Dei.

ARGUMENTUM VII.

Jus naturæ & jus divinum non petunt distinctionem inter diversas species voluptatum aut delectationum in ordine ad constituendum in eis finem actionum; Ergo si non licet constituere finem in voluptate unius generis, v. g. matrimoniali, convivali, aut alia sensuali, prout eruitur ex Propositionibus damnatis, & ex ipsis Adversariorum responsis, nec licebit constituere finem in oblectatione videndi, audiendi, loquendi &c. De voluptate matrimoniali, ac convivali Propositiones ab Innocentio XI. anno 1679. damnatæ sic habent: *Prop.* 8. *Comedere & bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem, non est peccatum, modo non obsit valetudini, quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui*. Si in hac propositione Summus Pontifex solum voluisset damnare *modum comedendi usque ad satietatem*, non fuisset opus, addere causalem; haberetur enim totum intentum Pontificis per solam priorem partem propositionis. Itaque damnat etiam causalem; adeoque ejus contradictoria vera est, quod non semper in omni genere voluptatis appetitus naturalis possit suis actibus frui. Altera Propositio, ordine nona, sic habet: *Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum omni penitus caret culpa ac defectu veniali*.

Probatur igitur *Antecedens*. Nullus doctorum aut indoctorum ab origine mundi usque ad sæculum XVII. fecit unquam discrimen inter voluptates alioquin moderatas in ordine ad earum appetibilitatem ratione sui; aut enim senserunt, omnia voluptatum moderatarum genera posse appeti ratione sui, aut nulla. Ergo jus naturæ aut divinum non petit fieri distinctionem inter diversa genera voluptatum moderatarum in ordine ad quæstionem præsentem. *Antecedens* pro-

probatur partim poſitive ex teſtimoniis Patrum, omnia genera oblectationum in ordine ad conſtituendum in eis actionum immediatum finem rejicientium, prout fuit oſtenſum Argumento primo; partim negative, quia nullum adverſarii poſſunt proferre authorem antiquiorem ſæculo XVII. qui cogitaverit de illo diſcrimine. *Vide Argum.* 8.

ARGUMENTUM VIII.

Omnia genera delectationum ſenſualium continent generale periculum plurium malorum; nec expedit, relinquere privatorum judicio, quænam pericula petant ſubſtare prohibitioni. Ergo jure naturæ prohibenda omnia genera delectationum in ordine ad conſtituendum in eis actionum finem. *Conſequentia* patet ex uſu legum. Sic enim datur prohibitio portationis armorum ob generale periculum cædum; ubi lex obligat omnia civitatis individua, & omnia genera hominum, etſi periculum non ſit in ſingulis individuis aut generibus, v. g. ſenum, debilium, puerorum, &c. Ratio autem, cur lex velit obligari omnes, alia non eſt, niſi quia non eſt conforme prudentiæ legislativæ, diſcretionem & exceptionem caſuum particularium, aut generum relinquere privatorum judicio.

Antecedens quoad primum membrum probatur. Ponantur delectationes appetitus ſenſitivi omnium, quas adverſarii approbant, innocentiſſimæ, v. g. auditio muſicæ. Clarum eſt, quod ejuſmodi delectatio facile generet habitum adhæſionis, ita ut animus ab illa difficulter ſe abſtrahat etiam in ſacrificio Miſſæ, in Canone, in ipſa conſecratione, ſub precibus, etiam eo tempore, quo obligatio aut prudentia ſuadet aliam occupationem animi pro gloria Dei vel ſubſidio proximi; iis delectationibus enervatur animus, ne ſapiant mortificationes, & divinorum contemplatio, & labores ardui, & preces; eædem incitant, & inclinant ad quærenda media conſtanter retinendæ aut procurandæ delectationis non raro contra ordinem charitatis ordinatæ in expendendis ſubſidiis temporibus, dum commoditas & delectatio de ſe inutilis propria præfertur alienæ neceſſitati; propenſio ſemel contracta ad ejuſmodi delectationes animum inclinat ad averſionem & odium erga eos amicos Dei, qui indulgent ſenis & utilibus, alioſque in ſocietatem trahere conantur ſimilium erga Deum & proximos affectuum; eadem propenſio inclinat ad evehendos in Cathedras & Dignitates Eccleſiaſticas ejuſmodi molles & ſimilium delectationum amicos, fautores, patronos, quæ non raro cedit in graviſſimum Eccleſiæ & omnium ſtatuum ſpirituale præjudicium, & in detrimentum infinitorum prope bonorum, quæ procurarentur ab aliis ferventioribus; eadem propenſio in ejuſmodi delectationes plurimi obſtat vigori evangelico, & intentioni ac ſpiritui Chriſti conantis mentes humanas abducere ab affectibus terrenis per media non ſolum negative, ſed etiam poſitive vitiatæ naturæ oppoſita, puta divitiarum, honorum, & voluptatum contemptum; denique per ejuſmodi delectationes ſpecificas contrahitur & roboratur non ſolum vitioſus habitus naturalis vel acquiſitus ad delectationes ejuſdem ſpeciei, ſed ad ipſum genus ac prædicatum generícum delectationis ſenſibilis, ita ut inſenſibiliter, ubicunque occurrit ratio generica delectationis ſuavis, blandæ, & commodæ, natura ſentiat ſe fortius affici: id oſtendit tum propria cujuſvis experientia tum aliena; advertitur enim eos, qui in uno genere voluptatis vel commoditatis ſunt ſervi, in omni genere ſuavium naturæ objectorum ſe facile patiantur abripi, niſi illis ſpecialiter adverſetur ratio ſpecifica unius vel alterius objecti: & ratio hujus eſt, quia paſſio non tam fortiter movetur ab ipſa ratione ſpecifica objecti delectabilis in proprio ſenſorio, quam a ratione ejus generica in ſenſu communi, ubi omnis ſenſatio ſuavis eſt communi convenientia phyſica quidam ſuavis attactus ſeu emotio communis ſenſorii conjuncta cum voluptate, movente appetitum, quia

est voluptas, non quia est talis voluptas. Omitto plura alia recensere mala, quæ ex propensione in delectationem quamvis sensibilem facile oriuntur. A fortiori autem hæc omnia locum habent in aliis delectationibus sensualibus. Itaque demonstratum est, voluptates sensuales omnes, si in iis stet intentio voluntatis, non carere periculo generali plurium malorum, quæ opponuntur finibus a Deo præstabilitis. *Nec obstat*, quod periculum possit absolute corrigi ab homine pio, eximie attento & provido. Cum enim inter mille homines vix reperiatur unicus, qui ex propensione ad ejusmodi delectationes non frequenter in præfata mala decidat, manet nihilominus periculum generale; hoc enim vocatur non ex eo, quod semper sit conjunctum cum eventu malorum, sed quod frequenter & ut in plurimis cum eo eventu soleat conjungi; ut proin & Regula D. Thomæ infallibilis sit, tantum spiritui detrahi, quantum carni, id est, affectionibus sensualibus, additur.

Probatur igitur *Antecedens quoad secundam partem*. Si ex una parte non datur instinctus naturalis, aut acquisitus de secernendis in praxi voluptatibus circa actiones alioquin licitas, ex altera vero parte non datur idoneitas in hominibus ad instituendam ejusmodi secretionem prudentem, tunc ea discretio non potuit convenienter relinqui privatorum judicio, sed, ergo. *Minor quoad 1. membrum patet* ex eo, quia nullus hactenus doctorum aut indoctorum ante damnationem duarum propositionum præfatarum sensit eum instinctum, ut constat ex textibus Patrum, omnia delectationum sensualium genera referentium ad eandem fugiendarum ratione sui rerum classem. *Quoad secundum membrum probatur*. Ea discretio delectationum de se prohibitarum aut permissarum ne quidem potest fieri a doctis sine magna hæsitatione & incertitudine, idque etiam post confixionem earum propositionum, ut patet ex contradictione authorum in hac re, & ex eorum loquendi formulis: *videtur, ita respondent duo vel tres authores* &c. Ergo multo minus poterat ea discretio relinqui privato indoctorum judicio. Dein, ea idoneitas, quæ hucusque non fuit reperta in Patribus & fere omnibus Doctoribus Ecclesiæ usque ad confixionem prædictarum propositionum, non potest supponi in judicio privatorum, sed ea non fuit reperta in Patribus & Doctoribus, quia ut constat ex dictis, omnes Patres & Doctores universa delectationum sensualium genera retulerunt in unam rerum fugiendarum, periculosarum, & nocivarum classem, ergo. Denique. Non potest relinqui judicio privatorum, utrum obligatio controversa exigatur a bono communi generis humani, aut a conditione finium præstabilitorum a Deo, ergo nec potest eorum judicio relinqui, an detur lex permissiva vel præceptiva circa species singulas delectationum sensualium. *Consequentia patet*, quia lex est ordinatio rationis ad bonum commune. Ergo qui non possunt a priori scire, an hæc vel illa voluptas cæteroquin moderata, in casu, quo intenditur ratione sui, specialiter opponatur bono communi, aut finibus a divina Sapientia præstabilitis, non poterunt instituere a priori distinctionem voluptatum graviter periculosarum a minus periculosis.

Antecedens probatur ex variis effectibus oblectationis omnium innocentissimæ, quæ concipitur ex moderata musica: ex iis, quos supra enumeravi, videri potest; illos a privatorum perspicacia non facile prævidendos. Consequenter nec privatorum judicio comprehendi poterit, an admissio illius oblectationis ratione sui facta opponatur bono communi generis humani, aut finibus a Deo præstabilitis. *Confirmatur Antecedens* ex eo, quia conscientia privatorum hominum dictante natura non solet respicere ad fines & effectus remotos actionis, sed tantum ad circumstantias obvias, atque ad fines ac effectus propinquos. Itaque non est privatorum, an licentia sistendi in hac vel illa oblectatione ultimato tendat contra bonum com-

commune, & fines præſtabilitos a Deo.

ARUMENTUM IX.

Prudentia jubet eligere omnia media ad finem ſemel conſtitutum idonea, niſi retrahat motivum prudens vitandi æqualis mali, aut procurandi alterius æqualis boni. Sed referre modo explicato omnes actus in Deum eſt medium idoneum ad finem a Chriſtiano ſemel conſtitutum, nec inde retrahit, motivum prudens vitandi mali, quod æquet bonum oppoſitum ſua gravitate, aut procurandi alterius æqualis boni. Ergo prudentia jubet referre omnes actus in Deum modo explicato, ut nempe homo ſe & omnia ſua ordinet in Deum, ac vi hujus propoſiti pergat operari conformiter rationi, aut, ſi timet, hoc ſuum propoſitum fuiſſe interruptum per actus contrarios, ut illud renovet nova intentione actuali.

Neque dicas. Non dari obligationem, ſemper operandi juxta dictamen prudentiæ. Quia prudentia eſt virtus generalis, in qua omnes virtutes ſunt connexæ; cum ſit *ratio mediorum ad finem*, ad quem utique omnes virtutes a prudentia ordinari debent. Conſequenter, qui prudentiam non habet, nullam virtutem habet. Igitur, cum detur obligatio ſectandi virtutes, datur etiam obligatio ſectandi prudentiam, & actus ejus elicitos, & imperatos.

Dices 1. Ex hoc conſequi, quod homo ſemper teneatur eligere *melius*; quia prudentiæ eſt, eligere melius.

Reſpondeo. Diſtinguendo, teneretur homo ſemper eligere quod eſt melius individualiter comparative ad vires, diſpoſitionem, & vocationem operantis: *concedo*, quod eſt melius ex ſuo genere tantum: *nego*. Sicut homo ſemper tenetur operari rationabiliter, ita etiam tenetur ſemper operari prudenter. Sed non eſt prudentiæ, ſemper in individuo eligere, quod eſt præciſe melius ex ſuo genere. Sic enim ex ſuo genere melius eſt orare, quam laborare, eligere ſtatum cœlibem, ac religioſum, vel clericalem præ conjugali; ſed id non eſt cuivis in individuo melius.

Dices 2. Etſi univerſim melius ſit, referre quemvis actum ad Deum, non eſt tamen melior ipſa obligatio referendi omnes actus in Deum non ipſa; quia in hac obligatione reperiuntur majora incommoda, quam commoda relate ad Deum.

Reſp. Jam ſupra Argum. 7. oſtenſum eſſe, hanc obligationem eſſe Deo neceſſariam ad fines ab eo præſtabilitos v. g. ad demonſtrandam in ſe *rationem finis* ultimi, & ad ſanctificationem animarum ſeparando affectus ab adhæſione ad illecebras.

Plura Argumenta quilibet eruere poterit ex textibus SS. Patrum, & D. Thomæ, v. g. quod omnis actio juxta omnes Philoſophos procedat ex appetitu *boni ut ſic*, ſeu ſummi boni, ergo neceſſe eſt, omnem actum eſſe ordinatum ad ſummum bonum *vere tale*, aut *apparenter tale*.

Dico 3. Nec datur actus moralis in individuo indifferens per accidens.

Probatur Concluſio. Dari actum indifferentem per accidens nihil aliud eſt, quam actum non ordinari ad Deum vel ex ignorantia invincibili hujus obligationis, vel ex inadvertentia, vel ex dictamine reflexo ſupra probabilitatem oppoſitæ ſententiæ. Sed ex nullo hujuſmodi titulo datur actus indifferens. Ergo. *Minor probatur*. Nam *Primo* non poteſt dari ignorantia invincibilis hujus obligationis, cum ipſum lumen naturæ dictet, in qualibet actione appetitum ferri ad bonum *ut ſic*, ſeu ad finem ultimum hominis; Ergo ſi intentio hominis virtualiter perſeverans fuerit directa ad bonum *vere tale*, erit actio non ſolum moraliter bona, ſed etiam in homine juſto meritoria vitæ æternæ. *Secundo*. Non poteſt dari inadvertentia ad Deum *ſub prædicato convertibili* in homine ſentiente obligationem ad operandum conformiter rationi, eoipſo quod exercite agnoſcat *legislatorem* ſuæ conſcientiæ. Ergo ſi operetur conformiter rationi in virtute præcedentis propoſiti, quo ſe & omnia ſua

ordinavit ad Deum, seu ad bonum vere tale, nec isto ex titulo dabitur actus indifferens.

Tertio, nec potest dari vera probabilitas oppositæ sententiæ, cum illi repugnet non solum lumen naturæ, sed etiam authoritas omnium Patrum & veterum Theologorum quoad actum indifferentem *per se* talem; Si ergo non est probabile, dari actum indifferentem per se talem; non potero advertenter ac scienter ponere actum indifferentem per se talem ob probabilitatem oppositæ sententiæ. *Antecedens* patet ex nostris probationibus & ex solutione objectionum. Quod si quis etiam existimaret, dari tenuem probabilitatem oppositæ, ne sic quidem excusaretur per illud dictamen reflexum, quia lumine naturæ certum cuilibet est, non licere sequi sententiam tenuiter probabilem relicta tutiore notabiliter probabiliore, prout ostendam in discussione Controversiæ de Probabilismo.

Dices. Alensis, & D. Bonaventura admittunt actum indifferentem per accidens *ex inadvertentia ad Deum*, quando homo non comparat actionem ad Deum. Ergo poterit dari.

Respondeo, distinguendo, admittunt actum indifferentem *hominis* ex inadvertentia ad Deum: *concedo*, actum *proprie humanum* ac moralem: *Nego*. Actus *hominis* est, qui ab homine v. g. ex consuetudine ponitur sine deliberatione & relatione ad finem hominis ultimum. Actus autem proprie humanus ac moralis est, qui ponitur cum deliberatione ac relatione ad finem hominis ultimum saltem sub prædicato convertibili. Actus ergo *hominis*, non *morales*, illi authores & alii Antiquiores Scriptores admittunt indifferentes. Quod si etiam admittunt actus morales deliberatos indifferentes per accidens, eos solum admittunt indifferentes ad præmium supernaturale vel supplicium, non in ordine ad motum tendendi rationi conformem. Vide object. 1.

Objicitur 1. Si daretur obligatio referendi omnes actus ad finem actionis naturalem a voluptate distinctum, vel omnino ad finem supernaturalem, ea obligatio, utpote fundata in lege naturæ, fuisset etiam agnita ab Alexandro de Ales, a D. Bonaventura, & Scoto, aliisque plurimis Theologis; sed ab his non fuit agnita, ergo.

Respondeo 1. Falsissimum esse, ab Alensi & Bonaventura admissum esse actum in individuo indifferentem *per se talem*. *Alensis* part. 3. q. 60. memb. 1. art. 1. sic scribit: *Quæritur, utrum omnes actiones teneamur referre in Deum? Resolutio. Generaliter omnes actus virium rationalium, viriumque rationis imperio subjectarum ad Deum finem pro loco & tempore referre tenemur. -- Sed si intelligeretur relatio secundum habitum, illud præceptum*: (omnia in gloriam Dei facite) *quod affirmativum est, semper obligaret, quia omnia bona semper habitu referenda sunt in Deum: semper enim quilibet tenetur esse paratus, quod si cogitaret de Deo, quod ad ipsum referret suam actionem. -- Dicendum, quod præceptum de actionibus referendis in Deum affirmativum est, & obligat semper, sed non ad semper, sed pro loco & tempore, hoc est, cum actu cogitatur de opere, & fine principalis operis, scilicet Deo, & de ipsa obligatione, quam debet rationalis creatura Deo: totam enim se debet Deo, & secundum ipsam substantiam, & virtutem & actionem. Distinguendum tamen est, quod quædam vires sunt obedientes rationi, quædam vero vires non obedientes rationi, ut nutritiva & augmentativa & respirativa; & quia actuum harum virium non sumus domini, ideo non tenemur istos actus referre. Item sunt obedientes rationi vires, ut apprehensiva, sensibilis, & motiva, & manducativa, & hujusmodi: & horum actuum habemus dominium, & ideo tenemur ipsos referre in Deum, triplici cognitione concurrente; consideratione scilicet operis, consideratione finis, qui est Deus, consideratione obligationis, qua rationalis creatura tenetur Deo. - Ad alia, quæ objiciuntur, quod, si aliquis comedat propter sustentationem naturæ tantum, quamvis consideret actum & finem Deum, non movetur libidine, concedendum est hoc, cum non consideraret obli-*

obligationem, qua tenetur creatura rationalis Deo. Sed ſi conſideraret obligationem, qua totam ſe debet Deo, & actum, & ipſum Deum; conſtans eſt, ſi non referret, Deo ſuum debitum denegaret, & ideo moveretur improba voluntate, hoc eſt libidine. Ad illud vero, quod, ſi ratio ſequetur velle naturæ, non demerebitur, concedendum eſt, niſi ubi tenetur ad ſuperiorem ordinem actionis.

Dico enim, quod cum ratio conſiderat actum, & finem, & obligationem, quam debet Deo, tenetur ipſam actionem, ut comeſtionis, ordinare non ſolum ad ſuſtentationem naturæ, ſed ad ſuſtentationem propter Deum. Hucuſque Alenſis. Evidens proin eſt, ab Alenſi non admitti actum indifferentem *per ſe talem.*

D. Bonaventura in 2. Diſt. 41. q. 3. dicit. *Non omnis actio non ordinata ad Deum tanquam ad finem eſt mala. Quia quædam non ordinatur propter inordinatam converſionem ad creaturam. Quædam vero non ordinatur propter operantis negligentiam. Quædam vero non ordinatur propter operantis infirmitatem & miſeriam. Prima differentia actionis non ordinatæ eſt mala malitia commiſſionis. Secunda eſt mala malitia omiſſionis. Tertia vero neutro modo eſt mala, ſed eſt indifferens. Talis autem actio eſt, quando quis facit aliquam operationem, ita quod circa creaturam non afficitur inordinate, nec tamen illam actionem comparat ad Deum; ſed facit propter aliquem finem, qui reſpicit indigentiam naturæ, ut cum aliquis ambulat, ut recreetur, vel comedit, ut reficiatur.* Ex his D. Bonaventuræ verbis patet, actionem, quando ab operante comparatur ad Deum, non pertinere ad tertiam Claſſem; adeoque neceſſario ad ſecundam. Sed neque Scotus aperte admittit actum indifferentem *per ſe* talem. Præciſe enim dicit, *probabile* eſſe quod homo non teneatur *ſemper* actum ſuum referre in Deum actualiter vel virtualiter. Referri autem actum virtualiter in Deum dicit, quando ex cognitione & dilectione finis defertur ad volitionem alicujus rei in ordine ad finem, ita tamen ut in executione ejuſmodi volitionis cognitio & dilectio finis actualiter non amplius perſeveret. Itaque, dum Scotus negat obligationem, omnes actus referendi *ſemper* in Deum *actualiter* vel *virtualiter*, idem negat, quod Alenſis & Bonaventura: nempe neceſſitatem ſemper actualiter ad omnem actum præmittendi cogitationem de Deo, influentem in executionem volitionis. Negare autem obligationem ſemper cogitandi de Deo non eſt negare obligationem referendi actum in Deum, quando homo cogitat de Deo. *Confirmatur* hæc expoſitio Scoti ex eo, quia inprimis lectorem remittit ad D. Bonaventuram, quem tamen vidimus non admittere actum indifferentem *per ſe talem*, dum nempe homo ſuam actionem comparat ad Deum. Dein, quia Scotus eundem actum, quem admittit eſſe indifferentem, dicit referri *habitualiter* in Deum, inquantum perficitur in charitate, quam ille identificat cum amore Dei. Amor autem Dei, ſi ponatur actus primus proximus ad actualem dilectionem Dei, vel ad actum imperatum dilectionis, utique inclinat ad ponendum talem actum dilectionis, ut imperatum. Cum igitur actus primus proximus ad actum amoris vel ab amore imperatum ponatur per actualem cognitionem Dei, non eſt veroſimile, Scotum fuiſſe ejus mentis, quod homo etiam tunc, quando actu cogitat de Deo, & ſuam actionem comparat ad Deum, non teneatur actum ſuum referre in Deum. Id ſolum proin admiſit Scotus, quod & admiſit Alenſis, & D. Bonaventura, nempe dari actum indifferentem *per accidens*, quando homo non cogitat de Deo, ſed tantum de fine immediato & naturali actionis, v. g. de ſuſtentatione & ſanitate in comeſtione.

Verba Scoti in 2. diſt. 41. ſic habent: *Quæritur, utrum aliquis actus poſſit eſſe indifferens? Hic dicitur* (juxta Thomam) *quod nullus actus ſingularis eſt indifferens, actus tamen in communi eſt indifferens. Quære D. Bonaventuram. -- Poteſt autem actus referri ex charitate in ultimum finem tripliciter. Uno modo actualiter, ſicut cogitans actualiter de fine di-*

li-

ligit illum, & vult aliquid (imperatum) *propter illum. Alio modo virtualiter, ſicut ex cognitione & dilectione finis deventum eſt ad volitionem* (imperatam) *hujus entis ad finem. Puta* (id eſt, v. g.) *ex cognitione & dilectione Dei pertinente ad portionem* (animæ) *ſuperiorem portio inferior conſiderat talem actum, puta pœnitentiæ, eſſe aſſumendum, & poſtea illum exequitur volendo, non tamen tunc referendo in finem, quia nec tunc actualiter cognoſcitur, nec diligitur. Tertio modo habitualiter, puta ſi omnis actus referibilis in finem manens cum charitate quæ eſt principium referendi, dicatur referri habitualiter. — Ideo probabile videtur, tales actus indifferentes ponere; — Non enim tenetur homo referre ſemper actum ſuum in Deum actualiter, vel virtualiter.* Ita Scotus.

Reſpondeo 2. Etiam hoc falſum eſſe, quod Alenſis & D. Bonaventura, & Scotus non agnoverint obligationem referendi omnes actus ad finem ſaltem naturalem, a voluptate diſtinctum.

Alenſis part. 3. q. 60. membro 1. art. 1. ſic ſcribit: *Dico, quod cum ratio conſiderat actum, & finem, & obligationem, quam debet Deo, tenetur ipſam actionem, ut comeſtionis, ordinare non ſolum ad ſuſtentationem naturæ, ſed ad ſuſtentationem propter Deum.* Ibidem membro 2. art. 2. ſic habet: *Quæritur, an finis in creatura conſtitui poſſit? Reſpondeo. Aliquid quæritur, quia bonum; aliquid quæritur, quia neceſſarium. Proprie illud, quod quæritur quia bonum, quæritur ut finis voluntatis. Illud vero, quod quæritur ut neceſſarium, quæritur ut adminiculum perventionis ad finem voluntatis. Dicendum igitur, quod temporalia ſunt quærenda ut neceſſaria, non ut bona; & ideo proprie ibi non eſt conſtituendus finis, nec motus intentionis. Ad ſecundum patet reſponſio; non enim, quidquid quæritur, quæritur ut finis, immo aliquid quæritur, ut adminiculum actionis ſeu inſtrumentum, ut cultellus quæritur ad inciſionem, & baculus ad itinerationem, in quem modum quærenda ſunt temporalia. Ad tertium dicendum, quod quamvis ſuſtentatio finis laboris ſit, non tamen debet eſſe finis voluntatis, quia ſuſtentatio non eſt quærenda, ut bonum rationalis creaturæ, ſed ut neceſſarium præſenti vitæ, & ideo temporalis ſuſtentatio debet eſſe in uſu, non in intentionis affectu.* Ita Alenſis.

D. Bonaventuræ in 2. Sent. diſt. 41. q. 3. ſic ſcribit: *Quædam actio non ordinatur ad Deum propter inordinatam converſionem ad creaturam. Quædam non ordinatur propter operantis negligentiam. Quædam vero non ordinatur propter operantis infirmitatem & miſeriam. Prima eſt mala malitia commiſſionis. Secunda eſt mala malitia omiſſionis. Tertia eſt indifferens. Talis actio, quando quis facit aliquam operationem propter aliquem finem, qui reſpicit indigentiam naturæ, ut cum quis ambulat, ut recreetur, vel comedit, ut reficiatur, indifferens judicatur, quia Deus illam nec remunerat, nec imputat ad culpam.*

Idem in reſponſione ad object. 2. dicit: *Ad illud, quod abiicitur, quod reddemus rationem de omni verbo otioſo, dicendum, quod otioſum verbum non dicitur, quia non ſit ordinatum in finem ſolum* (oblectationis) *ſed quia omni caret utilitate, dum tamen aliquam deberet habere. Frequenter tamen illa verba, quæ videntur eſſe inutilia, utilia fiunt, dum ordinantur ad recreationem aliquam ſpiritus, & excluſionem acediæ; ſecundum quod D. Bernardus refertur dixiſſe, cum quendam fecit ceſpitare. Otioſum, inquit, fuit factum, ſed non otioſe factum Fecerat enim hoc ad lætificandum illum, quem viderat mœſtum:* ita D. Bonaventura.

Sed nec Scotus admittit actum indifferentem in ordine ad finem actionis naturalem diſtinctum a voluptate. Dicit enim diſt. 41. in 2. actum quidem tam in *eſſe naturæ* quam in *eſſe moris* perfectum adhuc poſſe eſſe indifferentem in ordine ad eſſe meritorium, vel demeritorium; ſi tamen actus non ſit perfectus in *eſſe naturali*, aut in *eſſe morali*, jam hoc ſolum ſufficere affirmat ad hoc, ut actio dici poſſit *mala*. Jam vero

actio-

actionem in *eſſe naturali* negat eſſe perfectam : niſi habeat etiam ſuum finem naturalem . Diſt. 40. in 2. ſic ſcribit : *Primo dicendum eſt de bonitate naturali; ſecundo de bonitate morali . Primo dico, quod ſicut in corpore pulchritudo eſt ex aggregatione omnium convenientium illi corpori , puta quantitatis , coloris, & figuræ ; ita bonitas naturalis eſt perfectio integrata ex omnibus convenientibus ſibi ; & omnibus illis concurrentibus eſt perfecta bonitas , juxta illud : Bonum ex cauſa integra . Omnibus autem iſtis deficientibus, eſt perfecte mala. Quibuſdam ſubtractis eſt mala , ſed non perfecte. Actus autem naturaliter natus eſt convenire cauſæ ſuæ efficienti , objecto , fini , & formæ . Tunc igitur bonus eſt naturaliter , quando habet omnia convenientia quantum ad iſta , quæ nata ſunt ſibi convenire naturaliter , & concurrere ad eſſe ejus naturale .* Ita Scotus.

Neque huic obſtat , quod idem Scotus diſt. 41. videatur admittere actum indifferentem etiam in *eſſe naturæ* ; ibi enim loquitur de indifferentia *meritoria* actus in eſſe naturæ perfecti , ſicut etiam actus in *eſſe morali* perfecti poſſunt eſſe indifferentes indifferentia meritoria; quæſtio enim principalis erat ; an actus morales perfecte deliberati , & in eſſe morali perfecti adhuc poſſint eſſe indifferentes ad meritum; & reſpondet , non tantum dari actus meritorie indifferentes in eſſe naturæ perfectos , ſed etiam in eſſe moris perfectos . Obſervo tamen , eo loci in textu loco interpunctionis per *duo puncta* ponendum eſſe *coma* ; hoc enim ſubſtituere nobis eſt liberum, cum in Manuſcriptis ſæculi 14, quo Scotus vixit , imo etiam in antiquis editionibus Sæculi 15. nullæ ejuſmodi reperiantur interpunctiones . Senſus ergo Scoti hic erit ; *Dantur multi actus indifferentes non tantum in eſſe naturali, ſed & morali, qui ſunt etiam indifferentes in eſſe meritorio , ſicut illi in eſſe naturali ſunt indifferentes in eſſe meritorio .*

Quod attinet reliquos Theologos, qui in contrarium objiciuntur , reſpondeo ; in quæſtione juris naturalis & divini in qua neceſſe eſt , errare unam Theologorum contradictorie ſibi invicem oppoſitorum partem , potius præſumendum, lumini naturæ & lumini gratiæ conformius ſentire Theologos ſanctitate , authoritate , antiquitate , & numero eminenter potiores , qui ſine omni dubio ſtant pro noſtra ſententia.

Objicitur 2. Si non daretur actus indifferens in individuo , non ſufficeret , ſemper operari *honeſtum* , ſed requireretur , ut omnis actio fiat ex motivo honeſtatis ; quia ut docet Ariſtoteles 2. Ethicorum, aliud eſt *operari juſtum* , & aliud eſt *operari juſte ;* Atqui non datur obligatio, ſemper operandi honeſtum ex motivo honeſtatis . Ergo . *Minor probatur* . Hæc obligatio vix ab ullo hominum indoctorum agnoſcitur , prout tamen deberet agnoſci , cum eſſet juris naturalis.

Reſpondeo 1. Negando ſimpliciter Majorem , ſi intelligatur in eo ſenſu, ut idem ſit, operari ex *motivo honeſtatis particularis*, & operari *ex amore honeſtatis*. Ad operandum enim meritorie, v. g. in comeſtione ordinata ad ſuſtentationem , non requiritur , ut quis comedat ex amore honeſtatis, reperibilis in hoc, quod eſt comedere ob ſuſtentationem; ſed ſufficit, quod homo ſit in ſtatu gratiæ, & operetur conformiter rationi . Ita docet Cardinalis Pallavicinus, & P. Ulloa Soc. Jeſu , in Tractatu de virtutibus in genere diſp. 1. C. 1. n. 9. & 10. ubi ſic habet: Quando amas Deum unice propter ipſum, immemor honeſtatis moralis hujus amoris , quam tamen exercite contrahit , etiamſi non habeas reflexiones iſtas, vere elicis actum charitatis Theologicæ. Sic quando reſtituis aliena ex ſolo motivo ſervandi cuique jus ſuum , vere elicis actum juſtitiæ, tametſi actum reflexum non habeas imperantem illam volitionem propter honeſtatem , quam habet . Quemadmodum enim , ut vere contrahas malitiam coram Deo , neceſſe non eſt , quod velis aliena ſurripere his expreſſis ac formalibus terminis : *Quamvis malum ſit , quamvis peccatum ſit,*

sit, sed sufficiens est cognitio malitiæ objectivæ; ita, ut vere placeas Deo, necesse non est, quod velis delectationem peccati sub his expressis ac formalibus terminis: *Quia honestum est detestari peccatum*; neque quod reflexe velis amare Deum, *quia honestum est*, *Deum amare*: sed sufficit, quod peccatum averseris, quia fœdum est, & contra rationem. Ratio ulterior est: Deus est rationabilis; Ergo ipsius est, præmium præfinire pro actibus consonis, & supplicium pro actibus dissonis ipsi rationalitati. Hucusque P. Ulloa, qui l. cc. fuse probat, actum cujusvis virtutis in homine justo esse meritorium, quamvis non fiat ex hoc motivo reflexo, quia est honestus. Quia tamen hæc doctrina non omnibus placet, & quia etiam modus loquendi non est satis accurratus.

Respondeo 2. *Distinguendo* Majorem: Requireretur, ut quævis actio fiat ex motivo honestatis generalis, reperibilis in hoc, quod est operari conformiter rationi, & legi: *Concedo*: ex motivo honestatis particularis, reperibilis in determinata specie actionis: *Nego*. Quando homo constitutus in gratia ex impulsu gratiæ proponit, constanter operari conformiter rationi & legi; id utique proponit, quia videt *rationem boni* in hoc, quod est operari conformiter rationi & legi. *Bonum* igitur reperibile in hoc ipsum movet ad hoc formandum propositum. Consimiliter, quando in actionibus quotidianis obviis operatur conformiter rationi, & legi, haud dubie ideo sic operatur, quia reperit *rationem boni* in hoc, quod est operari conformiter rationi & legi; alioquin enim etiam operaretur difformiter ad rationem vel legem. Igitur *ratio boni*, quam in hoc apprehendit, ipsum movet ad agendum rationabiliter in omni actione. Ergo *bonitas* illa, seu quod idem est, *honestas generalis*, est motivum omnium actionum, quas homo justus deliberate seu elective operatur conformiter ad rationem. Quia ergo nullus hominum ignorat obligationem operandi conformiter rationi, etiam nullus ignorat obligationem operandi in omni actione ex motivo honestatis generalis. Et in hoc sensu explicandus est etiam Philophus. Forte posset etiam *Major* sic *distingui*: daretur obligatio operandi ex motivo saltem implicito, ac sub termino convertibili honestatis, ejusque generalis: *Concedo*: ex motivo explicito ac sub termino formali honestatis, ejusque particularis, reperibilis in hac vel illa determinata specie actionis: *Nego*. Sensus patet ex dictis.

Objicitur. 3. Si non daretur actus indifferens, omnis actio deberet ordinari non solum ad finem naturalem positive honestum, sed etiam ad finem supernaturalem: sed hæc obligatio non datur. Nam 1. ea obligatio non est juris naturalis, nec, ut D. Thomas facit, repetenda ex ipsis principiis naturæ rationalis; cum jus naturale non possit se extendere ad finem supernaturalem. 2. ea obligatio nec est juris positivi divini; alioquin non fuisset ignorata ab Alensi & Bonaventura. Nec enim præsumendum, legem aliquam divinam præcipuam, qualis foret ista, post sufficientem promulgationem ignorari potuisse a tantis Doctoribus, aut eam ignorari posse a tanta multitudine doctorum & indoctorum. *Respondeo*. Concessa *Majore*, Negando *Minorem*. Ad probationem dico; eam obligationem esse juris naturalis, & divini; *naturalis* quidem, inquantum ordinat omnes actiones humanas ad finem ultimum, cui in hac providentia accidit, esse supernaturalem: positivi *divini* autem, inquantum Deus iteratis monitionibus inculcavit illam legem naturalem. Dixi, a jure naturali actiones humanas ordinari ad finem ultimum, cui *accidit esse supernaturalem* in hac providentia. Hinc argumentum objectionis posset distingui. Jus naturale se non extendit ad finem supernaturalem, *qua talem*, seu reduplicative sumptum: *Transeat*; ad finem supernaturalem, *qui est talis*, seu denominative sumptum: *Nego*. Sensus patet ex dictis. Natura enim rationalis non potest non

appe-

appetere ſuum ſummum bonum; ex hoc appetitu inchoat omnes actiones, eaſque eligit tanquam media ad obtinendum ſummum bonum, prout demonſtravi in Philoſophia Pollingana *de anima*, & in Opuſculo, cui Titulus: *Idea divini amoris*. Utrum vero illud ſummum bonum, ad quod obtinendum natura rationalis omnes actiones ordinat, ſit participandum modo naturali vel ſupernaturali, dependet ex natura ſpecifica finis ultimi, vel ex gratuita providentia Dei. Dixi, *tranſeat*. Quia aliud eſt, finem ſupernaturalem, nempe viſionem intuitivam ſeu fruitionem Dei, viribus naturæ non poſſe obtineri; & aliud eſt, illum naturaliter non poſſe cognoſci & appeti, denique aliud eſt, finem ſupernaturalem poſt ejus cognitionem ſupernaturalem naturaliter appeti. Hoc poſtremum defendi ex D. Auguſtino & D. Thoma in Tractatu de Deo, ubi docui, illum finem ſupernaturalem non eſſe quidem humanæ naturæ debitum, nec eum obtineri poſſe viribus naturæ; eum tamen, poſtquam ſemel cognitus fuerit, naturaliter appeti ut obtinibilem per vires gratiæ.

Quod attinet promulgationem hujus legis, ordinandi omnes actiones ad finem ſupernaturalem, *Reſpondeo*, eam ſufficienter fuiſſe agnitam etiam ab Alenſi, & D. Bonaventura; quia, ut ſupra in Objectione 1. oſtenſum eſt, non admittunt actum indifferentem *per ſe talem*, quando homo comparat actionem ad Deum.

Objicitur 3. Textus Scripturæ, ubi dicitur, *omnia eſſe agenda in gloriam Dei*, *in nomine Chriſti cuncta facienda*, *ſemper eſſe orandum*; & textus etiam Patrum, ubi aſſerunt, *ab omni voluptate animum removendum*, quantum agunt de voluptatibus non periculoſis nec aliunde deordinatis, poſſunt explicari, quod loquantur per *modum conſilii*, non vero *per modum præcepti*, aut quod loquantur reſpectu eorum, qui ratione ſui ſtatus obligantur ad majorem perfectionem, adeoque etiam ad media ſelectiora.

Reſpondeo, negando *Antecedens*. In diſcernendis enim conſiliis a præceptis hanc do regulam, quæ recte negari non poteſt. Quandocunque ex proprietate verborum, & obvio contextu clare diſcerni non poteſt, an verba ſumantur per modum rigoroſi præcepti, an vero tantum per modum conſilii, id colligendum eſt ex eo, an ſubjecta materia inſinuetur tanquam moraliter neceſſaria ad fines a Deo aliunde præſtabilitos aut præceptos. Si enim inſinuatur eſſe neceſſaria moraliter ad fines aliunde a Deo præſtabilitos ac præceptos, ſignum eſt, eam materiam continuari modo præceptivo omnibus, qui obligantur ad finem; quia in tali caſu ſubjecta materia petit ordinari modo præceptivo ad finem. Jam vero in præſenti quæſtione conſtat, alienationem affectuum ab omnibus voluptatibus ſenſualibus ac terrenis conſiderari ac inſinuari a Scriptura & Patribus tanquam medium moraliter neceſſarium ad Chriſtianam perfectionem, ad quam tendere omnes Chriſtiani obligantur; idem inſinuatur tanquam medium neceſſarium ad declinandos laqueos diaboli, indeſinenter expanſos per terrenas illecebras, quos jubemur cavere, ſi ſine incommodo poſſint; denique & finis præſtabilitus eſt a Deo, ut ſemper lucretur aliquid ſuæ gloriæ extrinſecæ ex creaturis tam liberis, quam neceſſariis, quantum id convenienter fieri poteſt; ne pereant fruſtra ſuæ gratiæ ſufficientes ad omnem actum liberum collatæ, & ut omnia fructificent Deo momenta, quantum congruit. Ergo dubitandum non eſt, eos textus Scripturæ & Patrum, in quibus fructuoſitas ac utilitas operum præſcribitur ad hos fines, tendere per modum præcepti non late dicti, ſed ſtricte ac proprie ſumpti. Eadem Reſponſio ſervit, quando dantur aliæ expoſitiones illorum textuum v. g. dum dicitur; verba D. Pauli tantum intelligenda eſſe *negative*, ne quid agamus *contra gloriam Dei*; vel *pro loco & tempore*, quo aliunde urget obligatio operandi cum relatione ad Deum; vel *habitualiter* quo jubemur totam vitam

ordi-

ordinare ad Deum ; vel *conſequenter* , quatenus jubemur ex ipſo ſolatio naturæ ſuo tempore conſequenter aſcendere ad beneficentiam Dei conſiderandam , & illi reddere gratias ; vel *de ordine operis*, *non operantis*, quatenus nil licet agere , quod non eſt referibile in Deum, & actu ſecundum ſe etiam independenter ab ordinatione noſtra ſerviat Deo ad aliquem finem ab illo intentum . Sicut contingit circa actus vitales , aut actus hominis indeliberatos . Hæ , inquam , omnes expoſitiones & plures ſimiles deſtruuntur ex noſtra præfata Regula ad ejuſmodi expoſitiones applicata .

Objicitur 4. SS. Patres admittunt actus indifferentes in individuo , ergo . 1. *Hieronymus* Epiſt. ad Auguſtinum 89. *Bonum eſt continentia , malum eſt luxuria ; inter utrumque indifferens ambulare , capitis purgamenta naribus projicere ; hoc nec bonum nec malum eſt ; ſeu enim feceris , ſeu non , nec juſtitiam , nec injuſtitiam habebis* . 2. *Nazianzenus* . Or. 3. §. 94. *Quemadmodum ille , qui ſupplicio dignus non eſt , non hoc ipſo ſtatim laudem meretur , ita nec ille , qui laude dignus non eſt , confeſtim pœnam meretur* . 3. Patres illum textum D. Pauli , *ſi quis ædificat fœnum , ſtipulam* . §. explicant de operibus nullum habituris præmium, nec tamen peccaminoſis .

Reſpondeo, negando *antecedens* . Ad 1. *diſtinguo* . Dicit hoc Hieronymus animo execrandi , *concedo* . animo approbandi , *nego* . Si quis legat contextum , & Reſponſionem S. Auguſtini, videbit manifeſte , D. Hieronymum hoc argumento tanquam fortiſſimo impetere Auguſtinum , quod ex ejus ſententia ſequeretur aliquis actus humanus indifferens , qualem admittunt Philoſophi gentilium , ſic ſe explicantes , ut bonum ſit continentia, &c. Reſpondet D. Auguſtinus , ex ſua ſententia non conſequi actum indifferentem ; & ſi conſequeretur , ea ſententia Philoſophorum non eo ipſo eſſet falſa . En ! verba D. Hieronymi ſunt iſta : *Quis hoc Chriſtianorum patienter audiat , quod in tua Epiſtola continetur ? Judæus erat Paulus ; Chriſtianus factus non Judæorum Sacramenta reliquerat , quæ ille populus acceperat , ideoque ſuſcepit celebranda ea , cum jam Chriſti eſſet Apoſtolus , ut doceret non eſſe pernicioſa his , qui ea vellent , ſicut a parentibus acceperant , cuſtodire . Ego e contrario loquar ; Cæremonias Judæorum pernicioſas eſſe & mortiferas Chriſtianis & quicunque eas obſervaverit , ſive ex Judæis ſive ex gentibus . -- Obſervationes , inquis , legis , ſicut a D. Paulo celebratæ ſunt ſine ulla ſalutis neceſſitate . Quid velis dicere , non ſatis intelligo . Si enim ſalutem non afferunt , cur obſervantur ? Si autem obſervanda ſunt , utique ſalutem afferunt . Neque enim indifferentia ſunt* (id eſt, dantur) *inter bonum & malum , ſicut Philoſophi diſputant* : (dicentes :) *bonum eſt continentia &c. obſervare autem cæremonias legis non poteſt eſſe indifferens , ſed aut malum eſt aut bonum eſt . Tu dicis bonum ; ego dico malum* .

Ad hæc reſpondet D. Auguſtinus in Epiſt. 19. his verbis : *Sed cavendum eſt videlicet in hac diſputatione* (juxta tuum argumentum) , *ne ſicut Philoſophi quædam facta hominum media dicamus quæ neque in recte factis , neque in peccatis numerentur : Quid ego apud te timeam nomen Philoſophorum , qui non propterea vani ſunt , quia omnia falſa ſunt , ſed quia & ubi vera dicuntur dicere , a Chriſti gratia alieni ſunt . -- placetne tibi , ut medium quiddam dicamus , quod tamen acceptabile ſit ei , qui hoc non ſimulate ſed congruenti ſocietate atque obſervantia fecerit* . Ex quibus verbis patet, D. Hieronymum non admiſiſſe media indifferentia, ſed iſta tanquam abſurdum Philoſophorum Auguſtino tribuiſſe, qui tamen ipſe non admiſit hoc ipſo loco medium indifferens in individuo , ſed in genere tantum ; quia dicit , tale factum *acceptabile* , id eſt *meritorium* eſſe operanti .

Ad textum D. Gregorii dico ; eum loqui de actibus indifferentibus ex ſuo genere ; agit enim contra Gentiles calumniantes, quod Chriſtiani legem ſuam non ſervent , utpote conſilia Evangelica , quibus reſpondet. *Non advertis , quod in le-*

in legibus noſtris alia parendi neceſſitatem imponunt, alia non neceſſitate conſtringunt, ſed in arbitrio & voluntate poſita ſunt. De his ergo dicit, quod ſint illa media, quæ ſi non obſerventur, nulli pœnæ obnoxios reddunt.

Ad 3. Reſpondeo. A SS. Patribus illa opera, quæ pertinent ad ſtipulam & fœnum, referri inter opera peccaminoſa, quorum merces in æternum peritura eſt; & licet alio ſupplicio ac pœna ſenſus non afficiant, ipſa tamen memoria æternæ jacturæ, quam de præmio patiuntur, in purgatorio crucient, dicitur enim in græco, ζημιωθήσεται, ideſt pœna mulctabitur.

Objicitur 5. Obligatio omnia ordinandi in finem ultimum virtualiter eſt nimis difficilis, ergo non eſt prudenter intendibilis a Deo, adeoque non datur. *Ant. prob.* eſt difficile, intentionem v. g. matutinam efficaciter influere in tam diverſos „ actus, & eam nunquam per „ actus contrarios retractari, ergo.

Reſpondeo, non eſſe difficile id, quod ad actum meritorium requirit D. Thomas. Is, ut ſupra vidimus, nil aliud requirit, quam ut homo agat conformiter rationi ad finem poſitive honeſtum, id eſt, reipſa a Deo ordinatum, & ut homo ſe totum ordinaverit ad Deum per actus rationi conformes, & alios ſublimiores.

Hoc requirimus & nos. *Ad rationem additam* dico, intentionem præcedentem, in quantum fertur ad generalitatem actuum conformium rationi cum præparatione animi ſeria & per media de ſe efficacia, non tolli per actus particulares contrarios, ſicut & habitus non tollitur per paucos actus contrarios. Itaque illa prior intentio per eam præparationem animi ſemper efficaciter inclinat ad eliciendos actus conformes rationi atque ordinandos in finem poſitive honeſtum, qui omnes eo ipſo cenſentur etiam virtualiter ordinati ad finem ſupernaturalem, eo quod generalis intentio omnia ordinandi ad Deum partim per actus conformes rationi, partim per actus ex motivo intrinſeco ſupernaturales per diſpoſitionem ac præparationem animi a ſe relictam efficaciter influat in ejuſmodi actus tanquam inſtrumentales.

Dices: Si hoc ſufficit ad actum meritorium, ut homo ſe & omnia ſua ordinaverit ad Deum, ac dein agat conformiter rationi, ſequeretur, quod homo ſemel conſtitutus in gratia ſemper agat meritorie in omni actione rationabili, etiamſi per quinquaginta annos non amplius cogitet de Deo, nec ullam actionem referat ad Deum. Sed hoc eſt abſurdum, & abſonum a ſenſu Doctorum & indoctorum.

Reſpondeo diſtinguendo. Id ſequeretur, etſi tanto tempore tantum non cogitet de Deo ſub termino aliquo explicito. *Tranſeat.* Etſi nequidem cogitet de Deo ſub prædicato aliquo generico & convertibili cum Deo. *Nego.* Qui enim exercite cognoſcit, ſe obligari ad hoc, ut agat conſentanee ad rationem, eoipſo cognoſcit exercite aliquem legislatorem ſeparatum, ac diſtinctum a ſua ratione ſeu conſcientia. Prædicatum autem *Legislatoris* ſupremi eſt prædicatum convertibile cum Deo. Itaque in omni actione deliberata, dum homo eligit potius agere conformiter ad rationem, quam contra rationem, eoipſo cogitat de Deo ſub termino convertibili cum Deo, nempe ſub termino Legislatoris ſupremi ac ſeparati. Et hæc eſt ratio, cur nequeat in ulla actione deliberata *peccatum philoſophicum*, ſeu oppoſitum ſoli dictamini rationis, non vero Deo; quia videlicet impoſſibile eſt, ut homo agat deliberate juxta præſcriptum rationis, ac juxta legem conſcientiæ, quin eoipſo ſub prædicato convertibili, nempe ſub prædicato ſupremi Legislatoris ſeparati, cogitet de Deo.

Dices 2. Ex hoc ſequeretur, quod ad agendum meritorie non requiratur *intentio virtualis*, ſed ſufficiat *habitualis*, ſeu *actualis præterita nondum retractata*; quia non videtur, quomodo intentio actualis præterita per aliquem ſui effectum relictum efficaciter influat in actiones ſubſequentes, ſi ad agendum meritorie ſufficit, ut homo prius ſe & omnia ſua ordi-

ordinaverit ad Deum, ac postmodum pergat agere conformiter rationi.

Respondeo. Illud propositum, quo homo se & sua omnia efficaciter ordinavit ad Deum, inchoare in animæ potentiis quendam habitum, inclinantem ad actus proposito conformes. Ille autem inchoatus habitus, dum perpetuo novis actibus imperatis, seu actibus rationi conformibus, corroboratur, adeo non exspirat, ut etiam perficiatur in habitum moraliter immobilem.

Dices 3. Ex hoc sequeretur, inanem esse sollicitudinem Doctorum & proborum, inculcantium, ut intentio actualis explicita non solum renovetur quotidie mane, sed etiam reiteretur sæpius per diem. Si enim ad agendum meritorie sufficit, dummodo quis prius semel se & omnia sua ordinaverit ad Deum, ac postmodum pergat operari conformiter rationi, ad quid opus est ista molesta reiteratione intentionum actualium?

Respondeo. A Doctoribus & ab Ascetis recte consuli frequentem illam reiterationem intentionis actualis, non solum propterea, quia expressio intentionis auget meritum; sed etiam ideo, quia in multis hominibus timendum est, ne dum per diem committunt plura peccata venialia, agendo præcise ex motivo voluptatis in comedendo, audiendo, loquendo &c. & non ex præscripto rationis ex motivo utilitatis, quia, inquam, timendum est, ne prius propositum, se & omnia sua ordinandi ad Deum, ac nil agendi ex motivo voluptatis, fuerit retractatum per tot actus contrarios, aut certe ita hebetatum in suis relictis effectibus, ut nullam amplius habeat influentiam in actus subsequentes.

Objicitur 6. Si non datur actus indifferens, vera erit damnata propositio Quesnelli, ubi dicit, omnem actum humanum aut esse amorem Dei laudabilem, aut amorem Dei vituperabilem. Propositio ejus 44. sic sonat: *Non sunt nisi duo amores, unde volitiones & actiones omnes nostræ nascuntur; amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur; & amor, quo nos ipsos ac mundum diligimus, qui quod ad Deum referendum est, non refert, & propter hoc ipsum fit malus.*

Respondeo. Negando Majorem. Aliud enim est, non admittere actum indifferentem inter duos actus cujuscunque virtutis specificæ ac vitii oppositi: & aliud est, non admittere alium actum alterius virtutis specificæ, ac vitii, nisi amorem Dei & amorem mundi. Error Quesnelli consistit in eo, quod doceat, omnem actum esse formaliter amorem Dei, aut amorem mundi; eo quod credat, omnes actus debere elici ex motivo amoris Dei. Hoc sententia nostra non admittit; cum enim virtutes speciem & denominationem suam sumant ex motivo immediato atque explicito, ex quo eliciuntur; consequitur, non omnes actus posse vocari *amorem Dei*, cum non omnes actus necessario ex motivo amoris eliciantur. Ac plane propositiones Quesnellianas nil commune habere cum hac nostra doctrina circa actum indifferentem, non solum evidens est ex aliis ejus propositionibus, in quibus requirit pro omnibus actibus humanis formale motivum charitatis; sed etiam ex eo, quia ipsimet Thomistæ fuerunt Romæ censores Propositionum Quesnellianarum.

Objicitur 7. Qui dat eleemosynam, præcise ut se liberet a molestia pauperis, nec peccat, nec agit meritorie; ergo ponit actum indifferentem. *Antecedens* probatur. Talis nec agit juxta legem prohibentem, nec juxta legem præcipientem. 2. Potest quis levare festucam præcise ex hoc motivo, quia id Deus permittit, non est præmio aut pœna dignus. 3. Dantur plurimi actus, qui nec sunt materia laudis, nec materia confessionis; ergo nec sunt meritorii, nec peccaminosi. *Antec. probat.* Rideretur pœnitens, qui confiteretur hoc unum peccatum, quod non operatus fuerit meritorie levando festucam, aut fricando barbam; erraret & confessarius, talem pœnitentem sine ulla alia confessionis materia absolvendo?

Re-

Reſpondeo ad primo. Negando *antecedens*. Si enim ponantur circumſtantiæ, in quibus ordo rationis dictat, redimendam eſſe obolo moleſtiam pauperis, ne impediatur ab aliis utilioribus negotiis, vel ne incurrat apud imperitos notam immiſericordis, talis actus in homine juſto ex præſcripto rationis poſitus erit etiam meritorius. Si vero ordo rationis id non conſulit, aut cogitatio interna monet de exercendo actu etiam interno miſericordiæ, actus dictamini rationis contrarius, aut neglectus bonæ inſpirationis erit etiam peccaminoſus.

Ad 2. dico. Hunc caſum poni non poſſe; quia Deus nullam actionem permittit infructuoſam ſine fine particularis utilitatis. Si vero dicatur; ſic exiſtimari poſſe per ignorantiam invincibilem. *Reſpondeo* eodem modo, quo reſponderi ſolet de ignorantibus Deum, eam ignorantiam non poſſe eſſe invicibilem; cum quilibet ſciat, agendum eſſe juxta præſcriptum rationis; ratio autem dictat, cujuslibet actionis aſſignari debere rationem ac cauſam prudentem utilitatis; cum prudentia ſit ratio mediorum ad finem, ſeu diſpoſitio ac ordinatio mediorum ad finem hominis, nempe verum bonum. Non eſt opus multo ratiocinio ad hoc, ut quis agnoſcat, Deum & naturam nil facere fruſtra: hujuſmodi enim primariæ veritates *in lumine* naturæ *videntur*; non ratiocinio eruuntur. Si autem Deus & natura nil faciunt fruſtra, eoipſo etiam cuivis clarum eſt, Deum non velle dare ſuum concurſum ad ullam actionem humanam, neque ad producendam voluptatem ſine ordine ad promovendam ſuam gloriam, partim per cauſalitatem phyſicam, in quantum illa voluptas concurrit miniſterialiter ad effectum naturalem ſervientem ad ſui glorificationem, partim per cauſalitatem moralem, in quantum ea actio excitat hominem ad conjungendam intentionem rationi conformem, Deo acceptam. Quod ſi autem homo ſua intentione ſiſteret in ſola voluptate, nec actio hominis, nec ipſa voluptas ſerviret Deo ad ullum finem a Deo intentum: adeoque concurſus Dei tam ad actionem, quam ad voluptatem foret fruſtraneus cum approbatione divina.

Ad 3. reſpondeo. Neminem irrideri aut ſine abſolutione dimitti poſſe, qui dolet & in confeſſione ſe accuſat de multis cogitationibus, dictis, aut factis otioſis, id eſt, nullum habentibus finem rationabilem, ſeu utilem. Itaque hæc genera actionum ex circumſtantiis individualibus æſtimari debent. Si conſideratis circumſtantiis nullum habeant finem rationabilem, v. g. arcendæ moleſtiæ, recreationis ſeu reparationis virium animi & corporis, obſervandæ honeſtatis &c. erunt revera otioſa. Si vero operans poſſit aſſignare finem rationabilem ſuæ actionis, eoipſo actio in homine juſto, qui ſe & omnia ſua ordinaverit in Deum, erit etiam meritoria.

Dices: Poterit quis frui voluptate, ut ex uſu voluptatis alacrius laudet Deum, & grato animo promptius ſerviat Deo, qui hominem inebriat his omnibus bonis; & qui tam bonus eſt, ut creaturas condiderit non ſolum ad hominis neceſſitatem vel utilitatem, ſed etiam ad hominis ſolatium, oblectationem, & voluptatem. Ergo non eſt neceſſe, ut operans omnes ſuas actiones ordinet ad finem naturalem diſtinctum ab actione vel voluptate.

Reſpondeo diſtinguendo *Antecedens*. Poterit hoc intendi cum intentione ſimul moderate excitandi ſpiritus vitales & animales, inſtrumentaliter inſervientes pro alacritate mentis: *Concedo*. Sine tali intentione: *Nego*. Cum enim actiones animæ ſint actiones dependentes a miniſterio corporis, eo quod ſint *actiones conjuncti*, etiam alacritas mentis in ſervitio divino haberi non poteſt ſine commotione alacri ſpirituum vitalium & animalium. Ad commotionem autem eorum ſpirituum ſerviunt variæ actiones cujuſvis temperamento, educationi, & aſſuetudini accommodæ. Eatenus proin verum eſt, Deum optimum creaſſe varia creaturarum genera non ſo-

lum ad vitæ conservandæ necessitatem, vel utilitatem, sed etiam ad consolationem & oblectationem. Si quis autem frui vellet voluptate, in ordine quidem ad alacrius laudandum Deum largitorem bonorum, attamen sine moderatione, ac contemperatione omnium circumstantiarum, personæ, loci, temporis, ac præsertim immediati subjecti ac instrumenti illius alacritatis internæ; haud dubie peccaret. Illa autem moderatio conservari non potest, quin intendatur. Necesse ergo est, ut simul cum alacritate animi ad laudes divinas intendatur finis voluptatum seu oblectationum naturalis, nempe moderata excitatio spirituum vitalium & animalium inservientium alacritati mentis ad laudes divinas. Hæc tota intentio in hominibus indoctis, qui ignorant connexionem causarum physicarum, exprimi solet per hoc, quod dicant, voluptates ac oblectationes alioquin non inordinatas aut periculosas ordinari ad *moderatam recreationem*, seu reparationem virium internarum. Ea autem *moderata recreatio* consistit in hoc, ut non excedat in modo intensionis, durationis, qualitatis, adhæsionis, relaxationis &c. ultra quam conducit ad præparandum animum in immediatas laudes decentes Dei. Voluptas enim, vel oblectatio, quæ ita excitat spiritus vitales vel animales, ut animus a Divinis dissolvatur, aut omnino ab attententione, devotione, ac amore boni circa divina retardetur, non est idoneum instrumentum *recreationis*, sed *destructionis*; adeoque nec est idoneum objectum intentionis piæ, qua homo vellet voluptate ac oblectatione illa frui sub prætextu, illa se recreandi, ut ex illa dein alacrius laudet Deum, largitorem bonorum.

Objicitur 8. Concilium Constantiense damnavit hanc propositionem 16. Joannis Huss. *Quod nulla sint opera indifferentia, sed hæc sit divisio immediata humanorum operum, quod sint vel virtuosa vel vitiosa*. Ergo dantur opera indifferentia, quæ nec sunt virtuosa nec vitiosa.

Respondeo. Negando *Antecedens*. Concilium enim damnavit propositionem causalem, non propositionem categoricam. Propositio autem causalis potest esse falsa, etiamsi propositio illa vera sit, cui falsa causa apponitur. Sic enim hæc propositio causalis: Homo est animal rationale, quia est leo: vel ista: Petrus negavit Christum, quia nunquam in Christum credidit, falsissima est, etiamsi propositio, cui causa adjungitur, vera sit. Quod autem propositio a Concilio damnata sit causalis, patet inspicienti; sic enim sonat: *Quod nulla sint opera indifferentia, sed hæc sit divisio immediata humanorum operum, quod sint vel virtuosa vel vitiosa: quia si homo est vitiosus & agat quidquam, tunc agit vitiose: quia sicut peccatum inficit universaliter omnes actus hominis vitiosi; sic virtus vivificat omnes actus hominis vitiosi*. Cum ergo falsum sit, quod omnia opera hominis vitiosi sint vitiosa, v. g. eleemosina, oratio &c. tota illa Hussi propositio erit falsa. Ratio est, quia homo vitiosus non semper operatur ex habitu vitioso, sed operatur aliquando bonum; sicut virtuosus homo non semper operatur ex habitu bono, sed operatur quandoque peccatum veniale, quod utique non est opus virtuosum. Error Hussi consistebat in hoc, quod cum suo Wicleffo docuerit; prædestinatos nunquam excidere gratia Dei, sed semper operari bene, etsi committant furta & adulteria; & vicissim juxta ipsos, reprobi nunquam ponuntur in gratia Dei, adeoque semper operantur vitiose: per vitiosum ille proin intelligit reprobum; per virtuosum autem intelligit prædestinatum. Itaque recte damnatur Hussus, dum propositioni veræ, quod nulla dentur opera indifferentia, falsam assignat causam: sicut & Quesnelli propositio 16. recte damnata est, qua ait: *Nullæ sunt illecebræ, quæ resistant illecebris gratiæ, quia nihil resistit omnipotenti*: eo quod infallibilitati efficacis gratiæ causam præscribat omnipotentiam Dei. Cæterum sensum præfatum esse verborum Hussi patet ex aliis

ejus

ejus propoſitionibus, nempe 1. 2. 3. 21. 25. Veritas reſponſionis colligitur etiam ex eo, quia major pars Doctorum, qui damnarunt Huſſum, fuit addicta doctrinæ D. Thomæ reiicientis actum indifferentem ex alia cauſa vera.

Objicitur 9. Si non daretur actus indifferens, ſequeretur, omnia opera infidelium, & peccatorum exiſtentium in peccato mortali eſſe demeritoria, adeoque mera peccata; ſed hoc dici nequit; quia damnatæ fuerunt ſequentes propoſitiones Baii. 25. *Omnia opera infidelium ſunt peccata, & philoſophorum virtutes ſunt vitia.* Et 35. *Omne quod agit peccator, vel ſervus peccati, peccatum eſt. Major* autem *probatur;* Infideles & peccatores, cum ſint deſtituti gratia, non poſſunt operari meritorie in ordine ad vitam æternam; ergo eoipſo operarentur demeritorie.

Reſpondeo. Negando *Majorem.* Ad probationem *diſtinguo.* Non poſſunt operari meritorie in ordine ad vitam æternam merito de condigno, efficaci, & proxime idoneo: *concedo.* Merito late dicto inefficaci, & remote idoneo: *nego.* Meritum late dictum vocatur quævis diſpoſitio ad gratiam, quamvis impediatur ex adjuncto peccato; quia tamen ſaltem remote diſponit ad vitam æternam, poterit bonum opus peccatoris, v. g. oratio, eleemoſina, dici *de ſe* meritoria vitæ æternæ. Itaque Concluſio, qua dicitur, non dari actum indifferentem, ſeu medium inter meritorium & demeritorium, intelligi debet de meritorio in genere ſumpto, prout convenit tam merito ſtricte ſumpto, & efficaci in actu ſecundo, quam merito late ſumpto, & inefficaci per accidens ex conditione operantis. Addo, in Bajo tantum damnatum fuiſſe, quod omnia opera infidelium & peccatorum ſint in ſeipſis peccata nova actualia ob pravos motus concupiſcentiæ non liberos, quos ille docet eſſe vera peccata in nondum renatis, aut in peccatoribus per peccatum in priorem imputabilitatis originalis ſtatum relabentibus, prout patet legenti ejus propoſitiones. Per hoc tamen non eſt damnata doctrina aſſerentium, omnia opera infidelium & peccatorum, quamdiu culpabiliter in peccato manent, quamvis bona, conjuncta eſſe cum peccato habituali omiſſionis, qua omittunt converſionem. Aliud enim eſt, opus bonum non eſſe bonum, ſed peccatum; & aliud eſt, quod opus bonum ſit conjunctum cum actione vel omiſſione peccaminoſa. Sic ſtudium vel lectio pii libri conjuncta in die feſto cum concomitante omiſſione Sacri aliunde ex alio motivo pigritiæ præſtabilita in mente negligentis adire Eccleſiam juxta veriorem ſententiam non eſt vocandum peccatum, ſed actio conjuncta cum peccato, quia ea circumſtantia omiſſionis non influit in actum ſtudii vel lectionis piæ. Eodem ergo modo dici poſſet, omnia opera exiſtentium in peccato mortali, etſi de ſe bona, conjuncta tamen eſſe cum perpetuo peccato habituali omiſſionis, qua negligunt converſionem. Saltem hæc doctrina non comprehenditur in illa propoſitione damnata Baii.

Objicitur 10. Si non admittitur actus indifferens eo quod omnia opera ſint referenda ad Deum, ſaltem poterit ex D. Thoma defendi, quod ſufficiat *intentio habitualis* omnia referendi in Deum. Ergo non eſt verum, omnes actiones eſſe referendas in Deum *actualiter*, vel *virtualiter*. *Ant. prob.* D. Thomas in Epiſt. 1. ad Cor. 10. dicit: *Dicendum, quod illud præceptum Apoſtoli eſt affirmativum, unde non obligat ad ſemper; & ſic non facit contra hoc præceptum, quicunque non actu refert in gloriam Dei omne quod facit. Sufficit ergo, quod aliquis habitualiter referat ſe & omnia ad Deum.*

Reſpondeo. Negando *Antecedens.* Ad probationem *diſtinguo*: dicit hoc D. Thomas, ſumendo habituale pro virtuali: *concedo*: ſumendo habituale, ut opponitur virtuali: *nego*: nam D. Thomas interdum ſumit hunc terminum *habituale* in ſenſu latiore, prout præciſe opponitur *actuali*, & non *virtuali*: interdum autem ſumit illum terminum in ſenſu ſtricto, prout opponitur etiam *virtuali*. Latius illum terminum ſumit

par. 3. Summæ q. 64. a. 8. ad 3. ubi docet, sufficere intentionem habitualem ministri ad hoc, ut valide conficiatur sacramentum; cum tamen aliunde constet, hoc loco to *habituale* sumi pro *virtuali*. Quod autem sæculo D. Thomæ ea promiscua illorum terminorum acceptio fuerit usitata, ostenditur ex D. Bonaventura, qui cum D. Thoma Parisiis vixit. Is in 2. dist. 41. art. 1. q. 3. num. 6. sic scribit. *Notandum est, quod ad hoc, quod aliqua actio sit meritoria, non oportet, quod semper quis eam referat actualiter in Deum, sed sufficit relatio habitualis. Habitualem autem relationem voco, non quia habeat charitatem, per quam sit habilis ad referendum; sed quia in primordio illius operationis, vel alterius, ad quam illa consequenter se habet, intentionem habet ad Deum directam. Unde si aliquis intendit dare pro Deo centum marcas, & incipit dare, & cogitat de Deo in prima marca, & in aliis non cogitat, nihilominus omnes dationes illæ sunt ei meritoriæ & fructuosæ. Si autem opus alterius generis inciperet, oportet, quod intentio renovaretur ad hoc, ut opus esset meritorium. Per hunc modum intelligitur etiam esse in viris religiosis, qui in principio ex charitate devoverunt portare religionis pondus. Quidquid enim faciunt, quod ad suæ religionis spectat, ex prima intentione est eis meritorium ad salutem, nisi forte, quod absit, contraria intentio superveniat. In aliis autem, quæ ad religionem non spectant, secus est; quia illa intentio se non extendit habitualiter; & ideo non est parvæ securitatis & utilitatis, religionem intrare. Fuerunt tamen qui dixerunt, quod habitualis intentio solum sufficit ad meritum satisfactionis: opus enim est satisfactorium, si fiat in charitate. Ad hoc autem, quod opus sit meritorium vitæ æternæ, dicunt necesse esse, concurrere intentionem actualem, quia nullum opus est meritorium, nisi fiat a charitate actualiter movente. Probabilius tamen est dicere, sicut dictum est, quod ad utrumque sufficiat relatio habitualis. Relationem autem habitualem voco, non qua quis in generali refert ad Deum omnia opera diei, vel anni, sed qua quis refert aliquod opus ad Deum, ita quod opus sequens directam habet ad hoc opus primum ordinationem & consequentiam, sicut est in illo, qui dat centum marcas, vel intendit ire ad S. Jacobum. In aliis autem non habet locum. Habitualem etiam intentionem seu relationem voco, quando non præcogitato in actu, ut tunc, fine ultimo, sive Deo, ex sola boni operis consideratione ipsa charitas prompta, seu alia virtus charitate informata ad ipsum bonum opus inclinat: sicut vir obediens meretur obediendo Prælato sibi præcipienti, etiam si nihil de Deo cogitet, sed solum consideret, quod bonum est obedire.* Ita D. Bonaventura, ex quibus manifestum est, to *habituale* sumi pro *virtuali*, prout præcise opponitur *actuali*.

Objicitur 11. D. Chrysostomus docet, multa fieri posse ex causa voluptatis. Sic enim in c. 4. Epist. ad Coloss. Hom. 12. dicit: *Vinum datum est ad lætitiam, & non ad ebrietatem.* Ibidem agens de conviviis nuptialibus, ad quæ introducebantur etiam meretrices, ait: *Quid sibi volunt meretrices? ut sit, inquis, major lætitia. -- Licet aliis exhilarare nuptias, utpote lautis mensis, & copiosis vestimentis. Hæc non amputo, ne videar esse valde agrestis. Quanquam Rebeccæ suffecit solum theristrum. Sed non amputo. Licet exhilarari vestibus.* Idem in Epist. ad Hebr. hom. 15. *Non malum est risus, sed malum est id, quod est præter modum.* Ergo S. Doctor non prohibet motivum lætitiæ aut voluptatis, dummodo moderatæ.

Respondeo. Distinguendo: docet D. Chrysostomus, multa fieri posse causa lætitiæ aut voluptatis, ut subordinatæ aut coordinatæ ad alium finem a natura intentum, *concedo*: ut non subordinatæ aut coordinatæ ad alium finem: *nego*. Sicut permittitur edere causa nutritionis, quin ipsa nutritio actualiter debeat referri ad alium finem altiorem; ita etiam licet aliqua agere causa lætitiæ, aut voluptatis moderatæ, si illa lætitia aut voluptas ordinentur virtua-

liter

liter ad finem a Deo intentum, puta ad recreationem, id eſt, reparationem virium animi vel corporis, juxta illud Pſalmiſtæ: *Fortitudinem meam ad te cuſtodiam*. Quod vero illa virtualis intentio requiratur, patet ex eo, quia in omni actione licita requiritur debita circumſpectio, ſeu conſideratio circumſtantiarum, inter quas primaria eſt circumſtantia finis, & uſus, & moderationis. Immo ipſa moderatio actionis non poteſt conſiderari niſi per contemperationem ad finem, ſeu utilitatem. Itaque ſi moderatio & circumſpectio obſervari debet, ea etiam intendi debet: conſequenter omne illud intendi debet, quod in illa moderatione ac circumſpectione includitur, nempe habitudo & referibilitas proxima ad finem. Hanc etiam eſſe mentem D. Chryſoſtomi probo ex eo, quia ubicunque loquitur de honeſtate actionum, aut lætitiæ, aut voluptatis, eaſdem ſimul conjungit cum fine utili a natura intento, in ordine ad quem actio dicitur eſſe honeſta aut moderata; prout patet ex inductione ſequentium textuum: *In* 1. *Ep. ad Cor. c.* 4. *hom.* 10. oſtendit; ex eo, quod omnia Dei ſint, nihil poſſe converti in beneplacitum proprium, adeoque nec pecunias, nec quidquam aliud; itaque nihil eſt eligibile niſi in ordine ad finem a Deo determinatum. „ Apoſtolus, inquit, dicit; *Non eſtis veſtri, ſed empti eſtis pretio*: omnia enim „ ſunt Dei. Ergo ea, quæ ſunt Domini, non nobis attribuamus. Anima tua non eſt tua, & quomodo tuæ „ ſunt pecuniæ? Quoniam autem non „ ſunt noſtra, ſed Domini, oportebat „ ea impendere in conſervos. Ne dicas ergo; ego meis fruor, & ex iis „ delitioſe vivo (τρυφῶ). Non vides „ quod & manus miniſtrant, & os cominuit & venter capit? num dicit „ venter, quoniam accepi, debeo totum detinere? quomodo ergo ventris „ eſt vitium, cibos detinere, & non diſtribuere, ita etiam divitum eſt vitium, id quod habent apud ſe detinere: hoc enim & ſeipſos perdit & alios.

Idem in 2. *Epiſt. ad Cor. c.* 6. *hom.* 12. „ Quam ob cauſam cibi nobis Dei „ munere conceſſi ſunt? illud ſane perſpicuum eſt, quod alimoniæ, ſanitatis, viriumque tuendarum cauſa data ſint.“

Idem in 2. *Epiſt. ad Cor. c.* 7. *Hom.* 15. omnia utenſilia reſtringit ad neceſſaria ac utilia vitæ. „ Ita divinitus, „ inquit, comparatum eſt, ut paucis „ admodum rebus natura contenta ſit; „ quanquam nec vos cogo, nec legem „ impono ut ita vivatis, verum ut Jacob poſtulabat. Quid autem ille poſtulabat? Si mihi dederit Deus panem „ ad veſcendum, & veſtimentum ad „ induendum. Sic etiam Paulus imperabat dicens: *Habentes autem alimenta, & quibus tegamur, his contenti ſimus*.

Idem in 2. *Epiſt. ad Cor. c.* 5. *Hom.* 12. ad vitium pigritiæ refert, ſi quis in vacuum recipiet gratiam Dei, quæ tamen datur ad omne opus bonum. „ Apoſtolus, inquit, eos terret & excitat dicens: Exhortamur vos, ne in vanum gratiam Dei recipiatis. Neque „ nos propterea ſocordiæ dare debemus, „ quia Deus nos rogat; immo ob hoc „ ipſum majore ſtudio & diligentia Deo „ placere ac ſpirituales merces colligere curemus, id enim & ſuperius dicebat: Charitas Dei urget nos, hoc „ eſt, premit, impellit, adurget, — „ uſque ad ſecundum adventum tantiſper rogat, dum hic ſumus; poſtea „ ſequitur pœna & cruciatus.“ Ex hoc textu ſequitur, cum ad omnem actionem homini liberam detur gratia, pœna & cruciatu dignum eſſe, ſi in vanum recipiatur.

Idem in Epiſt. ad Epheſ. c. 5. *Homil.* 17. ad illa verba: *ſtultiloquium aut ſcurrilitas* (id eſt, facetia) *quæ ad rem non pertinent*, μωρολογία ἢ εὐτραπελία: oſtendit, nobis nec momentum eſſe a Deo conceſſum niſi in ordine ad finem vocationi noſtræ congruum & utilem; adeoque nec verbum facetum nec riſum niſi in ordine ad finem prudentem eſſe permiſſum. „ Quid proderit, inquit, ſi

„ dicas facetum verbum? ſolum riſum „ moves. Dic mihi, Sutor facietne ali- „ quid ex iis, quæ ad artem ſuam non „ pertinent, aut poſſidebit aliquod ejuſ- „ modi inſtrumentum? Nequaquam. „ Nam quæ non ſunt in uſu, & qui- „ bus non habemus opus, ea nihil ad „ nos. Nullus ſit ſermo otioſus: ab „ otioſo enim ſermone in ineptum (ἀπό- „ πως) decidimus. Non eſt præſens tem- „ pus diſſolutionis ac effuſionis (διαχύ- „ σεως) ſed luctus, afflictionum & eju- „ latus. Tu autem facetiis indulges. „ Quis athleta ſtadium ingreſſus miſſa „ ſolicitudine cum adverſario decertan- „ di facetiis indulget? Inſtat diabolus, „ circuit, quærens quem rapiat, om- „ nia movet, & in caput tuum vertit „ omnia, & molitur ut e nido te eji- „ ciat, dentibus ſtridet: rugit, ignem „ ſpirat adverſus tuam ſalutem, & tu „ ſedes facetias loquens, & ſtultiloquia „ quæ ad rem non pertinent? quam „ belle igitur eum ſuperabis! vis autem „ ſcire, quam Sancti habeant agendæ „ vitæ rationem? Audi Paulum dicen- „ tem: Per triennium nocte & die „ non ceſſavi monens cum lachrimis „ unumquemque veſtrum. Et alibi. „ Qui ſumus in hoc tabernaculo inge- „ miſcimus quotidie. Et rurſus: Ex „ multa anguſtia & tribulatione cordis „ ſcripſi vobis per multas lachrimas. „ Et: Quis infirmatur & ego non in- „ firmor? Quis ſcandalizatur & ego non „ uror? Tu autem rides & ludis? Eſt „ tempus belli, & tu tractas ea, quæ „ ſunt eorum, qui ducunt choros? An „ ignoras, quod hinc plurimæ nobis pa- „ rantur inſidiæ? Ludis, delitiaris, fa- „ cetaque & urbana verba dicis, & ri- „ ſum moves, remque nihil exiſtimas? „ a lepidis & urbanis verbis quot per- „ juria, quot damna, quot turpes ſer- „ mones? At dicis: An non ſunt iſta „ verba urbana? Sed audi. Omnem fa- „ cetiam (εὐτραπελίαν) & urbanitatem „ expellit tempus belli, & pugnæ, vi- „ giliæ, cuſtodiæ, armaturæ, & aciei „ inſtruendæ: nullum locum ſic habere „ poteſt tempus riſus. Sed quoniam vi- „ detur quibuſdam res eſſe indifferens „ (ἀδιάφορον) & quod caveri non poſ- „ ſit, age de eo parum diſſeramus, do- „ centes quantum ſit malum. Hoc eſt „ enim opus diaboli, efficere, ut indif- „ ferentium nulla cura habeatur. Atque „ imprimis, etiam poſito, quod eſſent „ indifferentia, ne ſic quidem deberent „ negligi, cum tanta exinde oriantur „ mala. Sed quod non dentur indiffe- „ rentia, inde perſpicuum eſt (ὅτι δὲ „ οὐδὲ ἀδιάφορον ἐστίν). Videamus proin „ unde naſcantur ejuſmodi? videamus „ qualem oporteat eſſe ſanctum? opor- „ tet videlicet eum eſſe mitem, man- „ ſuetum, lugentem, & afflictum. Qui „ ergo faceta & urbana loquitur, non „ eſt ſanctus. Ibi eſt facetia, ubi & „ intempeſtivus ac ineptus riſus. Audi „ prophetam dicentem: Servite Domi- „ no & exultate ei cum tremore. At „ vero facetiæ & urbanitas (εὐτραπελία) „ mollem efficit animam, pigramque at- „ tollit & excitat, multaque probra „ parit & contumelias & bella facit. „ Quid vero, an non relatus es inter „ viros? fac ut ceſſent, quæ ſunt par- „ vuli. Sed famulum quidem tuum non „ vis in foro dicere, quæ ſunt inutilia. „ Tu autem, qui dicis te eſſe Dei fa- „ mulum, in foro loqueris faceta & ur- „ bana? Præclarum quidem, ſi in ſo- „ briam animam hæc dicacitas furtim „ non irrepat. Sed quis ab iſta diſſolu- „ tione atque effuſione ſe abripi non ſi- „ net? Vide autem vel ex ipſo nomi- „ ne quid ſit eutrapelia? urbanus ac fa- „ cetus, græce εὐτράπελος, dicitur, qui „ eſt varius, verſipellis, inſtabilis, fa- „ cilis, ac levis, & in omnes ſe ver- „ tens ſpecies. Hoc autem longe abeſt „ ab eis qui petræ ſerviunt: facetus fa- „ cile vertitur & mutatur; oportet e- „ nim eum & figuram, & verbum, & „ riſum, & inceſſum, & omnia imi- „ tari. Quinimmo oportet eum etiam „ ſcommata excogitare & dicteria. Pro- „ cul autem eſt a Chriſtiano comicum „ agere: præterea neceſſe eſt eum, qui „ facetis utitur verbis, ſupervacaneas „ ſuſcipere inimicitias eorum, qui te-

mere

„ mere dicteriis irridentur, ſive adſint, „ ſive abſentes audierint. Magna habi- „ tant mala in anima, quæ verba u- „ ſurpat faceta, magna effuſa, lætitiæ „ diſſolutio, & ironia, & ſimulatio; „ hiat compago, marceſcit & putreſcit „ ædificium, exterminatur timor, abeſt „ pietas ac reverentia. Moriones, iſti „ ſunt eutrapeli, id eſt faceti. Expel- „ lite rogo ab animarum veſtrarum fi- „ nibus ingratam hanc gratiam. Res „ eſt paraſitorum, mimorum, ſaltatorum: „ procul ſit ab anima libera, procul ab „ ingenua. Multis autem hæc res vi- „ detur eſſe virtus, & eſt hoc lugen- „ dum. Hunc morem expellamus a men- „ ſis. Ubi jam non eſt hic morbus? jam „ etiam introductus eſt in Eccleſiam, jam „ etiam attigit ſcripturas: volo oſten- „ dere, quo malum proceſſit, ne vi- „ dear de rebus puſillis agere. Dicam „ quæ audivi: me quidem pudet, di- „ cam tamen. Erat quidam ex iis qui „ de ſcientia gloriantur, & menſa ap- „ poſita dicebat: Apprehendite pueri, „ ne quando iraſcatur venter. Et rur- „ ſus alii dicunt: Væ tibi mammona, „ & ei qui te non habet. Et multa „ ejuſmodi abſurda introduxit eutrape- „ lia, ut quando dicunt: Modo non „ eſt generatio, dico malorum morum „ oſtendens abſurditatem. Sunt enim „ hæc verba animæ deſertæ a pietate ac „ reverentia. An non fulminibus digna „ ſunt verba hæc? Quamobrem rogo, „ ut undique malo more expulſo illa „ loquamur, quæ nobis conveniunt. “ Ex his patet, D. Chryſoſtomum in verbis nil agnoſcere indifferens, quod non debeat ordinari ad alium finem utilem, ſed quod quieſcat in ſola voluptate facetiarum & riſus.

Idem in Epiſt. ad Hebr. C. 9. Hom. 13. „ Non auditis Paulum dicentem. „ Turpitudo, & ſtultiloquium, & ſcur- „ rilitas tollatur a vobis. Sunt ſtultilo- „ quium ea, quæ nihil habent utile. — „ Res noſtræ effectæ ſunt riſus, civili- „ tas & urbanitas; nihil ſtabile, nihil „ grave; ne in ipſo quidem precum tem- „ pore ceſſant multi ridere. — & quod „ malum eſt, inquit, riſus? non ma- „ lum eſt riſus, ſed malum eſt id quod „ eſt præter modum, id quod eſt in- „ tempeſtivum. Inſitus eſt nobis riſus, „ ut quando viderimus amicos poſt lon- „ gum tempus hoc faciamus; quando „ aliquos perculſos & territos videmus, „ ut eos ſubridendo recreemus & rela- „ xemus; animo noſtro inſitus eſt ri- „ ſus, ut aliquando relevetur, non ut „ diſſolvatur. “ Ex hoc iterum ſequitur textu, quod tam in verbis, quam in riſu debeat ſua propria utilitas reperiri, quia non ſolum attendit ad finem, & motivum, ſed etiam ad cauſam riſus decentem, a qua utique excludit ſtultiloquium. *Idem in C. 6. Matthæi Homil.* 23. ad illa verba: „ *Quærite primum re-* „ *gnum Dei* :“ Chriſtus nos ad veram „ patriam vocaturus cuncta perficit, ut „ nos a ſuperfluis liberet, atque a ter- „ rena eximat affectione — neque pro- „ pterea creati ſumus, ut ederemus at- „ que biberemus veſteque tegeremur, „ ſed ut placeremus Deo, & bonis po- „ tiremur futuris. “

Idem in C. 14. Matth. Hom. 49. reprehendit inutilem uſum divitiarum. Itaque eadem reprehenſio locum habet in verbis & factis. „ Etiamſi convivia „ non fuerint inſtructa ex raptu, non „ tamen propterea opiparæ cœnæ deli- „ ctis carent. Audi qualiter Propheta, „ etiamſi per fraudem parta non ſint, „ eas accuſet. Væ qui bibitis vinum „ colatum, & unguentis pretioſis ungi- „ mini. Vides quomodo hic delicatam „ vitam reprehendit? non enim avari- „ tiam his verbis, ſed voluptatem ac- „ cuſat. Si adoleſcentuli tutelam habe- „ res, quo fameſcente tu rebus illius „ lautiſſime viveres, a legibus ſtatuta „ ſupplicia non evaderes. Cum autem „ divitias Chriſti receperis, non putas, „ fruſtra eas conſumendo pœnas te da- „ turum? Hoc non de his dico, qui „ ſcorta nutriunt; nec de avaris & ra- „ pacibus; nec de his qui tam ſuo quam „ alieno ventri diligentiſſime ſtudent; „ ſed de his dico, qui abunde rebus ſuis „ potiuntur nihil aliis præbentes; de

„ his

„ bis, qui paterna bona otiose consu-
„ munt, qui omnes graviter accusandi
„ sunt.

Idem l. cc. Homil. 50. reprobat omnes artes, nisi inquantum ad finem utilem serviunt, distinctum a curiositate & voluptate. „ Nunquam ego, inquit, „ superfluas & otiosas artes vocabulo artis esse dignas putabo. Neque exornandi varie artem nominavero artem, „ quippe cum nihil conferat necessariarum rerum, quibus vita nostra continetur. Mens divinitus nobis data „ est, ut artificia inveniamus, quibus „ facilius & honestius vivere possimus. „ Necessitate superata ad delicatissima „ atque superflua artes pervenerunt „ & veræ arti vanam admiscuerunt curiositatem; quod ædificatoria quoque „ passa est. Sed quousque domus non „ theatra construit, & in domibus necessaria, non supervacanea componit, „ artem appello. Textoris artificium, „ quousque pannos vestitui necessarios „ texit, nec araneas ita imitatur, ut „ multa ridicula inferat, artem nominare soleo. Similiter calceamentorum „ sutores donec necessarios faciunt calceos, artificis vocabulo largior; cum „ vero virorum calceos mulieribus adaptant, & econtra; superfluam immo maleficam artem appellamus. Etsi „ parva hæc peccata videntur, majorum tamen delictorum causas præbent. -- „ nolite irasci, qui cum nec peccata ista „ putetis, ad reprehendendum acrius me „ impellitis.

Idem Tom. 5. *Serm.* 9. ad illa verba: *Intrate per angustam portam* „ Plerique „ dicunt, qui delitias mirantur: multis potiti fuimus bonis. Noli hæc bona vocare, sed cogita, hæc a Domino data esse, ut eis moderate utentes vitam nostram tueamur & infirmitatem corporis sustentemus. -- ista „ sæpe nobis pernitiem afferunt, si quando ipsis, non ut oportet, utamur. „ nam divitiæ bonæ esse possunt possessori, si illas non tantum in delitias, „ sed cum moderate perfruens (τρυφῆς) „ luxu cætera in pauperes distribuit.

Idem l. cc. Serm. 10. ad illa verba: *Panem substantialem da nobis hodie*, dicit: „ Panem jussit poscere substantia-
„ lem; non delitias, sed victum, qui
„ quod decedit corpori, suppleat, eam-
„ que, quam affert inedia, mortem ar-
„ ceat. Non instructas dapibus mensas,
„ non ferculorum missus varios, non in
„ condiendo varia coquorum inventa,
„ non miram vini fragrantiam, quæque
„ alia palatum delectant, quibusque a-
„ nimo facile corpus insuetat, & quasi
„ equinum pullum rectori reddit indo-
„ cilem ac refractiolum; non hoc ut
„ poscamus oratio docuit, sed substan-
„ tialem panem, eum videlicet qui in
„ corporis naturam vertitur. " Ex his verbis D. Chrysost. infero: Quod non decet a Deo petere, nec licet intendere.

Idem Serm. de Pseudoprophetis. „ Non
„ est, inquiunt, malum relaxari ani-
„ mo, ac distrahi, nam quid detrimenti affert cithara, reliquaque instru-
„ menta musica? O extremam demen-
„ tiam! o improbam diaboli excogita-
„ tionem! utique præcepit Dominus,
„ ne omnino Christianus distrahatur,
„ neque ludicris se rebus dedat: & tu
„ dicis, quid nocebunt ista. *Væ*, qui
„ ponunt tenebras lucem; un uscujusque
„ nostrum scripta sunt pacta & promissa; diaboli abrenuntiatio & facta ad
„ Christum conjunctio, & quæcunque
„ opera nostra & actiones & sermones &
„ cogitationes & distractiones, & risus,
„ & omnia alia scripta habet Christus.

Idem in Sermone Catechetica, ad baptizandos in illa verba. *Simile est regnum cœlorum* dicit: „ Postquam prope Ba-
„ ptismi piscinam constiteritis, in ge-
„ nua projicite vos, & hujusmodi ver-
„ bis utimini. Circa horam undecimam
„ advenimus; præteriti temporis pigri-
„ tiam damnamus; quod dormierimus,
„ damnum fecimus; dum oblectamur,
„ naufragium fumus passi; spoliati su-
„ mus, dum ludimus; periimus, dum
„ rebus vanis animum recreamus; re-
„ nuntiavimus penitus malo, renuntia-
„ vimus pernitiosis malis & otiosis de-
„ liciis.

Idem

Idem in Serm. de facetiis, oſtendit, nullum eſſe in hac vita tempus, quod prudenter ordinari poſſit, niſi ad finem utilem, quem ſi excedant facetiæ, eas immoderatas vocat. „ Conſequitur, inquit, (humanitatem) hilaritas multa, riſuſque modum excedens, & quæ „ gravitatem deprimunt facetiæ. Res ſane indigna facetiis diffluere; riſus enim temperantiæ vinculum laxat; riſus timoris Dei non recordatur; riſus gehennæ minas non reformidat. propterea Apoſtolus dicit: Stultiloquium & ſcurrilitas (εὐτραπελία) quæ ad rem non pertinent, ex ore veſtro non procedant, hoc dicens, ne animi tranquillitatem ac lætitiam ad occaſionem inertiæ traducamus, ſed ad materiam gratiarum actionis erga bonorum largitorem. Quapropter Job dicit: Si cum ridentibus ambulavi (c. 21.) γελιασῶν. — Potius præ timore ac ſollicitudine, quod a Deo ſpecteris, exceſſum hilaritatis auferre debes. Qui enim immodicis facetiis & riſibus diffluunt, res ſuas ignorare videntur: nondum o homo certam malorum exemptionem conſecutus es: facetiis indulges, abſque metu vivis, cum deberes in preces ad Deum incumbere, & de rebus futuris anxius eſſe, & de te formidare ne forte a virtutis calle declines; bellum inferunt dœmones, bellum inferunt homines, bellum inferunt animæ perturbationes, & externæ corporis calamitates: non propinquis condoles, non fles cum flentibus, non times de iis, qui non ſatis firmi ſunt in fide, ne concutiantur & labantur, non luges eos, qui lapſi ſunt, non porrigis manum jacentibus, non evertit intempeſtivas tuas delitias cogitatio temporis tibi conſtituti ad reddendam rationem &c. Cum ergo D. Chryſoſtomus in omnibus momentis temporis quærat finem utilem, & exigat rationem Deus, utique inſtar œconomi exigentis expenſarum utilitatem & fructum, non poteſt relinqui momentum indifferens.

Idem Serm. in Paſcha. „ Dic, quæſo „ quæ utilitas fuerit ventre diſtento mediocritatis limites tranſire: conſtat namque ejuſmodi immoderationem & corpus graviter lædere, & animæ nobilitatem vehementer obſcurare. Eo proin „ contenti ſimus, quod & ſat eſt, & naturæ conſervandæ ſimpliciter neceſſarium; ne ſi ſecus faciamus, quæ per „ jejunium collegeremus, uno quaſi momento ſimul effundamus; animoque ſimul & corpore decori numeros perturbemus. Non inhibeo omnem animi „ relaxationem, aut corporis voluptatem, abſit: hortor autem, ut corporis neceſſitate honeſte expleta ſupervacaneas dapium illecebras præcidatis, „ nequando juſtam menſuram excedentes animæ ſanitatem offendatis. Neque enim is, qui neceſſitatis metas „ tranſilit, veræ alicujus voluptatis ſenſu potitur, ut optime novunt illi, qui ejuſmodi rei periculum unquam fecerunt.

Idem Hom. 1. ad Populum Antioch. „ Apoſtolus (ad Timotheum ſcribens, „ *modico vino utere*) nobis bibendi vini menſuram & terminos ſtatuit; tantum „ bibere jubens, quantum valetudinem „ adjuvet, quantum corporis ſanitatem „ præbeat. — vinum a Deo datum eſt, „ non ut inebriemur, ſed ut ſobrii ſimus; „ ut delectemur non ut doleamus. Vinum „ enim lætificat cor hominis inquit David.

Idem Hom. 15. ad populum Antioch. oſtendit, in omnibus actionibus quæ videntur mediæ ac indifferentes eſſe, contineri periculum & proclivitatem in alia peccata; cum igitur pericula adeunda non ſint gratis ſine titulo neceſſitatis aut alterius utilitatis, non licet eligere ejuſmodi actiones medias ſine alia utilitate. „ Agnoſcamus, inquit, laqueos & ab ipſis „ procul eamus: agnoſcamus præcipitia, „ nec appropinquemus. Hoc nobis maximæ ſecuritatis erit conſtitutio, ſi non „ ſolum fugiamus peccata, ſed etiam illa, quæ videntur eſſe indifferentia „ (ἀδιάφορα) attamen ad peccata nos ſupplantant. Exempli cauſa, ridere, & „ jocoſa dicere verba, non videtur quidem eſſe manifeſtum peccatum, attamen in manifeſtum peccatum perdu-

„ cit,

„ cit, nam ex risu turpia nascuntur verba, & ex turpibus verbis actiones turpiores. Sæpe ex verbis & risu gignuntur contumeliæ & iræ, ex ira vero „ & contumelia oriuntur vulnera, & plagæ, ex plagis homicidia. Si itaque „ tibi bene consulere vis, non solum vita homicidia, vulnera, contumelias, „ sed & ipsum intempestivum risum (ἀκαιρον) & jocosa verba, quia ejusmodi radix malorum fiunt. Propterea „ Paulus dicit: Stultiloquium & facetia ex ore vestro non procedat. Rursum delitiis vacare non videtur quidem crimen esse manifestum, attamen „ multa parit mala, ebrietatem, furorem, avaritiam, rapinas. In theatra ascendere, & equorum certamina „ spectare, & aleas tractare non videtur multis esse peccatum manifestum, „ sed infinita vitæ mala solet inferre. -- „ Ne tantum itaque peccata fugiamus, „ sed & ea quæ videntur indifferentia „ esse, attamen paulatim nos in ejusmodi delicta pertrahunt: namque juxta „ præcipitium vadens, quamvis non decidat, tremit, & sæpe ab ipso subversus tremore decidit; ita & non procul „ peccata fugiens, sed secus ipsa vadens, „ cum timore vivit, & in ipsa labitur „ sæpius. Ex hoc textu sequitur, quod sicut ille imprudenter ageret; qui sine „ sufficiente causa utilitatis aut necessitatis deambularet juxta præcipitium, „ ita ille imprudenter agat, qui sine causa sufficiente causa v. g. ordinatæ recreationis, capiendæ experientiæ, laudandi Deum ex usu solatii recreantis „ aut ad bona animantis, aut charitatis ad evitanda in proximo majora mala & procuranda prætacta bona, eligit ejusmodi indifferentia periculosa. „ Et sicut adire periculum propinquum „ gravis peccati sine necessitate est grave peccatum, ita adire periculum remotum peccati levis sine ulla alia causa, nisi quia ita placet, est deordinatio „ rationis, adeoque leve peccatum.

Idem Homil. 21. *ad populum Antioch.* Baptizatos ita alloquitur. „ Priusquam superveniat vera spiritus tinctura, male tibi insitas consuetudines dele, sive jurare, sive mentiri, sive contumelias inferre, sive turpia loqui, sive ridicula proferre & risum causare, sive „ aliud quid simile illicitum faciendi consuetudinem habes, destrue hanc consuetudinem, ne post baptisma rursus ad illam regrediaris.

Idem Homil. 22. In eos, qui Noviluni obſervant. „ Nihil frustra (εἰκῆ) nihil sine additione alicujus modi boni „ (ἁπλῶς, simpliciter) fiat: Ita enim „ Paulus præcepit (ἀπέταξε) omnia in „ gloriam Dei ut faceremus. Sive enim „ editis, sive bibitis, seu quid facitis, „ ad gloriam Dei faciatis. At quomodo, inquies, edere & bibere ad Dei „ gloriam possumus? accerse pauperem, „ participem mensæ tuæ facito Christum, „ & ad gloriam Dei edisti ac bibisti. At „ non hoc solum præcepit ad gloriam „ Dei fieri, sed & reliqua omnia, ut in „ forum ire, domi se continere; hæc utraque propter Deum fiant. At quomodo utraque ista fient propter Deum? „ quando ad Ecclesiam accedis, quando „ precationis & doctrinæ spiritualis particeps es, hæc progressio ad gloriam „ Dei est. Rursum etiam licet domi propter Deum manere: quomodo? aut „ qua ratione? ubi audiveris tumultus „ immodestos, pompas diabolicas, malis „ & intemperantibus hominibus forum „ plenum esse, domi maneto, & a turba „ tali discedito, & ad gloriam Dei ibi mansisti. Quemadmodum autem domi permansio, tum egressio foras, sic tum laus „ tum vituperatio quoque ad Dei gloriam „ esse potest. Quomodo ad gloriam Dei „ licet aliquem laudare vel vituperare? Sedetis sæpe in officinis, videtis præterire homines malos atque improbos, supercilia contrahentes, inflatos, qui „ multos post se parasitos & adulatores „ ducunt, qui pretiosas habent vestes, „ & multis inanitatibus amiciuntur, alienarum rerum direptores, atque avaros. Hic si quemquam audiveris dicentem: An non præstabilis hic vir? an „ non beatus? increpa, redargue, os obstrue, commiserator, lachrimare, hunc

„ tu

„ tu ad gloriam Dei vituperabis, vitupe-
„ ratio enim talis ad religionem reliquo-
„ rum præſentium & virtutem inſtructio
„ eſt. Rurſus cum videris pauperem ab-
„ jectum, & a ſodalibus, qui tecum ſunt,
„ miſerum habitum; laudato illum; hæc prætereuntis laus inſtitutio eſt, & adhortatio ad bonam & honeſtam vitam tranſigendam. -- Si tu cum illis ſic diſputaveris & illos atque alios ſic inſtitueris, magnam recipies tum laudationis tum vituperationis mercedem, cum utraque ad gloriam Dei facias. Licet etiam ad gloriam Dei objurgare; licet etiam ad gloriam Dei corrigere. Quo tandem modo? Si ebrium vel furentem videris aut ſervum aut amicum, aut jurantem, aut mentientem, aut in theatrum currentem, ſtomachare, punito, revoca, corrige, & hæc omnia propter Deum feciſti. Rurſus amici aquirendi ſunt? propter Deum aquirito, inimici tibi efficiendi ſunt? propter Deum efficito. At quomodo amici & inimici propter Deum efficiendi ſunt? Si non amicitias illis colligamus, unde pecunias colligere, convivia agitare, imperia conſequi poterimus; ſed illos aquiramus amicos, qui mentem noſtram moderari, conſulere honeſta, peccantes increpare, delinquentes arguere, ſupplantatos erigere, conſilio ac precibus opem ferre & ad Deum adducere poſſunt. Rurſus inimicos licet efficere propter Deum. Si videris aliquem intemperantem, nefarium, nequitiæ plenum, opinionibus non puris ac ſanis refertum, ſupplantare te ac nocere cupientem, recede & reſilias ab illo. Si in cætum hominum prodieris, & verba multa cum aliis feceris, propter Deum hoc facito. Si tacueris, propter Deum taceto. At quomodo in cætu verſari propter Deum licet? Si cum aliis ſedens non de rebus ſæcularibus differas, neque de his, quæ nobis nihil conducunt, ſed de religione noſtra, de gehenna, de regno cœlorum, non autem de rebus inanibus aut ſupervacaneis. Rurſus poteris propter Deum ſilere exagitatus, violatus, ſi feras generoſe. Non autem ſolum loqui aut ſilere ſed etiam flere, dolere, aut lætari ad gloriam Dei licet. Si videris fratrem peccantem, vel te ipſum in peccatum delapſum, deinde ingemiſcas, non pœnitendam ſalutem ex hoc lucrifeciſti. Si florentem videas, non invideas, ſed Deo, qui tam præclarum effecit fratrem, perinde ac de propriis bonis gratias agito, & hujus lætitiæ permagnum habes fructum. Cæterum quid iſta commemoro? etiam a viliſſimis rebus maximas utilitates percipiemus, ſi propter Deum iſtas faciamus. Quid enim eſt tonſura crinium vilius? hoc tamen licet propter Deum facere, quando enim comam tuam non compoſueris, ſed inculte & horride quantum uſus fert teipſum apparaveris, propter Deum feciſti & mercedem reportabis. Quin & propter Deum ingredi, & propter Deum intueri poſſumus. At quomodo ingredi & intueri propter Deum licet? quando non ad improbitatem curris, quando oculos refrænas, & timore Dei munis aſpectus, hoc propter Deum facis. Sed & ad immos uſque calceos demittere hunc morem licet licebit calceis ipſis propter Deum uti, cum omnino uſum quærimus, & hunc utendorum calceorum finem habuerimus: licet vobis ex his quæ dicta ſunt, ſingula percurrere & omnia propter Deum facere, quemadmodum mercatores non in forum deſcendunt, niſi intelligant, lucrum ineſſe mercimoniis, ſic nec tu aliquid facias, aut dicas, niſi lucrum aliquod habeas ſecundum Deum. Omnia ergo ad gloriam Dei faciamus, & ſi quid ad gloriam Dei non pertinet, illud neque facto neque dicto a nobis uſurpetur. -- Non dictis ergo, ſed factis ipſis illum aſſidue gloria afficiamus. " Ex his D. Chryſoſtomi exemplis patet, obligationem omnia referendi ad gloriam Dei ſiſtere in hoc, ut in omnibus operemur conformia rationi per principia honeſtatis naturalis, aut ſupernaturalia ordinatæ, quin opus ſit aliam habere intentionem, quam operandi conformiter ad principia rationis aut doctrinæ chriſtianæ, quod utrumque cedit in gloriam Dei.

Idem

Idem in c. 1. Gen. hom. 4. „ Rationarium nobis conficiamus eorum, quæ accepimus; & expendamus, quidnam utiliter & bene locuti fuerimus, & quod otioſum verbum protulerimus. -- Non fruſtra & inaniter tempus expendere oportet; ſed ſingulis horis ante oculos proponere, quæ nobis fiduciam afferre queant.

Hucuſque adducti textus oſtendunt, D. Chryſoſtomum referre ad otioſas actiones, quæ præter voluptatem beneplaciti proprii imbibitam, nullum alium habent finem utilem.

Dices: Chryſoſtomus in c. 12. Matth. hom. 43. definit otioſum verbum non per hoc, quod ſit *inutile*, ſed per hoc, quod ſit alias *deordinatum*: priorem enim explicationem tantum tribuit nonnullis aliis. Sic habet: *Otioſum verbum eſt, quod officio aut negotio non congruit, mendax aut calumnioſum. Quidam autem dicunt, quod & vanum verbum ſeu inutile ac inpetum.* (μάταιον) *ſit otioſum, quale eſt quod movet inordinatum riſum.*

Reſpondeo. A. D. Chryſoſtomo fuiſſe obſervatum, quod τὸ *inutile* in Scriptura ſumatur in duplici ſenſu, valde diverſo. Aliquando enim, immo frequenter, τὸ *vanum* aut *inutile* idem ſonat, ac *impium*. Sic Job 15. dicitur *Abominabilis & inutilis homo*. Pſal. 13. *Simul inutiles facti ſunt.* Prov. 6. *Homo Apoſtata, vir inutilis.* Mich. 2. *Væ qui cogitatis inutile*. In altero ſenſu idem eſt ac *non ordinatum ad ſuum finem* v. g. negotium vel officium, & ob hoc ipſum eſt inordinatum. Dicit ergo, in præfato loco Matthæi τὸ *otioſum* ſeu inutile ſumi poſſe in priore ſenſu, quamvis aliqui ſumant in poſteriore ſenſu. Non ergo S. Doctor opponit Doctores inter ſe circa definitionem verbi otioſi, prout in latina verſione ſonat, ſed circa expoſitionem hujus termini, *inutile*, μάταιον, quem aliqui exponebant per τὸ *impium*; alii vero per τὸ *otioſum*. Itaque ſi inhæreamus verſioni noſtræ latinæ, ubi dicitur, *de omni verbo otioſo*, ceſſat diverſitas expoſitionis.

Objicitur 12. Quamvis non detur actus indifferens in ordine ad præmium vel pœnam, ſaltem poterit dici, eam pœnam non ſemper conſiſtere in poſitivo cruciatu, ſed præciſe in privatione alicujus gradus gratiæ vel gloriæ; quia & pœna damni eſt proprie pœna. Ratio eſt, quia non omnes ejuſmodi actus humani ponuntur ob inordinatam adhæſionem ad creaturam, v. g. actus conjugalis ex ſolo motivo vitandæ incontinentiæ: *confirmatur* ex Origene ad illa verba Exodi: *Si percuſſerit mulierem* &c. ubi dicit: Apoſtolus docet, *ſi cujus opus aſſerit, detrimentum patietur. Unde videtur oſtendi, quod quædam peccata ad damnum quidem pertineant, non amen ad interitum; quia qui damnum paſſus fuerat, ipſe tamen ſalvari dicitur, licet per ignem. Quæ autem ſint ſpecies peccatorum ad mortem, quæ vero non ad mortem, ſed ad damnum, non puto facile a quoquam hominum poſſe diſcerni.*

Reſpondeo. Hoc dici poſſe de actionibus non procedentibus ex imperio vel impulſu alicujus deordinatæ paſſionis internæ, aut concupiſcentiæ ſenſualis; non vero de iis, quæ fiunt ex motivo, aut impulſu concupiſcentiæ; prout fit, ſi petitur debitum ex motivo ſedandi aut prævertendi concupiſcentiam in ſeipſo. Forte etiam in aliis actionibus vix unquam abeſt motivum paſſionis aut concupiſcentiæ inordinatæ. Cæterum ſive detur talis actio vel non detur; illud tamen tenendum, etiam pœnam damni, ut habeat rationem pœnæ, debere eſſe afflictivam, ubi, quando, & quomodo placuerit Deo. Hinc & ipſe Origenes non ſeparat afflictionem a pœna damni. In Lucam Hom. 35. dicit: *Unuſquiſque noſtrum per ſingula peccata ſuſtinet damnum, & juxta rationem qualitatemque delicti magnitudo damni reputatur. -- Unuſquiſque pro qualitate & quantitate peccati diverſam mulctæ ſententiam expendit. Si parum eſt, quod peccas, ferieris damno minuti, vel quadrantis; alius damnatur denario, alius talento--mitteris in carcerem, & ibi exigeris per laborem & opera, ſive per pœnas & ſupplicia, & non inde exies, donec reddideris quadrantem, vel noviſſimum minutum.*

DE

DE
COITU CONJUGALI
CUM
UXORIBUS GRAVIDIS,

UBI OSTENDITUR

Non esse licitum petere debitum ab Uxoribus gravidis.

INDEX.

§. I. *Prænotanda.*
§. II. *Concluſio cum probationibus.*
§. III. *Traditio Eccleſiæ uſque ad ſæculum XII.*
§. IV. *Traditio Eccleſiæ a ſæculo XII. uſque ad XVI.*
§. V. *Senſus & praxis proborum.*
§. VI. *Origo & progreſſus ſententiæ oppoſitæ.*
§. VII. *Objectionum ſolutio.*

DE COITU CONJUGALI CUM UXORIBUS GRAVIDIS QUÆSTIO THEOLOGICA

An ſine peccato veniali exigi poſſit conjugale debitum tempore prægnationis?

§. I.

Prænotanda.

NOTANDUM 1. Certum eſſe, quod debitum conjugale nunquam ſine peccato veniali exigi poſſit præciſe ex motivo captandæ voluptatis. Id patet ex propoſitione 9. ab Innocentio XI. damnata, quæ ſic ſonat: *Opus conjugii ob ſolam voluptatem exercitum omni penitus caret culpa, ac defectu veniali.* Itaque quæſtio ſolum eſt, an debitum conjugale tempore prægnationis exigi poſſit ſine peccato veniali ex motivo vitandæ propriæ, aut alienæ in conthorali incontinentiæ? aut ex motivo ſanitatis?

Notandum 2. Varias fuiſſe hac in re ſententias. Antiqui enim unanimiter negarunt, licitam eſſe exactionem ejuſmodi coitus. Sæculo tandem XIV. pauci aſſertive docere aggreſſi ſunt, talem coitum licite exigi poſſe ex motivo vitandæ incontinentiæ, ſaltem ſi periculum incontinentiæ alio remedio commode nequeat evitari. Sæculo XV. & XVI. paucis illis acceſſerunt plures alii; donec tandem ſæculo XVII. illa ſententia apud Sanchezium jam audierit *probabilior*; & ſæculo XVIII. apud Caſuiſtas jam tranſierit *in certam.*

Notandum 3. Antiquos, ubi coitum tempore prægnationis improbant, loqui de eo tempore, quo certo moraliter conſtat, uxorem eſſe gravidam. Quandonam autem ea moralis certitudo ab uxore aut marito haberi incipiat, an primo poſt concubitum menſe, dum in uxore ceſſat fluxus menſtruus; an emenſo ſpatio trium menſium, dum intume-

scere incipit uterus; an vero evoluto mense quarto cum dimidio, quo tempore matres dicuntur sentire motum infantis in utero, dependet ex variis circumstantiis, & ipsomet prudenti conjugatorum judicio.

§. II.

Conclusio cum Probationibus.

CONCLUSIO. Debitum conjugale nunquam sine peccato veniali exigi potest post conceptionem moraliter certam.

Probatur 1. Ex constanti traditione Ecclesiæ, præsertim occidentalis, cui universim major debetur fides ob firmiorem consolidationem ad fidei Petram, seu Cathedram Petri. Textus Doctorum traditionem constituentium vide §. 3. & 4.

Probatur 2. Coitus cum uxore gravida, etiam cessante periculo speciali abortus in omnibus antiquis Pœnitentialibus sæculi VII. VIII. IX. X. XI. inter alia peccata ponitur pro materia confessionis ac satisfactionis; nihil autem est materia confessionis & satisfactionis in illis Pœnitentialibus, nisi culpa. Textus horum Pœnitentialium pono infra in serie traditionum sæculo VII. VIII. & IX. §. 3.

Probatur 3. Animalia irrationalia post conceptionem negant maribus copiam sui: solum ab hac universalitate aliqui excipiunt equam, cui ne assimiletur homo, Scriptura monet: *Nolite fieri sicut equus & mulus, quibus non est intellectus.* (Psal. 31.) Ergo coitus cum prægnantibus ipso jure naturæ est prohibitus, prout observant Hieronymus, Lactantius, Clemens Alexandrinus, Ambrosius, Origenes, Petrus Damianus, & alii infra in serie traditionis §. 3. referendi. Jus enim naturæ est, quod omnia animalia observant, prout Ulpianus ff. tit. 1. observat.

Probatur 4. Ipsi gentiles Romani in tabulis Nuptialibus, quas in contractu matrimoniali marito prælegebant, protestabantur, se filias nuptui dare tantum *filiorum procreandorum causa*, non ad alios usus sub motivo & prætextu vitandæ incontinentiæ, prout D. Augustinus in textibus infra recensendis inculcat. Ergo lumine naturæ notum est, in libero usu uxorum ad alium finem quam procreationem prolis reperiri inhonestatem.

Probatur 5. In paradiso in statu naturæ integræ, aut in statu possibili puræ naturæ non fuisset licitus coitus cum uxore gravida; ergo nec est licitus in statu naturæ corruptæ; quia naturæ corruptio non mutat leges naturales correspondentes statui naturæ non corruptæ, sed solum auget difficultatem in observatione illarum legum. Hujus argumentationis vim insinuat ipsemet Salvator *Matth.* 19. dum probaturus matrimonii indissolubilitatem ad primam institutionem tanquam normam respiciendum monet, dicens: *Ab initio non fuit sic*, nempe in paradiso.

Eadem argumentatione in hoc ipso articulo utitur S. Augustinus, & S. Fulgentius. Prior ex eo, quod conjugium in paradiso non serviisset ad pascendam aut sedandam libidinem, infert, hunc finem neque in statu naturæ corruptæ congruere *legi æternæ*, seu ordini incommutabili divinæ Sapientiæ. Sic enim scribit lib. 2. de Nuptiis & Concupiscentia cap. 35. & lib. 22. contra Faustum cap. 30. & cap. 61. S. Fulgentius vero epist. 1. de debito conjugali testatur, libidinem neque nunc in conjugio posse inveniri tanquam motivum, ut pascatur, aut compescatur, utpote *quæ hominibus non ex dono conditionis, sed peccatoribus ex vitio primæ prævaricationis accessit*. Textus horum duorum SS. Patrum integri ponentur in serie traditionis.

Probatur 6. Quando coitus fit cum gravida causa vitandæ incontinentiæ, simpliciter verum est, quod *cedatur* libidini, tanquam exactori importune imperanti, postulanti, suadenti, minitanti. Sed nunquam licet cedere libidini, prout observant S. Augustinus, & S. Fulgen-

gentius. Prior lib. 13. de Trin. cap. 18. dicit: *Nunc illam* (concupiſcentiam, quæ ineſt genitalibus membris) *talem eſſe ſentimus, ut repugnans legi mentis, etiam ſi nulla eſt cauſa generandi, ſtimulos ingerat coeundi, ubi ſi ei ceditur, peccando ſatietur; ſi non ceditur, diſſentiendo frænetur.* Et *de bono conjugali* cap. 10. *Concubitus, qui ultra generandi neceſſitatem progreditur, jam non rationi, ſed libidini obſequitur.* Similia habet lib. 1. de Nuptiis & Concupiſcent. cap. 8. & 14. & lib. 2. contra Julianum cap. 9. & lib. 3. cap. 14. 16. 21. & lib. 4. cap. 4. & lib. 5. cap. 12. qui textus omnes infra in ſerie traditionis videri poſſunt. Conſimiliter S. Fulgentius Epiſt. 1. *de debito Conjugali* ait: *Si conjugalis uſus eatenus temperetur, ut non æſtuanti libidini animus ſerviat, ſed proventum naſcituræ prolis attendat, non deputatur conjugibus ad peccatum carnis indulta commixtio. --- Conjugatus ergo, ſi in uxore aliquantulum intemperatus excedat, non ſolum generationem quærens, ſed aliquando libidini carnis obediens, hoc equidem ſine culpa non facit.*

Confirmatur hoc argumentum ex eo, quia Patres nullibi agnoſcunt motivum medium coeundi inter motivum generandæ prolis, & inter motivum libidinis. Nam ſi quis non coierit cauſa prolis, ſtatim inferunt, eum coire cauſa libidinis. Itaque licet major culpa ſit, ſi quis non ſollicitatus a libidine ultro quærat voluptatem, in eodem tamen genere culpæ delinquit, qui ubi ratio non dictat coeundum, cedit ſollicitanti libidini. Hinc D. Gregorius Paſtoralis part. 3. cap. 28. tales coeuntes cauſa vitandæ incontinentiæ comparat fugienti Loth, qui fugiendo Sodomam ſe ſalvabat in parva civitate Segor; & hos dicit; non vacare culpa, pro qua deprecentur Deum.

Probatur 7. Non congruit Sapientiæ & Sanctitati Divinæ, ordinare ejuſmodi coitum cum gravidis in remedium concupiſcentiæ. Ratio eſt, quia Deus haberet in promptu plura alia media in momento ſedandi concupiſcentiam v. g. per applicationem quorundam medicinalium refrigerantium, aut fermentationem humoris ſeminalis ſopientium &c. quæ media non forent conjuncta cum malis plurimis. Econtra hoc remedium concupiſcentiæ foret conjunctum cum pluribus iiſque gravibus malis: nam 1. cauſat etiam ſeminationem ac commotionem ſpirituum vehementiſſimam in uxore gravida, quod fieri nequit ſine ejus debilitatione magna, redundante ſine dubio etiam in præjudicium ac debilitationem prolis. Hinc experientia docet, ejuſmodi proles matrum continuantium coitum uſque ad viciniam partus ſæpe præmature mori in prima infantia. 2. Ex iterata immiſſione ſeminis in uterum alterantur humores in infante, ob nimiam repletionem hebetatur eorum activitas, & dum ſpiritus materni trahuntur ad humorem ſeminalem, infantes neceſſario affluxu ſpirituum deſtituuntur. Hinc experientia monſtrat, ex ejuſmodi parentibus coeuntibus uſque ad partum oriri proles hebetes ingenio, aut alias defectuoſas, infirmas, imbecilles &c. 3. Si Deus permittit hoc concupiſcentiæ conjugali remedium, pronum eſt, a potiori fruſtrari ejus intentionem, qua vult ſubtrahi concupiſcentiæ fomenta; vult enim Deus, ut etiam conjugati refrænent cogitationes laſcivas, devitari obſcœna colloquia, fugi occaſiones tentationum non neceſſarias, mortificari ſenſus, præſertim oculorum, & guſtus; frequentari jejunia, preces, & eleemoſynas, quibus ſuas alligavit continentiæ gratias &c. De his omnibus non ſunt adeo ſolliciti conjugati, ſi credunt, licitum eſſe coitum cum gravidis. Hinc, dum liberrime ſe immittunt laſcivis colloquiis, comediis, converſationibus, comeſſationibus &c. contracto luxurioſo habitu toties labuntur in ſuarum uxorum abſentia, ægritudine, aut in ſtatu viduitatis. 4. Cum tali coitu connexum eſt generale quoddam abortus periculum, ita ut inter centum abortus ſi non dimidia, ſaltem tertia vel quarta pereuntium pars inde ſuam agnoſcat cauſam. Cum ergo non

congruat Sapientiæ, inter plura possibilia media seligere ea, quæ multis sunt involuta inconvenientiis, non est præsumendum, Deum in remedium concupiscentiæ conjugalis ordinasse coitum cum gravidis.

Hæc autem omnia argumenta explicatius deducta videri poterunt in sequenti recensione Doctorum Ecclesiæ.

§. III.

Traditio Ecclesiæ usque ad Sæculum XII.

UT traditio perpetua Ecclesiæ de illicito conjugali usu cum uxoribus gravidis agnoscatur evidentius, tres Doctorum Classes constituo.

In *prima acie* colloco SS. Patres a temporibus Apostolicis usque ad sæculum duodecimum, qui aut coitum cum uxoribus gravidis aperte condemnant, aut nullum alium licitum matrimonii finem nisi procreationem prolis agnoscunt.

In *secundo ordine* militant Theologi Scholastici, qui aut nullum alium admittunt licitum usus conjugalis in exigente finem, nisi procreationem prolis; aut coitum cum gravidis præcise a mortali excusant. His addo nonnulla documenta veterum de praxi & sensu fidelium antiquis temporibus, eundem sensum Ecclesiæ veteris comprobantium.

In *tertia* demum *classe* repono authores oppositæ sententiæ, tanquam hujus ipsius traditionis testes. Dum enim aut ultro fatentur, antiquos suæ opinioni adversari; aut in suis probationibus nullum pro se proferre possunt S. Patrem, vel antiquum Theologum, hac sua authoritatis inopia traditionem nobis tacite cedunt atque confirmant. Sit itaque traditio Patrum usque ad sæculum XII. In horum autem recensione duas eorum classes constituo.

CLASSIS I.

SS. Patres, qui coitum cum uxoribus gravidis aperte condemnant.

I.

ATHENAGORAS.

Anno 150.

Athenagoras in Apologia Religionis Christianæ, quam obtulit Imperatoribus Aurelio Antonino, & Aurelio Commodo, sanctitatem legis Christianæ sic describit: *Spe vitæ æternæ freti sensuum* (non puras) *voluptates contemnimus. Itaque uxorem, quam secundum approbatas nobis leges sibi quisque duxerit, reputat non in alium, quam in procreandæ sobolis finem. Quemadmodum enim Agricola, postquam semina terræ mandavit, messis tempus exspectat, nec alia superinjicit; sic nobis etiam concupiscentiæ modus liberorum procreatione definitur.*

II.

CLEMENS ALEXANDRINUS.

Anno 200.

Lib. 2. Pædagogi c. 10. titulus est. *Quæ de procreatione liberorum tractanda sint?* dein sic pergit: Qui juncti sunt matrimonio, iis scopus est, & institutum, liberorum susceptio; finis autem, ut boni sint liberi, quemadmodum in agricola causa jacendi seminis est cura providendi pro sua sustentatione, finis autem est fructuum perceptio -- Moyses lepore vesci prohibet; omni enim tempore coit lepus; concipit autem singulis mensibus & superfœtat; init autem & parit; postquam autem peperit, statim a quovis initur lepore. -- A vehementibus ergo appetitionibus, mutuisque congressionibus, & cum prægnantibus fœminis conjunctionibus, alterisque initibus,

tibus, puerorumque ſtupris, adulteriis & libidine abſtinere hujus nos ænigmatis adhortata eſt prohibitio. -- Si ne digitum quidem temere movere permittit ſapienti ratio, quomodo non multo magis iis, qui ſapientiam perſequuntur, in eam, qua coitur, particulam dominatus eſt obtinendus? Atque hac quidem de cauſa videtur eſſe nominatum pudendum, quod hac corporis parte magis, quam qualibet alia cum pudore utendum ſit: natura enim, ſicut alimentis, ita etiam legitimis nuptiis, quantum convenit & quantum utile ac decens eſt, nobis uti permiſit. Permiſit autem appetere liberorum procreationem. Qui autem modum excedunt, labuntur in eo, quod eſt ſecundum naturam, per congreſſus, qui ſunt præter leges, ſeipſos lædentes. -- Ne ſemina, ubi non vis tibi naſci, quod ſeminatum eſt. Neque ullam unquam tange mulierem, præterquam tuam uxorem, ex qua ſola tibi licet carnis voluptates percipere ad ſuſcipiendam legitimam ſucceſſionem. Hæc enim ſola ſunt rationi legitima. Eis certe qui divini opificii ſunt participes, ſemen non eſt abjiciendum, neque injuria afficiendum, neque tanquam ſi cornibus ſemen mandes, ſeminandum eſt. Hic ipſe ergo Moyſes cum ipſis quoque prohibet uxoribus congredi, ſi forte eas detineant purgationes menſtruæ. -- Semen generationis degenerat, ineptumque redditur, ſi matricis ſulcis privetur. Neque vero ullum unquam induxit veterum Hebræorum coeuntem cum ſua uxore prægnante. Sola enim voluptas, ſi quis ea utatur in conjugio, eſt præter leges & injuſta, & a ratione aliena. Rurſus autem Moyſes abducit viros a prægnantibus quouſque pepererint. Revera enim matrix ſub veſica quidem collocata; ſuper inteſtinum autem, quod *rectum* vocatur, poſita, extendit collum inter humeros in veſica, & os colli, in quod venit ſemen, impletum occluditur, rurſuſque inane redditur partu purgato; fructu autem depoſito deinde ſemen ſuſcipit. Matrix itaque ſitiens filiorum procreationem ſemen ſuſcipit, probroſumque, & vituperandum negat coitum poſt ſationem ore clauſo omnino jam libidinem excludens. Ejus autem appetitiones, quæ prius in amicis verſabantur complexibus, intro converſæ in procreatione ſobolis occupatæ operantur una cum opifice. Nefas eſt ergo, operantem jam naturam adhuc moleſtia afficere, ſuperflue ad petulantem prorumpendo libidinem. -- Quod ſi hoc ipſum veniat in conſiderationem, an ducenda ſit uxor; quomodo libere permittetur, quemadmodum nutrimento, ita & coitu ſemper uti tanquam neceſſario? Ex eo videri poſſunt nervi tanquam ſtamina diſtrahi, & in vehementi congreſſus intentione diſrumpi. Effundit etiam caliginem ſenſibus, & robur interrumpit. -- Homo enim ex homine enaſcitur & evellitur: totus homo per exinanitionem coitus abſtrahitur. -- Aliquod tempus ad ſeminandum opportunum habent quoque rationis expertia animantia. Non coire autem ad liberorum procreationem eſt facere injuriam naturæ. -- Non vult homines ſemper dare operam matrimonio. Matrimonium autem eſt filiorum procreationis appetitio, non nullo ac incerto ordine ſeminis excretio, quæ eſt & præter leges, & a ratione aliena. -- Recte videtur dixiſſe quiſpiam: Nulli quidem profuit coitus, recte autem cum eo agitur, quem non læſerit. Nam & qui legitimus, eſt periculoſus, niſi quatenus in liberorum procreatione verſatur. -- Ei ſoli, qui uxorem duxit, ut qui tunc ſit agricola, ſerere permiſſum eſt, quando tempus ſementem admittit. -- Si comedere per ſe ſolum cogitetur, eſt argumentum neceſſitatis, & defectus repletio. Quod eſt autem amplius: eſt ex ſuperfluo. Quod eſt autem ex ſuperfluo, eſſe a diabolo declaravit Scriptura.

Idem lib. 2. *Stromatum*. Dominus ne quidem cum captiva vult libidinoſam eſſe conſuetudinem. *Cum ei*, inquit, (Deut. 21.) *permiſeris triginta diebus lugere, cum ejus poſtea veſtes mutaveris; tanquam cum uxore legitime cum ea con-*

gredere. Sed nec mercenariam, tanquam meretricis, sed propter solam liberorum procreationem vult esse consuetudinem. -- Non est omnino necessaria affectio voluptatis, sed accessio quædam & consequentia quædam naturalium necessitatum, famis, sitis, frigoris, matrimonii. Si itaque fieri posset, ut absque ea vel biberetur, vel alimentum susciperetur, vel liberi procrearentur, non posset ostendi alius ejus usus. Neque enim operatio, neque affectio (διάθεσις) neque aliqua pars nostri est voluptas, sed vicarii ministerii gratia in vitam accessit.

Idem lib. 3. *Strom.* Generaliter nobis procedat oratio de matrimonio, nutrimento, & aliis, ut nihil faciamus ex cupiditate; velimus autem ea sola, quæ sunt necessaria. Non sumus enim filii cupiditatis, sed voluntatis; & eum qui uxorem duxit pro liberorum procreatione, exercere oportet continentiam, ut ne suam quidem concupiscat uxorem, quam debet diligere, honesta & moderata voluntate operam dans liberis. Non enim carnis curam gerere ad concupiscentias didicimus. Verumtamen non oportet considerare concupiscentiam in uno solum genere, nempe in rebus venereis, sed etiam in quibuscunque aliis, quæ luxuriosa concupiscit anima non contenta necessariis, sed sollicita de delitiis.

Idem lib. 2. *Strom.* non procul a fine. Est ergo matrimonium legitima viri & mulieris conjunctio ad liberorum procreationem. Menander itaque Comicus: *Ad feminandos liberos tibi*, inquit, *meam trado filiam*. -- Uxor ducenda liberorum gratia. Idem l. 3. *Strom.* Quod lex voluerit uti moderate uxoribus, & propter solam liberorum susceptionem, ex eo clarum est, quod prohibeat eum, qui non habet uxorem, statim cum captiva habere consuetudinem. Quod si semel concupierit, ei cum tonsa fuerit, permittit, ut lugeat triginta diebus. Si autem ne sic quidem emarcescat cupiditas tunc liberis operam dare concedit, cum quæ dominatur impulsio, probata sit præfinito tempore consentanea rationi appetitio. Unde nullum veterum ex Scriptura ostenderis, qui cum prægnante rem habuerit; sed postquam gestavit uterum, & postquam editum fœtum a lacte depulit, rursus a viris cognitas fuisse uxores. Hoc institutum invenies servatum a patre Moysis, cum triennio post editum Aaronem intermisisset genuisse Moysen. Et rursus Levitica Tribus servans hanc naturæ legem a Deo traditam aliis numero minor ingressa est in terram promissam; non enim facile multiplicatur genus, cum viri exspectant etiam a lacte depulsionem.

Lib. 3. *Strom.* In moderato matrimonio intercedit consensio, & ad precationem continenter deducens, & ad procreandos liberos cum honestate concilians. -- Non enim totaliter propulsat naturæ appetitiones verecunda, quæ fit ad tempus, consensio, per quam rursus introducit ad conjugationem matrimonii, non ad intemperantiam, sed ne subjugetur intemperantiæ. -- Dominus non amplius concedit Polygamiam; tunc enim id exigebat Deus, quando oportebat augeri & multiplicari. Monogamiam autem introducit propter liberorum procreationem, & domus curam gerendam, ad quam data est mulier adjutrix; etsi cui Apostolus propter intemperantiam & ustionem ex venia (κατὰ συγγνώμην δευτέρᾳ μεταδίδωσιν γάμῳ) secundum concedit matrimonium. Nam hic quoque non peccat quidem ex testamento; non est enim a lege prohibitus; non implet autem summam illam vitæ perfectionem, quæ agitur ex Evangelio -- Sed nec eum, qui ex conjugali surgit cubili, lavari nunc jubet divina providentia; non enim necessario a liberorum abducit procreatione.

Ibid. lib. 3. Propositum uniuscujusque tam ejus qui seipsum castravit, hoc est, qui castitatem elegit, & qui propter liberorum procreationem seipsum conjunxit matrimonio, debet non cedere ei, quod est inferius. -- Cum dicit Apostolus: *Propter fornicationes unusquis-*

que

que ſuam uxorem habeat ; id veluti exponens rurſus dicit : *Ne vos tentet Satanas* . Non enim iis , qui continenter utuntur matrimonio propter ſolam liberorum procreationem dicit : *propter intemperantiam* : ſed iis , qui etiam finem liberorum procreationis cupiunt tranſilire , ne adverſarius excitet appetitionem ad alienas voluptates .

Lib. 6. Strom. deſcribens vitam veri Chriſtiani dicit . Uxor ei ſoror poſt liberorum ſuſceptionem judicatur , tanquam quæ ſit eodem patre nata , tunc ſolum viri recordans , quando filios aſpexerit .

III.

ORIGENES.

Anno 250.

In Geneſin Hom. 4. *De circumciſione Abrahæ* loquens ait : Nunc qualiter etiam carnis circumciſio ſuſcipi debeat , videamus . Membrum hoc in quo videtur præputium eſſe , officiis naturalibus coitus , & generationi deſervire nemo eſt qui dubitet . Siquis igitur erga hujuſcemodi motus non importunus exiſtat , nec ſtatutos legibus terminos ſuperet , nec aliam fœminam quam conjugem legitimam noverit , & in ea quoque ipſa poſteritatis tantummodo cauſa certis & legitimis temporibus agat , iſte circumciſus præputio carnis ſuæ dicendus eſt . Qui vero in omnem laſciviam proruit , & per diverſos & illicitos paſſim pendet amplexus , atque in omnem libidinis gurgitem fertur infrœnis , iſte incircumciſus eſt præputio carnis ſuæ .

Idem In Gen. Hom. 5. agens *de incæſtu filiarum Loth* , dicit : Quamvis grande eis crimen videretur , furari concubitum patris , gravior tamen eis videbatur impietas , ſi humanæ , ut putabant , poſteritatis ſpem ſervata caſtitate delerent . Propter hoc ergo ſingulis ingreſſæ noctibus ſingulæ ab ignorante ſuſcipiunt conceptum . Ultra non repetunt , non requirunt . Ubi hic libidinis culpa ? Quomodo dabitur vitio , quod non iteratur in facto ? Vereor proloqui quod ſentio , vereor inquam , ne caſtior fuerit harum inceſtus , quam pudicitia multarum . Diſcutiant ſe , & requirant fœminæ in conjugiis poſitæ , ſi ob hoc ſolum adeant viros , ut ſuſcipiant liberos , ſi poſt conceptum deſiſtunt . Iſtæ enim , quæ argui videntur inceſtus , ut adeptæ ſunt conceptum , ultra non accedunt ad concubitum viri . Nonnullæ vero mulieres , neque enim univerſas notamus , ſed ſunt quædam , quæ ſicut animalia abſque ulla diſcretione indeſinenter libidini ſerviunt , quas ego nec mutis pecoribus comparaverim . Pecora enim & ipſa ſciunt , cum conceperint , ultra non indulgere maribus copiam ſui . Notat tales Scriptura divina , cum dicit : *Nolite fieri ſicut equus & mulus , quibus non eſt intellectus* . Et iterum : *Equi emiſſarii facti ſunt* . Sed vos , o populus Dei , qui Chriſtum amatis in incorruptione , intelligite Apoſtoli ſermonem quo ait : *Sive manducatis , ſive bibitis , ſive aliud quid facitis , omnia in gloriam Dei facite* . Quod enim poſt manducare & bibere dicit : *Sive aliud quid facitis* , inverecunda conjugii negotia verecundo ſermone ſignavit , oſtendens , etiam iſta ad Dei gloriam geri , ſi poſteritatis ſolius contemplatione procurentur .

Idem in Epiſt. ad Rom. c. 3. Poteſt quis incircumciſus videri auribus , & incircumciſus labiis ; cur non & ſimili forma incircumciſus præputio carnis ſuæ dicatur is , qui erga naturalem coitus motum immoderatius & intemperantius effluit ? Circumciſus vero habeatur , ſi quis in hujuſcemodi negotio legitimis , & quantum poſteritati ſufficit , utatur officiis .

Idem Hom. 6. in Lucam ad illud : *Quando concepit Eliſabeth , abſcondebat ſe menſibus quinque* , ſic diſcurrit : Quæro , quam ob cauſam , poſtquam intellexit ſe eſſe prægnantem , publicum declinarit ? Ni fallor , hoc eſt etiam , quod hi qui nuptiis copulati ſunt , non omne tempus coitum liberum inter ſe habent ,

ſed eſt tempus, quando recedunt ab opere nuptiarum. Si enim vir ſenex fuerit, & mulier anus, pudoris eſt maximi, ſervire eos libidini, ſervire conjugio, quæ vel curæ corporis & ſenectæ eſſe Dei videntur voluntate ſublata. Hoc loco *curam corporis* Origenes veroſimiliter ſumit pro tempore puerperii, menſtrui, aut ægritudinis alterius.

IV.

LACTANTIUS.

Anno 300.

Lib. 5. Inſtitutionum cap. 8. Non eſſent adulteria, & mulierum proſtitutiones, & ſtupra, ſi eſſet notum omnibus, damnari a Deo, quidquid appetitur ultra generandi cupiditatem; nec fœminam neceſſitas cogeret pudorem ſuum profanare. Non eſſent igitur ut dixi hæc omnia in terris mala, ſi ab hominibus in legem Dei conjuraretur; ſi ab univerſis fierent, quæ unus noſter populus operatur.

Idem l. cc. lib. 6. cap. 23. Oportet ſibi quemque proponere, duorum ſexuum conjunctionem generandi cauſa datum eſſe viventibus; eamque legem his affectibus poſitam, ut ſucceſſionem præparent. Sicut autem dedit nobis oculos Deus, non ut ſpectemus, voluptatemque capiamus, ſed ut videamus propter eos actus, qui pertinent ad vitæ neceſſitatem, ita genitalem corporis partem, quod nomen ipſum docet, nulla alia cauſa, niſi efficiendæ ſobolis accepimus. Huic divinæ legi ſumma devotione parendum eſt -- Divina lex ita duos in matrimonium, quod eſt in corpus unum, pari jure conjungit, ut adulter habeatur, quiſquis compagem corporis in diverſa diſtraxerit. Nec ob aliam cauſam Deus, cum cæteras animantes ſuſcepto fœtu maribus repugnare voluiſſet, ſolam omnium mulierem patientem viri fecit, ſcilicet ne fœminis repugnantibus libido cogeret viros aliud appetere, eoque facto caſtitatis gloriam non tenerent. Sed neque mulier virtutem pudicitiæ caperet, ſi peccare non poſſet. Nam quis mutum animal pudicum eſſe dixerit, quod ſuſcepto fœtu mari repugnat? quod ideo facit, quia neceſſe eſt in dolorem atque in periculum veniat, ſi admiſerit. Nulla igitur laus eſt, non facere, quod non poſſis facere. Ideo autem pudicitia in homine laudatur, quia non naturalis eſt, ſed voluntaria. Servanda igitur fides ab utroque alteri eſt; immo exemplo continentiæ docenda uxor, ut ſe caſte gerat. Iniquum eſt enim ut id exigas, quod ipſe præſtare non poſſis.

V.

D. AMBROSIUS.

Anno 390.

In Pſalmum 118. Octon. 19. ad illa verba: *Clamavi in toto corde meo; juſtitias tuas requiram*, dicit: Non ſatis eſt clamare ad Dominum, ſed etiam juſtitias ejus exquirere. Exquirit autem juſtitias, qui id quod in omnibus creaturis, & maxime in animantibus rationabilibus, vel etiam irrationabilibus, obſervat, providentiæ adſcribit divinæ. Unde turturi ſtudium pudicitiæ, quæ compare amiſſo concubitui indulgere non novit, quod homines ſervare non poſſunt? Unde pleriſque animantibus tam ſobria partus cura ſervandi, ut ubi conceptionis munus agnoverint, coitum non putent eſſe repetendum, ne receptorum ſeminum fiat adulterina commixtio? -- Ex his igitur cognoſcimus, quam divinæ ſubſidia providentiæ hominibus non deeſſent, ſi Dei juſtitiam ſervare vellemus.

Idem in Evang. Lucæ cap. 1. ad illa verba: *Concepit Eliſabeth*. Sunt etiam ipſi conjugio præſcripta tempora, quando dare operam liberis ſit decorum, dum anni vigent, dum ſuſcipiendorum liberorum ſpes eſt. -- Adoleſcentes ipſi plerumque filiorum vota prætendunt, & excuſandum arbitrantur ætatis calore gene-

nerationis affectum. Quanto magis ſenibus agere turpe eſt, quod adoleſcentibus pudor eſt? Quin etiam ipſi juvenes, ſobria divino timore corda qui temperant, ſuſcepta plerumque ſobole renuntiant operibus juventutis. Et quid mirum de hominibus, ſi pecudes quoque muto quodam opere loquuntur, generandi ſibi ſtudium, non deſiderium eſſe coeundi. Siquidem ubi ſemel ſenſerint genitali alvo ſemen receptum, jam nec concubitui indulgent, nec laſciviam amantis, ſed curam parentis aſſumunt. At vero homines nec conceptis ipſis, nec Deo parcunt, illos contaminant; hunc exaſperant. Prius quam te, inquit, formarem in utero novi te, & in vulva matris ſanctificavi te. Ad cohibendam petulantiam tuam manus quaſdam tui authoris in utero hominem formantis advertis. Ille operatur, & tu ſacri uteri ſecretum inceſtas? vel pecudes imitare, vel Deum verere. Et quid de pecudibus loquor? Terra ipſa a generandi opere ſæpe requieſcit, & ſi impatienti hominum ſtudio jactis frequenter ſeminibus occupetur, impudentiam mulctat agricolæ, & fœcunditatem ſterilitate commutat. Ita quidem in ipſis elementis, & pecudibus ab uſu non ceſſare generandi, naturæ pudor eſt.

Idem lib. De viduis. Quanta conjugii neceſſitas, quæ ſubijcit alteri etiam fortiorem? mutuis enim neceſſitatibus ab utroque ſervitur. Nec temperanti licet jugo ſubducere caput, cum alterius intemperantiæ ſerviendum eſt.

VI.

D. HIERONYMUS.

Anno 400.

Lib. 2. adverſus Jovinianum cap. 30. Xyſtus in Sententiis: *Adulter eſt*, inquit, *in ſuam uxorem amator ardentior.* In aliena quippe uxore omnis amor turpis eſt, in ſua nimius. Sapiens vir judicio debet amare conjugem, non affectu. Reget impetus voluptatis, nec præceps feretur in coitum. Nihil eſt fœdius, quam uxorem amare ut adulteram. Certe qui dicunt ſe cauſa reipublicæ & generis humani uxoribus jungi, & liberos tollere, imitentur ſaltem pecudes, & poſtquam uxorum venter intumuerit, non perdent filios, nec amatores uxoribus ſe exhibeant, ſed maritos.

Idem in Epiſtolam ad Galatas cap. 5. ad illa verba: *Manifeſta ſunt opera carnis, quæ ſunt fornicatio, immunditia &c.* Secundum opus carnis immunditia vocatur. Quomodo enim in veteri lege de nefandis criminibus, quæ in occulto fiunt, generaliter Scriptura complexa eſt, dicens: *Verecundos facite filios Iſrael ab omni immunditia*; ſic in hoc loco cæteras extraordinarias voluptates, ipſarum quoque opera nuptiarum, ſi non verecunde & cum honeſtate, quaſi ſub oculis Dei fiant, ut tantum liberis ſerviatur, immunditiam & luxuriam nominavit.

Idem in Epiſtolam ad Titum cap. 2. ad illa verba: *Viri diligite uxores veſtras.* Liberorum ergo, ut diximus, opera in matrimonio conceſſa ſunt. Voluptates autem quæ de meretricum capiuntur amplexibus, in uxore damnatæ ſunt. Hoc legens omnis vir & uxor intelligant ſibi poſt conceptum magis orationi quam connubio ſerviendum. Et quod in animalibus & beſtiis ipſo naturæ jure præſcriptum eſt, ut prægnantes ad partum uſque non colant, hoc ſciant in hominibus arbitrio derelictum, ut merces eſſet ex abſtinentia voluptatum.

VII.

S. AUGUSTINUS.

Anno 420.

L. 2. Retract. c. 53. Bonitatem defendimus nuptiarum, ne putaretur earum eſſe vitium concupiſcentia carnis, & lex in membris repugnans legi mentis,

quo

quo malo libidinis bene utitur ad filios procreandos pudicitia conjugalis.

L. 2. *Confess. c.* 2. Quis mihi (in juventute lasciviente) moderaretur ærumnam meam, ut usque ad conjugale littus exæstuarent fluctus ætatis meæ, si tranquillitas in eis non poterat esse fine procreandorum liberorum contenta, sicut præscribit lex tua Domine?

L. 1. *De moribus Ecclesiæ Catholicæ c.* 30. alloquens Ecclesiam Catholicam dicit: Ecclesia Catholica non solum Deum purissime colendum prædicas, sed etiam proximi dilectionem ita dilectionem amplecteris, ut variorum morborum, quibus pro peccatis suis animæ ægrotant, omnis apud te medicina præpolleat. Tu pueros, juvenes, senes doces. Tu fœminas viris suis non ad explendam libidinem, sed ad propagandam prolem, & ad rei familiaris societatem casta & fideli obedientia subjicis.

L. 2. *De moribus Manichæorum c.* 18. Nonne vos estis, qui nos solebatis monere, ut quantum fieri posset, observaremus tempus, quo ad conceptum mulier post genitalium viscerum purgationem apta esset, eoque tempore a concubitu temperaremus, ne carni anima implicaretur? Ex quo illud sequitur, ut non liberorum procreandorum causa, sed satiandæ libidinis habere conjugem censeatis. Nuptiæ autem, ut ipsæ nuptiales tabulæ clamant, liberorum procreandorum causa marem fœminamque conjungunt.

Epist. 121. *ad Probam c.* 16. De matre Samuelis loquens ait: Non parvum malum videbatur, & nuptam esse, & fructu cerere nuptiarum; cum sola excusset nuptias procreandorum causa liberorum.

L. 3. *De Doctrina Christiana cap.* 18. Cavendum, ne quod in Scripturis veteribus pro illorum temporum conditione non est flagitium, ad ista etiam tempora putet posse transferri. -- Nam si multis uxoribus caste uti quispiam pro tempore potuit, potest alius una libidinose. Magis enim probo multarum fœcunditate utentem propter aliud: quam unius carne fruentem propter ipsam. Ibi enim quæritur utilitas temporum opportunitatibus congrua; hic satiatur cupiditas temporalibus voluptatibus implicata. Inferioriſque gradus apud Deum sunt, quibus secundum veniam concedit Apostolus carnalem cum singulis conjugibus consuetudinem propter intemperantiam eorum, quam illi, qui plures singuli cum haberent, sicut sapiens in cibo & potu non nisi salutem corporis, sic in concubitu non nisi procreationem liberorum intuebantur. -- Noverant illi homines, etiam in ipsis conjugibus luxuriam esse abutendi intemperantiam, quod Tobiæ testatur oratio, quando est copulatus uxori. *Domine tu scis, quoniam non luxuriæ causæ accipio sororem meam.* Sed qui in ipsa una conjuge non solum excedunt ad liberorum procreationem pertinentem modum, sed etiam inhumanioris intemperantiæ sordes inverecunda omnino licentia servilis cujusdam libertatis accumulant, non credunt fieri potuisse ut temperanter multis fœminis antiqui uterentur viri, nihil servantes in usu illo, nisi congruum temporibus propagandæ prolis officium.

In Enchiridio c. 78. Quæ sint autem levia, & quæ gravia peccata, non humano, sed divino sunt pensanda judicio. Videmus enim quædam ab ipsis quoque Apostolis ignoscendo fuisse concessa. Quale est illud, quod venerabilis Paulus conjugibus ait: Nolite fraudare invicem, nisi ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi; & iterum ad idipsum revertimini, ne vos tentet Satanas propter incontinentiam vestram; quod putari posset non esse peccatum, miscerí scilicet conjugi non filiorum procreandorum causa, quod bonum est nuptiale, sed carnalis etiam voluptatis; ut fornicationis, sive adulterii, sive cujuscunque alterius immunditiæ mortiferum malum, quod turpe est etiam dicere, quo potest tentante Satana libido pertrahere, incontinentium devitet infirmitas. Posset ergo, ut dixi, hoc putari non esse peccatum, nisi addidisset: *Hoc autem dico secundum veniam, non secundum imperium.*

rium. Quis autem jam eſſe peccatum neget, cum dari veniam facientibus apoſtolica authoritas fateatur. Tale quidam eſt, ubi dicit: *Audet quiſquam veſtrum adverſus alterum negotium habens judicari apud iniquos, & non apud Sanctos?* Et paulo poſt: *Sæcularia igitur judicia ſi habueritis*, inquit, *eos qui contemptibiles ſunt in Eccleſia, hos collocate ad judicandum. Ad reverentiam vobis dico. Sic non eſt inter vos quiſquam ſapiens; qui poſſit inter fratrem & fratrem judicare, ſed frater cum fratre in judicio contendit, & hoc apud infideles*. Nam & hic poſſet putari, judicium habere adverſus alterum, non eſſe peccatum, ſed tantummodo, id extra Eccleſiam velle judicari, niſi ſecutus adjungeret: *Jam quidem omnino delictum eſt inter vos, quia judicia habetis vobiſcum*. Et ne quis hoc ita excuſaret, ut diceret, juſtum ſe habere negotium; ſed iniquitatem ſe pati, quam velit a ſe judicum ſententia removeri, continuo talibus cogitationibus vel excuſationibus occurrit, atque ait: *Quare non magis iniquitatem patimini?* Prohibuit itaque ſuos, de ſæcularibus rebus cum aliis hominibus habere judicium. Tamen cum finit in Eccleſia talia judicia finiri inter fratres fratribus judicantibus, extra Eccleſiam vero terribiliter vetat, manifeſtum eſt, etiam hic quid ſecundum veniam concedatur infirmis. Propter hæc atque hujuſmodi peccata oportet ut quotidie dicamus; *Dimitte nobis debita noſtra*.

L. 13. *De Trinit. c.* 18. Quamvis carnali concupiſcentia quæ ineſt genitalibus membris bene utatur caſtitas conjugalis, habet tamen motus non voluntarios, quibus oſtendit, vel nullam ſe in Paradiſo ante peccatum eſſe potuiſſe, vel non talem fuiſſe, ſi fuit, ut aliquando reſiſteret voluntati. Nunc autem illam talem eſſe ſentimus, ut repugnans legi mentis, etiam ſi nulla eſt cauſa generandi, ſtimulos ingerat coeundi, ubi ſi ei ceditur, peccando ſatietur, ſi non ceditur, diſſentiendo frœnetur. Quæ duo aliena fuiſſe a Paradiſo ante peccatum, dubitare quis poſſit? Nam neque illa honeſtas faciebat aliquid indecorum, nec illa felicitas patiebatur aliquid impacatum. Oportebat itaque, ut iſta carnalis concupiſcentia nulla ibi eſſet omnino, quando concupiebatur virginis partus.

L. 3. *De Geneſi ad Litt. c.* 13. Neceſſarium fuit hoc in homine repetere: *Creſcite & multiplicamini*, ne quiſquam diceret, in officio gignendi filios ullum eſſe peccatum, ſicut eſt in libidine ſive fornicandi, ſive ipſo conjugio immoderatius abutendi.

Ibid. l. 9. *c.* 3. Si quæritur, ad quam rem fieri oportuerit hoc adjutorium, nihil aliud probabiliter occurrit, quam propter filios procreandos.

Et c. 5. Non invenio ad quod adjutorium facta ſit mulier viro, ſi pariendi cauſa ſubtrahatur.

Et c. 6. Non video, ad quod aliud adjutorium mulier facta ſit viro, ſi generandi cauſa ſubtrahatur, quæ nihilominus quare ſubtrahatur ignoro. Unde enim meritum virginitas habet, niſi quia iſto jam tempore continendi ab amplexu, cum ex omnibus gentibus Sanctorum largiſſima ſuppetat copia, percipiendæ ſordidæ voluptatis libido non ſibi vendicat, quod jam ſufficiendæ prolis neceſſitudo non poſtulat? Denique utriuſque ſexus infirmitas propendens in ruinam turpitudinis recte excipitur honeſtate nuptiarum, ut quod ſanis poſſit eſſe officium, ſit ægrotis remedium. Neque enim, quia incontinentia malum eſt, ideo connubium, in quo vel incontinentes copulantur, non eſt bonum; immo vero non propter illud malum culpabile eſt hoc bonum, ſed propter hoc bonum veniale eſt illud malum; quoniam id quod bonum habent nuptiæ, & quod bonæ ſunt nuptiæ, peccatum eſſe nunquam poteſt. Hoc autem tripartitum eſt, fides, proles, Sacramentum. In fide attenditur, ne præter vinculum conjugale cum altero vel altera concumbatur. In prole, ut amanter ſuſcipiatur, benigne nutriatur, religioſe educetur. In Sacramento autem, ut conjugium non ſeparetur.

Huç

Huc referendum, quod supra cap. 5. dixerat, Deum jam in Paradiso quædam ordinasse ex prævisione peccati. Cur inquit, non coierunt (primi parentes) nisi cum exissent de Paradiso? Cito responderi potest, quia mox creata muliere, priusquam coirent, facta est illa transgressio. Potest etiam dici, quia nondum Deus jusserat ut coirent. Ideo autem hoc non jusserat Deus, quia secundum suam præscientiam disponebat omnia, in qua & eorum casum procul dubio præsciebat; unde jam mortale genus propagandum esset humanum.

Ibid. cap. 9. Propter quid aliud quæsitus est fœmineus sexus adjutor, nisi ut ferentem genus humanum natura muliebris tanquam terræ fœcunditas adjuvaret?

L. Contra mendacium cap. 7. Interest plurimum, qua causa, quo fine, qua intentione quid fiat. Sed ea quæ constat esse peccata, nullo bonæ causæ obtentu, nullo quasi bono fine, nulla velut bona intentione facienda sunt. Ea quippe opera hominum, sicut causas habuerint bonas seu malas, nunc sunt bona nunc mala, quæ non sunt per seipsa peccata. Sicut victum præbere pauperibus, bonum opus est, si fit causa misericordiæ cum recta fide. Sicut concubitus conjugalis, quando fit causa generandi, si ea fide fiat, ut gignantur regenerandi: Hæc atque hujusmodi secundum suas causas opera sunt bona vel mala; quia eadem ipsa, si habeant causas malas, in peccata vertuntur. Velut si jactantiæ causa pauper pascitur, aut lasciviæ causa cum uxore concubitur; aut filii generantur, non ut Deo, sed ut Diabolo nutriantur.

L. Quæstionum ex Matthæo. quæst. 17. Generalem justitiam non violat quis, nisi quis libidine transgressus fuerit placitum societatis humanæ, sicut est furtum, rapina, adulterium, incestus, & hujusmodi; aut naturam, sicut est contumelia, cædes, homicidium, concubitus masculorum aut pecorum; aut modum in concessis, sicut est, superbum amplius verberare, quam oportet; vel superfluum edere, vel bibere amplius, quam oportet: cum ipsa conjuge concumbere amplius, quam oportet, & similia.

L. 2. De consensu Evangelistarum c. 1. Exemplo hoc (Mariæ & Josephi) magnifice insinuatur fidelibus conjugatis, etiam servata pari consensu continentia posse permanere vocarique conjugium non permixto corporis sexu, sed custodito mentis affectu; præsertim quia nasci eis etiam filius potuit sine ullo complexu carnali, qui propter solos gignendos filios adhibendus est.

L. De continentia c. 12. Quidam per incontinentiam se continent, velut si mulier contineat a marito, quia hoc juravit adultero. — Quidam non attingunt uxores suas, dum per magicas artes pervenire ad uxores moliuntur alienas. O mirabilem continentiam, immo vero nequitiam! Si enim vera esset continentia, magis ab adulterio, quam propter adulterium perpetrandum carnis concupiscentia debuit a conjugio continere. Hanc quippe concupiscentiam carnis relaxare solet continentia conjugalis, ejusque frœnis hactenus moderamen imponere, ut nec in ipso conjugio immoderata licentia diffluatur, sed custodiatur modus, aut infirmitati conjugis debitus, cui hoc non secundum imperium præcepit, sed secundum veniam concedit Apostolus; aut filiis procreandis accommodatus, quæ una fuit causa miscendæ invicem carnis & patribus quondam & matribus Sanctis. Id autem faciens continentia, id est moderans, & quodammodo limitans in conjugibus carnis concupiscentiam & ejus inquietum atque inordinatum motum certis quodammodo finibus ordinans bene utitur hominis malo, quem facit & vult perficere bonum.

L. De bono viduitatis c. 4. Videri, etiam conjugalem pudicitiam, & thori Christiani matrimonialem fidem Donum esse, & hoc a Deo (juxta illud: Unusquisque proprium donum habet a Deo 1. Cor. 7.) ut illud, quod ultra liberorum procreandorum necessitatem modum con-

concumbendi aliquatenus concupiſcentia carnalis excedit, non nuptiarum ſit hoc malum, ſed veniale ſit propter nuptiarum bonum. Non enim de conjugio, quod copulatur liberorum procreandorum cauſa, & fide pudicitiæ conjugalis, & indiſſolubili, quamdiu ambo vivunt, matrimonii Sacramento, quæ omnia bona ſunt; ſed de illo immodico carnis uſu, qui in infirmitate conjugum agnoſcitur, & interventu boni nuptialis ignoſcitur, ait Apoſtolus: *Secundum veniam dico, non ſecundum imperium.*

Et cap. 8. Apoſtolus cum dixiſſet, bonum eſſe illis ſi ſic permanſerint, ſicut & ego, addidit: *Quod ſi ſe non continent, nubant.* Hoc enim dixit, ut effrænatæ libidinis malum non præcipitaretur in turpitudinem flagitiorum, cum exciperetur honeſtate nuptiarum.

Expoſitione in Epiſt. ad Gal. Ad illa verba: *Dicite mihi &c.* Sara diu deſerta eſt a concubitu viri propter cognitam ſterilitatem. Non enim tales homines, quales erat Abraham, ad explendam libidinem utebantur fœminis, ſed ad ſucceſſionem prolis.

Lib. 5. *De Civit. Dei cap.* 6. Tanta naturæ vis eſt, ut cum conceperit fœmina, deinde alterum concipere omnino non poſſit. Unde neceſſe eſt, eadem eſſe in geminis momenta conceptus.

L. 15. *Contra Fauſtun. c.* 7. Præceptum, non mœchaberis, ita violatis, ut hoc maxime in conjugio deteſtemini, quod filii procreantur; ac ſic Auditores veſtros, dum cavetis, ne fœminæ, quibus miſcentur, concipiant, etiam uxorum adulteros faciatis. Ducunt enim eas ex lege matrimonii tabulis proclamantibus, liberorum procreandorum cauſa; ex veſtra lege metuentes, ne particulam Dei ſui ſordibus carnis afficiant, ad explendam tantum libidinem fœminis impudica conjunctione miſcentur: filios autem inviti ſuſcipiunt, propter quod ſolum conjugia copulanda ſunt.

Ibid. l. 19. *cap.* 26. Matrimonium ex hoc appellatum eſt, quod non ob aliud debeat fœmina nubere, quam ut mater fiat, quod vobis odioſum eſt.

Ibid. l. 22. *c.* 30. Sicut lex æterna, id eſt voluntas Dei, conſervando naturali ordini conſulens, non ut ſatiandæ libidini ſerviatur, ſed ut ſaluti generis proſpiciatur, ad prolem tantummodo propagandam, mortalis carnis delectationem dominatu rationis in concubitum relaxari ſinit; ſic econtrario perverſa lex Manichæorum, ne Deus eorum, quem ligatum in omnibus ſeminibus plangunt, in conceptu fœminæ arctius colligetur, prolem ante omnia devitari a concumbentibus jubet.

Ibid. lib. 22. *cap.* 48. Credant, non fruſtra tam magnum honorem ſanctitatis tributum quibuſdam viris etiam plures uxores habentibus (nempe Patriarchis) niſi quia fieri poteſt, ut imperator carnis animus tanta temperantiæ poteſtate præpolleat, ut genitalis delectationis motum inſitum naturæ mortalium, ex providentia generandi leges impoſitas non permittat excedere. -- Sicut fieri poteſt, ut homo ad concubitum non ingrediatur voluntate generandi, ſed luxuriandi libidine rapiatur, & tamen naſcatur homo, bonum Dei opus de fœcunditate ſeminum, non de turpitudine vitiorum; ita Sancti Patriarchæ conjugibus excipientibus ſemen ſuum miſcebantur non concupiſcentia percipiendæ voluptatis, ſed providentia propagandæ ſucceſſionis; ac per hoc non illos libidinoſos faciebat multitudo uxorum. Sed quid de viris loquar, cum ipſas fœminas ſatis eluceat, nihil aliud in concubitu appetiſſe quam filios?

Ibid. lib. 22. *cap.* 61. Conſulta æterna lex illa, quæ ordinem naturalem conſervari jubet, perturbari vetat, non niſi propagationis cauſa ſtatuit hominis concubitum fieri; & hoc non niſi ſocialiter ordinato connubio, quod non pervertat vinculum pacis; & ideo proſtitutio fœminarum non ad ſubſtituendam prolem, ſed ad ſatiandam libidinem propoſitarum, divina atque æterna lege damnatur.

Ibid. lib. 31. *cap.* 5. Vos, quod carnes diabolus operetur, eas tanquam immun-

mundiora Dei vestri vincula exhorrentes abjicitis. Auditoribus autem vestris secundum veniam hæc edenda conceditis; sicut quibusdam concedit Apostolus secundum veniam non omnem concubitum, conjugalem etiam, qui fit sola causa generandi, sed eum qui fit per incontinentiam sed tamen cum conjuge. Neque enim conceditur secundum veniam nisi peccatum; hoc vobis de omni carnium cibo sentitis; hoc & vestros Auditores docetis; sed illis quod sit ignoscendum, propter quod vobis necessaria ministrant, ut dixi, conceditis, non dicentes non esse peccatum, sed peccantibus veniam largientes; vos autem ab omni tali tanquam immunda contagione abstinetis.

Ibidem c. 6. Vos eum præcipue concubitum detestamini, qui solus honestus & conjugalis est, & quem matrimoniales quoque tabulæ præ se gerunt, liberorum procreandorum causa, unde vere non tam concumbere, quam nubere prohibetis. Concumbitur enim etiam causa libidinum, nubitur autem non nisi filiorum. ---- Videtis ergo multum interesse inter hortantes ad virginitatem (catholicos) & (vos) prohibentes nubere, concubitum propagationis, qui solus proprie nuptialis est, vehementius accusando.

Lib. 2. contra adversarium legis. cap. 11. Ipse est (Deus) qui dixit: Non concupisces: nec sicut iste criminatur, indixit septenas singulis nuptias, sed propagandi causa connubia casta permisit. -- ipse est, qui masculum & fœminam propagandi generis causa nuptiali castitate conjunxit.

Lib. de bono conjugali cap. 3. Bonum conjugii, quod etiam Dominus in Evangelio confirmavit, cur sit bonum merito quæritur. Quod mihi non videtur propter solam filiorum procreationem, sed propter ipsam etiam naturalem in diverso sexu societatem. Alioquin jam non diceretur conjugium in senibus, præsertim si amisissent filios, vel minime genuissent. Nunc vero in bono, licet annoso conjugio, & si emarcuit ardor ætatis inter masculum & fœminam, viget tamen ordo charitatis inter maritum & uxorem; quia quanto meliores sunt, tanto maturius a commixtione carnis suæ pari consensu se continere cœperunt, non ut necessitatis esset postea non posse quod vellent, sed ut laudis esset primum noluisse, quod possent. Si ergo servatur invicem fides honoris & obsequium debitorum ab alterutro sexu, etiamsi languescentibus & prope cadaverinis utriusque membris animorum tamen rite conjugatorum tanto sincerior, quanto probatior, & tanto securior, quanto placidior castitas perseverat. Habent etiam id bonum conjugia, quod carnalis vel juvenilis incontinentia, etiamsi vitiosa est, ad propagandæ prolis redigitur honestatem, ut ex malo libidinis aliquid boni faciat copulatio conjugalis: deinde quasi reprimitur, & quodammodo verecundius æstuat concupiscentia carnis, quam temperat parentalis affectus: intercedit enim quædam gravitas fervidæ voluptatis, cum in eo ipso, quod sibi vir & mulier adhærescunt, pater & mater esse meditantur.

Ibid. cap. 5. Solet etiam quæri, cum masculus & fœmina, nec ille maritus nec illa uxor alterius, sibimet non filiorum procreandorum sed propter incontinentiam solius concubitus causa copulantur, ea fide media, ut nec ille cum altera, nec illa cum altero id faciat, utrum nuptiæ sint vocandæ. Et potest quidem fortasse non absurde hoc appellari connubium, si usque ad mortem alterius eorum id inter eos placuerit, & prolis generationem, quamvis non ea causa conjuncti sint, non tamen vitaverint, ut vel nolint sibi nasci filios, vel etiam opere aliquo malo agant, ne nascantur. Cæterum si vel utrumque vel unum horum desit, non invenio, quemadmodum has nuptias appellare possimus. Etenim si aliquam sibi vir ad tempus adhibuerit, donec aliam dignam vel honoribus vel facultatibus suis inveniat, quam comparem ducat, ipso animo adulter est, nec cum illa quam cupit invenire, sed cum ista cum qua sic cubat, ut cum ea non habeat maritale consortium. Unde & ipsa

ſa hoc ſciens ac volens impudice utique miſcetur ei, cum qua non habet fœdus uxorium. Verumtamen ſi ei fidem thori ſervet, & cum ille uxorem duxerit, nubere ipſa non cogitet, atque a tali opere prorſus continere ſe præparat, adulteram quidem fortaſſis facile appellare non audeam, non peccare tamen quis dixerit, cum eam viro, cujus uxor non eſt, miſceri ſciat? Jam vero ſi in illo concubitu quantum ad ipſam attinet, non niſi filios velit, & quidquid ultro cauſam procreandi patitur, invita patiatur, multis quidem iſta matronis anteponenda eſt, quæ tametſi non ſunt adulteræ, viros tamen ſuos plerumque etiam continere cupientes ad reddendum carnale debitum cogunt, non deſiderio prolis, ſed ardore concupiſcentiæ ipſo ſuo jure intemperanter utentes, in quarum tamen nuptiis bonum eſt hoc ipſum, quod nuptæ ſunt. Ad hoc enim nuptæ ſunt, ut illa concupiſcentia redacta ad legitimum vinculum non deformis & diſſoluta fluitaret, habens de ſeipſa irrefrænabilem carnis infirmitatem de nuptiis autem indiſſolubilem fidei ſocietatem; de ſeipſo progreſſum immoderate coeundi, de nuptiis modum caſte procreandi. Etſi enim turpe eſt, libidinoſe uti velle marito, honeſtum eſt tamen, nolle miſceri niſi marito, & non parere niſi de marito.

Ibid. cap. 6. Sunt item viri uſque adeo incontinentes, ut conjugibus nec gravidis parcant. Quidquid ergo inter ſe conjugati immodeſtum, inverecundum, ſordidumve gerunt, vitium eſt hominum, non culpa nuptiarum. Jam in ipſa quoque immoderatiore exactione debiti carnalis, quam eis non ſecundum imperium præcipit, ſed ſecundum veniam concedit Apoſtolus, ut etiam præter cauſam procreandi ſibi miſceantur; & ſi eos pravi mores ad talem concubitum impellunt, nuptiæ tamen ab adulterio ſeu fornicatione defendunt: Neque enim illud propter nuptias admittitur, ſed propter nuptias ignoſcitur. Debent ergo ſibi conjugati non ſolum ipſius ſexus ſui commiſcendi fidem, liberorum procreandorum cauſa, quæ prima eſt humani generis in iſta mortalitate ſocietas, verum etiam infirmitatis invicem excipiendæ, ad illicitos concubitus evitandos, mutuam quodammodo ſervitutem, ut ſi & alteri eorum perpetua continentia placeat, niſi ex alterius conſenſu non poſſit, & ad hoc enim uxor non habet poteſtatem ſui corporis, *ſed vir: ſimiliter & vir non habet poteſtatem ſui corporis*, ſed mulier, ut & quod non filiorum procreandorum, ſed infirmitatis & incontinentiæ cauſa expetit vel ille de matrimonio, vel illa de marito, non ſibi alterutrum negent, ne per hoc incidant in damnabiles corruptelas, tentante Satana propter incontinentiam vel amborum, vel cujuſquam eorum. Conjugalis enim concubitus generandi gratia non habet culpam; concupiſcentiæ vero ſatiandæ, ſed tamen cum conjuge, propter fidem thori venialem habet culpam; adulterium vero ſive fornicatio lethalem habet culpam: ac per hoc melior eſt quidem ab omni concubitu continentia, quam vel ipſe matrimonialis concubitus, qui fit cauſa gignendi.

Et cap. 7. Sed quia continentia illa meriti amplioris eſt; reddere vero debitum conjugale nullius eſt criminis; exigere autem ultra generandi neceſſitatem culpæ venialis; fornicari vero vel mœchari puniendi criminis, cavere debet charitas conjugalis, nedum ſibi quærit, unde amplius honoretur, conjugi faciat, unde damnetur (ſi faciendo divortium dat alteri anſam mœchandi) -- Quæ ſi ita ſunt, tantum valet illud ſociale vinculum conjugum, ut cum cauſa procreandi colligetur, nec ipſa cauſa procreandi ſolvatur.

Et cap. 9. Sane videndum eſt, alia bona nobis Deum dare, quæ propter ſeipſa expetenda ſunt, ſicut eſt ſapientia, ſalus, amicitia: alia quæ propter aliquid ſunt neceſſaria, ſicut doctrina, cibus, potus, ſomnus, conjugium, concubitus. Horum enim quædam neceſſaria

ria sunt propter sapientiam, sicut doctrina; quædam propter salutem, sicut cibus, potus & somnus; quædam propter amicitiam, sicut nuptiæ, vel concubitus; hinc enim subsistit propagatio humani generis, in quo societas amicabilis magnum bonum est. His itaque bonis, quæ propter aliud necessaria sunt, qui non ad hoc, propter quod instituta sunt, utitur, peccat, alias venialiter, alias damnabiliter. Quisquis vero eis propter hoc utitur, propter quod data sunt, bene facit -- per hoc bonum est nubere, quia bonum est filios procreare, matremfamilias esse -- Ex quo colligitur, primis temporibus generis humani, maxime propter populum Dei propagandum, uti debuisse isto non propter se expetendo, sed propter aliud necessario bono nuptiarum. Nunc vero, cum ad ineundam sanctam societatem undique ex omnibus gentibus copia spiritalis cognationis exuberet, etiam propter filios solos connubie copulare cupientes, ut ampliore continentiæ bono potius utantur, admonendi sunt.

Et cap. 10. Unde mihi videtur, hoc tempore solos eos, qui se non continent, conjugari oportere. -- Non nuptias secundum veniam concedit Apostolus: Nam quis ambigat, absurdissime dici, non eos peccasse, quibus venia datur? Sed illum concubitum secundum veniam concedit, qui fit per incontinentiam non sola causa procreandi, sed etiam aliquando nulla causa procreandi, quem nuptiæ non fieri cogunt, sed ignosci impetrant, si tamen non sit ita nimius, ut impediat, quæ sepositæ esse debent tempora orandi, nec immutetur in eum usum, qui est contra naturam, concubitus enim necessarius causa generandi inculpabilis & solus ipse nuptialis est; ille autem, qui ultra istam necessitatem progreditur, jam non rationi, sed libidini obsequitur: & hunc tamen non exigere, sed reddere conjugi, ne fornicando damnabiliter peccet, ad personam pertinet conjugalem. Si autem ambo tali concupiscentiæ subiguntur, rem faciunt non plane nuptiarum. Verumtamen si magis in sua conjunctione diligunt, quod honestum est, quam quod inhonestum est; id est, quod est nuptiarum, quam id quod non est nuptiarum, hoc eis authore Apostolo secundum veniam conceditur, cujus delicti non habent hortatrices nuptias, sed deprecatrices, si Dei misericordiam non a se avertant vel non abstinendo quibusdam diebus, ut orationibus vacent, & per hanc abstinentiam sicut per jejunia commendent preces suas vel immutando naturalem usum in usum qui est contra naturam, quod damnabilius fit in conjuge. Nam cum ille naturalis usus, quando prolabitur ultra pacta nuptialia, id est, ultra propagandi necessitatem, venialis fit in uxore, in meretrice damnabilis, iste qui est contra naturam, execrabiliter fit in meretrice, sed execrabilius in uxore. -- Decus ergo conjugale est castitas procreandi, & reddendi carnalis debiti fides; hoc est opus nuptiarum; hoc ab omni crimine defendit Apostolus -- exigendi autem debiti ab alterutro sexu immoderatior progressis conjugibus secundum veniam conceditur.

Et cap. 13. Illis temporibus (V. T.) officio propagandi nuptias copulabant, non victi libidine, sed ducti pietate -- plures (conjuges) castius habebant, quam nunc unam quilibet istorum, quibus videmus, quid secundum veniam concedat Apostolus: habebant enim eas in opere generandi, non in morbo desiderii, sicut gentes, quæ ignorant Deum. Quod tam magnum est, ut multi hodie facilius se tota vita ab omni concubitu abstineant, quam modum teneant non coeundi nisi prolis causa, si matrimonio copulentur. Nempe multos habemus utriusque sexus continentes, expertos nuptias, quem tandem audivimus inter familiaria colloquia indicantem nobis, nunquam se conjugi esse commixtum, nisi sperando conceptum? Quod ergo præcipiunt conjugatis Apostoli, hoc est nuptiarum; quod autem venialiter concedunt, aut quod impedit orationes, non cogunt nuptiæ, sed ferunt.

Et

Et cap. 16. Quod eſt cibus ad ſalutem hominis, hoc eſt concubitus ad ſalutem generis, & utrumque non eſt ſine delectatione carnali. Et quod eſt in luxuria ventris & gutturis illicitus cibus, hoc eſt in libidine nullam prolem quærente illicitus concubitus. Et quod in cibo licito nonnullis immoderatior appetitus, hoc eſt in conjugibus venialis ille concubitus.

Et cap. 17. Ipſæ nuptiæ in omnibus gentibus eadem ſunt filiorum procreandorum cauſa, qui, qualeslibet poſtea fuerint, ad hoc tamen inſtitutæ ſunt nuptiæ, ut ordinate honeſteque naſcantur. -- Quamvis utrorumque (modernorum, & Patriarcharum) nuptiæ, inquantum nuptiæ ſunt, quia procreandi cauſa ſunt, æqualiter bonæ ſunt, hi tamen homines conjugati illis hominibus conjugatis non ſunt comparandi. Habent enim iſti, quod illis propter honeſtatem nuptiarum, quamvis ad nuptias non pertineat, ſecundum veniam concedatur, id eſt, progreſſum illum, qui excedit generandi cauſam vel neceſſitatem, quod illi non habebant.

Et cap. 25. Noſtros, qui conjuges habent, quantum poſſumus, admonemus ne animus carnalibus motibus aquieſcat, eoſque in concubitum ultra generandi neceſſitatem prolabi aut progredi ſinat, quantum ordo naturæ, quantum morum conſuetudo, quantum legum ſcita præſcribunt.

Lib. 2. *de adulterinis conjugiis*, *cap.* 11. & 12. Si cauſa incontinentiæ non ſunt excuſanda adulteria, quanto minus excuſantur procreandorum cauſa filiorum? Illi quippe infirmitati, hoc eſt, incontinentiæ voluit Apoſtolus ſubveniri honeſtate nuptiarum, nam utique incontinentia vitium eſt, conjugium autem non eſt vitium. Et ideo fit per hoc bonum, ut illud veniale ſit malum. Cum ſint ergo nuptiæ cauſa generandi inſtitutæ, ea cauſa fiebant a patribus, qui tantum officio generandi fœminis miſcebantur. -- Tunc ergo etiam propter propagationem filiorum in nuptias deſcendebat officio; nunc autem vinculum nuptiale incontinentiæ ſubvenit vitio, ut ab eis, qui ſe non continent, non per turpitudinem ſuprorum, ſed per honeſtatem conjugiorum fiat propagatio filiorum. Cur ergo non dicit Apoſtolus; *Si filios non habet, nubat?* Quia ſcilicet hoc tempore continendi ab amplexu non eſt neceſſe filios propagare. Et quare dicit: *Si ſe non continet, nubat?* Utique propterea, ne per eam incontinentiam cogatur adulterare. Si ergo ſe continet, nec nubat, nec generet. Si autem ſe non continet, licite nubat, ne turpiter generet, aut turpius concumbendo non generet: quanquam hoc, quod ultimum dixi, nonnulli faciunt etiam licite conjugati. Illicite namque & turpiter etiam cum legitima uxore concumbitur, ubi prolis conceptio devitatur. Quod faciebat Onan filius Judæ, & occidit illum propter hoc Deus. Propagatio itaque filiorum ipſa eſt prima & naturalis & legitima cauſa nuptiarum, ac per hoc, qui propter incontinentiam conjunguntur, non ſic debent temperare malum ſuum, ut bonum exterminent nuptiarum, id eſt, propaginem liberorum. De incontinentibus quippe loquebatur Apoſtolus, ubi ait: *Volo juniores nubere, filios propagare.* Cum dicebat: *volo juniores nubere*, hoc utique monebat propter ruinam incontinentiæ fulciendam. Sed ne forte ab eis ſola carnalis concupiſcentiæ cogitaretur infirmitas, cui tantummodo eſſet opere connubii ſerviendum, nuptiarum autem vel contemneretur vel negligeretur bonum, continuo ſubjunxit; *filios procreare*, *matresfamilias eſſe*. Qui vero eligunt continere, melius utique aliquid eligunt, quam eſt nuptiarum bonum, hoc eſt, generatio filiorum.

Lib. 1. *de peccatorum meritis cap.* 29. Bonum conjugii non eſt fervor concupiſcentiæ, ſed quidam licitus & honeſtus illo fervore utendi modus, propagandæ proli, non explendæ libidini accommodatus: voluntas iſta, non voluptas illa nuptialis eſt. Quod igitur in membris corporis mortis hujus inobedien-

dienter movetur, totumque animum in se dejectum conatur attrahere, & neque cum mens voluerit, exurgit, neque cum mens voluerit quiescit, hoc est malum peccati, in quo nascitur omnis homo. Cum autem ab illicitis corruptionibus refrænatur, & ad sola generis humani supplementa ordinate propaganda permittitur, hoc est bonum conjugii, per quod ordinata societate nascitur homo.

Et lib. 3. cap. 12. Hoc (de menstruata non attingenda in conjugio præceptum) Ezechiel inter illa præcepta ponit, quæ non figurate accipienda sunt.

Lib. 2. *contra Pelagium & Cœlestium cap.* 33. Sic autem argumentantur Pelagiani, dicentes: Ergo malum sunt nuptiæ, & non est opus Dei homo, quem generant nuptiæ. Quasi nuptiarum sit morbus concupiscentiæ, in quo uxores diligunt, qui ignorant Deum, quod Apostolus prohibet; ac non potius pudicitia conjugalis, qua in bonos usus ordinate filios procreandi redigitur libido carnalis. -- utrumque propagatur, & natura & naturæ vitium, quorum unum est bonum, & alterum malum: illud de conditoris largitate sumitur; hoc de originis damnatione attrahitur.

Et cap. 34. Bonum ergo sunt nuptiæ in omnibus, quæ sunt propria nuptiarum. Hæc autem sunt tria, generandi ordinatio, fides pudicitiæ, connubii sacramentum. Propter ordinationem generandi scriptum est: Volo juniores nubere, filios procreare, matresfamilias esse.

Et cap. 38. In stirpe damnata tenet hominem generatio carnalis, unde sola liberat regeneratio spiritalis; ideo regeneratis parentibus non nocebit, nisi cum ea male utuntur, non solum in omnibus illicitis corruptelis, verum etiam in ipsis conjugibus, quando non propagandi voluntate operam creandis filiis impendunt, sed lasciviendi voluptate exsaturandæ libidini inserviunt. Quod propter vitandas fornicationes maritis & uxoribus ne fraudent invicem, nisi ex consensu ad tempus, ut orationibus vacent, secundum veniam, non secundum imperium concedit Apostolus: Evidenter quippe, dum tribuit veniam, denotat culpam. Nuptialis autem concubitus, quem matrimoniales quoque indicant tabulæ, causa procreandorum fieri filiorum per seipsum prorsus, non in comparatione fornicationis, est bonus: qui licet sine bestiali motu, de quo natura erubescit, fieri non potest, tamen ipse concubitus non est peccatum, ubi ratio libidine utitur ad bonum, non superatur ad malum.

Lib. 1. *de Nuptiis & Concupiscentia cap.* 4. Copulatio maris & fœminæ gerandi causa bonum est naturale nuptiarum; sed isto bono male utitur, qui bestialiter utitur, ut sit ejus intentio in voluptate libidinis, non in voluntate propaginis. Quanquam in nonnullis animalibus rationis expertibus, sicut in pleriisque alitibus & conjugiorum quasi quædam confœderatio custoditur, & socialis nidificandi solertia, viciſſimque ovorum dispertita tempore fovendorum, & nutriendorum alterna opera pullorum, magis eas videri faciunt agere, cum coeunt, negotium substituendi generis, quam explendæ libidinis. Eodem ergo modo concupiscentiam carnis in usum justitiæ convertunt fidelium nuptiæ: habent quippe intentionem generandi regenerandos. Quapropter qui non hac intentione, hac voluntate, hoc fine generant filios, ut eos ex membris hominis primi in membra transferant Christi, sed infideles parentes de infideli prole glorientur, etiam si tanta sit observantia, ut secundum matrimoniales tabulas non nisi liberorum procreandorum causa concumbant, non est in eis vera pudicitia conjugalis.

Et cap. 8. Non solum igitur conjugatus fidelis vase non utatur alieno, quod faciunt, a quibus uxores alienæ appetuntur; sed nec ipsum proprium in concupiscentiæ carnalis morbo possidendum sciat. Quod non sic accipiendum est, tanquam prohibuerit Apostolus conjugalem, hoc est, licitum honestumque concubitum, sed ut iste concubitus non

sit

ſit voluntatis, ſed neceſſitatis. — Illo concupiſcentiæ malo utitur homo, non vincitur, quando eam inordinatis atque indecoris motibus æſtuantem frænat, & cohibet, neque niſi propagini conſulens relaxat, atque adhibet, ut ſpiritaliter regenerandos carnaliter gignat, non ut ſpiritum carni ſordida ſervitute ſubjiciat. Sic patres ſanctos ex Abraham & ante Abraham uſos fuiſſe conjugibus neminem oportet dubitare Chriſtianum; quando quibuſdam etiam plures habere conceſſum eſt, ubi ratio fuit prolis multiplicandæ, non variandæ appetitio voluptatis. Nam ſi Deo illa numeroſitas conjugum propterea non diſplicuiſſet, ut copioſius ſe libido jactaret, ita etiam ſanctæ fœminæ ſerviſſent pluribus ſingulæ: quod ſi aliqua faceret, quid eam niſi concupiſcentiæ turpitudo compelleret, ut plures viros haberet, quando iſta licentia plures filios non haberet?

Et cap. 12. Quamvis conjugalis concubitus, qui fit intentione generandi, non fit ipſe peccatum, quia bona voluntas animi ſequentem ducit, non ducentem ſequitur corporis voluptatem, nec humanum arbitrium trahitur ſubjugante peccato, cum juſte redigitur in uſum generandi plaga peccati.

Cap. 14. Verum in conjugatis, ut hæc optanda & laudanda (nempe continentiæ perpetuæ exempla) ſic alia toleranda ſunt, ne in damnabilia flagitia, id eſt, in fornicationes vel adulteria corruatur. Propter quod vitandum malum etiam illi concubitus conjugum, qui non fiunt cauſa generandi, ſed victrici concupiſcentiæ ſerviunt, in quibus jubentur non fraudare invicem, ne tentet eos Satanas propter intemperantiam ſuam, non quidem ſecundum imperium præcipiuntur, tamen ſecundum veniam conceduntur. Ubi ergo venia danda eſt, aliquid eſſe culpæ nulla ratione negabitur. Cum igitur culpabilis non ſit generandi intentione concubitus, qui proprie nuptiis imputandus eſt, quid ſecundum veniam concedit Apoſtolus, niſi quod conjuges dum ſe non continent, debitum ab altero carnis expoſcunt non voluntate propaginis, ſed libidinis voluptate? Quæ tamen voluptas non propter nuptias cadit in culpam, ſed propter nuptias accipit veniam. Quocirca etiam hinc ſunt laudabiles nuptiæ, quia & illud, quod non pertinet ad ſe, ignoſci faciunt propter ſe. Neque enim etiam iſte concubitus, quo ſervitur concupiſcentiæ, ſic agitur, ut impediatur fœtus, quem poſtulant nuptiæ.

Et cap. 15. Sed tamen aliud eſt, non concumbere, niſi ſola voluntate generandi, quod non habet culpam, aliud carnis concumbendo appetere voluptatem, ſed non præter conjugem, quod venialem habet culpam. Quia etſi non cauſa propagandæ prolis concumbitur, nec tamen hujus libidinis cauſa propagationi prolis obſiſtitur ſive voto malo, ſive opere malo.

Idem lib. 2. *cap.* 35. oſtendit, ſi concupiſcentia foret naturalis hominis conditio, etiam in paradiſo futurum fuiſſe uſum conjugii in gravidis, quod eſt alienum a ratione. Abſit enim, inquit, ut beatitudo illa poſſet, aut in loco illo non habere, quod vellet, aut in ſuo corpore vel animo ſentire quod nollet, ac per hoc, ſi motus libidinis voluntatem præveniret, voluntas continuo ſequeretur, uxorque ab hoc nunquam abſens eſſe debebat, ſed ſive conceptura, ſive jam gravida illico admoveretur; & aut proles ſeminaretur, aut voluptas naturalis & laudabilis expleretur, & periret ſemen hominis, ne appetitus tam bonæ concupiſcentiæ fraudaretur. Quid ſi & ille uſus contra naturam forſan delectaret? — Si hinc erubuerit, & dixerit, tantum ordinem in his rebus eſſe potuiſſe, ut nunquam carnis concupiſcentia voluntatem illorum hominum præveniret, ſed cum ipſi vellent, tunc illa conſurgeret; tunc autem vellent, quando ad ſeminandos filios opus eſſet, ita ut nullus ſeminis irritus eſſet jactus, nullus fieret concubitus, quem non ſequeretur conceptus & partus ad nutum ſerviente carne, ad nutum ſerviente libidine; hoc ſi dicit, dicat ſaltem per illorum (Adami & Evæ) inobedien-

tiam etiam ipsam (libidinem) esse vitiatam .

Lib. 2. *contra Julianum cap.* 7. Neque, quod ego commemoravi , secundum Apostolum veniam concedi , ubi procul dubio notatur , etsi ignoscitur culpa , saltem verbotenus attingere voluisti .

Cap. 9. Qui (Ambrosius) nuptiarum bonum , & causa propagandi generis humani divinitus institutum agnovit.

Et cap. 10. Sine peccato semper essemus , donec sanaretur hoc malum (concupiscentiæ) si ei nunquam consentiremus ad malum . Sed quibus ab illo rebellante , etsi non lethaliter , sed venialiter , tamen vincimur , in his contrahimus unde quotidie dicamus , Dimitte nobis debita nostra . Sicut conjuges quando modum generationi necessarium causa solius voluptatis excedunt . De hac lege peccati , quæ alio modo etiam peccatum vocatur , quæ repugnat legi mentis , attestantur etiam Sancti Cyprianus , Hilarius &c.

Et cap. 9. Quomodo ergo mortuum dicimus hoc peccatum in baptismate ? nisi quia mortuum est in eo reatu , quo nos tenebat . Quamvis jam non eo modo appelletur peccatum , quo facit reum , sed quod sit reatu primi hominis factum , & quod nos trahere nititur ad peccatum .

Ibid. lib. 3. *cap.* 14. In conjugibus , inquis , (concupiscentia) cum honestate exercetur . Ergone a conjugibus non frænatur hoc malum . Prorsus cum libitum fuerit , sternunt se conjuges , & invadunt , quandocunque titillaverit ; nec ad horam cubandi iste appetitus differtur , sed tunc videtur legitima esse corporum commixtio , quando istud naturale tuum bonum fuerit sponte commotum ? Si talem duxisti vitam conjugalem , define te tuis experimentis in disputatione committere , & de aliis potius , quemadmodum sit ducenda vel docenda , perquire . Si vero & pudicitia conjugalis , & propter immoderata in ipso quoque connubio volutabra libidinis frænat hanc pestem , quid est , quod dicis ; *in conjugibus cum honestate exercetur* , quasi honestus sit appetitus iste semper in conjuge , & nihil ei saltem secundum veniam , sicut dicit Apostolus , concedatur ?

Et cap. 16. Omnino in genere suo nuptiæ bonum sunt , sed ideo bonum , quia fidem thori servant , quia prolis suscipiendæ causa sexum utrumque commiscent , quia impietatem separationis exhorrent . Hæc sunt bona nuptialia , quibus nuptiæ bonum sunt , quæ sæpissime diximus esse potuisse , etiam si nemo peccasset . Post peccatum autem accessit eis non de felicitate , sed de necessitate certamen , ut suo bono pugnent etiam ipsæ contra concupiscentiæ malum , ejus malo utentes in propagatione prolis . Illud vero quis neget malum , nisi qui non audit Apostolum monentem : Hoc autem dico secundum veniam ; quando conjuges non prolis suscipiendæ , sed carnalis voluptatis explendæ victi cupiditate concumbunt , hoc non laudatur , sed ignoscitur in comparatione mali pejoris intervenientibus & deprecantibus nuptiis .

Ibid. lib. 3. *cap.* 21. Sanctarum virginum non gloriosa ego , sed gloriosiora dicere malui . Habet enim palmam de hujus mali subjectione , quamvis minorem pudicitia etiam conjugalis . Belligerat enim etiam ipsa contra carnalem concupiscentiam , ne limites thori nuptialis excedat . Et si tantas vires habet ista pudicitia conjugalis , ut faciat , quod præscribunt tabulæ matrimoniales , in ipso quoque thoro conjugali conflictu fortiori belligerat , ne ultra quam generandis filiis satis est , etiam ipsum conjugis corpus attractet . Talis pudicitia nec menstruatis nec gravidis utitur fœminis , nec ejus ætatis , qua certum est , eas jam concipere non valere . Nec eam prorsus concumbendi vincit affectus , sed tunc relaxatur , cum speratur generationis effectus . Si quid vero fit in conjuge , non quidem contra naturam , sed tamen quod tabularum matrimonialium limitem transeat , veniale apud Apostolum reperitur . *Et cap.* 23. Non enim copula nuptialis , sicut putas ,

tas, propter carnis concupiſcentiam, ſed propter bonum, quod de iſto malo fit, inſtituta eſt.

Ibid. lib. 4. *cap.* 1. Exultas, quod teſte Apoſtolo dixerim, donum Dei eſſe pudicitiam conjugalem. -- Non itaque parvum donum Dei eſt, ita frænari hoc malum, ut ad nihil relaxetur illicitum, ſed generationi tantum regenerandorum ſerviat filiorum.

Et cap. 2. In eo, quod dixi, bonum conjugale, etiamſi non habetur, a Domino eſſe poſcendum, viſus ſum tibi dicere, pro concumbendi viribus ſupplicandum. Sed ego pro ipſa pudicitia conjugali dixi rogandum Deum, in qua eſt concumbendi non liber uſus, ſed licitus modus. Nam homo ſi concumbere non poteſt, potius non quærat uxorem, quandoquidem Apoſtolica ſententia ubi ait: *Si ſe non continet, nubat*, remedium voluit eſſe nuptias contra morbum concupiſcentiæ. Hoc autem remedium eſt, non ut ſit concupiſcentia, ſi non eſt, ſed ut non rapiat ad illicita.

Et cap. 4. Amor fruendi creaturis ſine amore creatoris non eſt a Deo. Amor autem Dei, quo pervenitur ad Deum, non eſt niſi a Deo. Per hunc amorem Creatoris bene quiſque utitur etiam creaturis. Sine hoc amore Creatoris nullus quiſquam bene utitur creaturis. Hoc ergo amore opus eſt, ut bonum beatificum ſit & pudicitia conjugalis, ut ſit ejus intentio quando utitur conjugis carne, non in voluptate libidinis, ſed in voluntate propaginis; Si autem vicerit, & propter ſe ipſam, non propter filios propagandos, fieri aliquid extorſerit, & voluptas veniale peccatum ſit propter nuptias chriſtianas.

Ibid. lib. 5. *cap.* 9. Tantum exceſſum libidinis (in conjugibus) identidem culpas, ipſam laudare non ceſſas. Nec attendas malum eſſe, cui ne limitem neceſſitatis excedat, cogitur temperantia repugnare. Quamvis tu, quod monuit Apoſtolus, ne in morbo deſiderii ſuum vas quiſque poſſideat, non de conjugio, ſed de fornicatione accipiendum putaveris, atque ita temperantiæ totam honeſtatem de concubitu conjugum abſtuleris, ut nemo ſibi videatur in morbo deſiderii ſuum vas poſſidere, quantacunque libidine in uxoribus genitalibus potuerit inſanire. Si enim ullum ibi tenendum exiſtimares modum, potuiſti & illic concupiſcentiæ reprehendere exceſſum. -- Sicut & (Paulus) ſecundum veniam concedit, quamvis cum conjuge, non utique illum prolis, ſed qui fit voluptatis intentione concubitum. Hunc audiant chriſtiana conjugia, non te, qui vis in eis, quam defendis, nunquam frænari concupiſcentiam, ſed quotieſcunque ſe commoverit, ſatiari avidam, regnare ſecuram. Hunc audiant, inquam, fideles Chriſti, qui ſunt connubio colligati, ut ex conſenſu temperent, quo vacent orationi; & cum ad idipſum redeunt propter intemperantiam ſuam, noverint etiam inde dicere Deo: Dimitte nobis debita noſtra. Quod enim ſecundum veniam, non ſecundum imperium a tanto Doctore dicitur, utique ignoſcitur, non jubetur.

Et ibid. lib. 5. *cap.* 12. Ego, quia liberorum procreandorum cauſa uxores eſſe ducendas honeſtas conſentit humana, quolibet modo libidini cedat infirmitas, præter fidem, & prolem, cujus generandæ cauſa ſexus uterque miſcendus eſt, adverti etiam tertium bonum (Sacramenti) -- Si aliter, niſi per concubitum, proles poſſet procreari, & tamen concumberent conjuges, apertiſſime libidini cederent, atque illo malo uterentur male. Cum propter quod ſexus ambo inſtituti ſunt, niſi eorum commixtione non naſcitur homo, propter hoc mixti conjuges illo malo utuntur bene. Si autem de libidine etiam quærunt voluptatem, venialiter male.

Et cap. 16. Nos dicimus, illud eſſe contra voluntatem, ut caro concupiſcat adverſus ſpiritum, non illud, ut ſpiritus adverſus carnem. Per quam concupiſcentiam bonam fit, ut niſi cauſa generandi non utantur conjuges carnis libidine, ac ſic malo utantur bene; qui uſus bonus mali facit honeſtum concu-

bitum, vereque nuptialem. Voluptatis autem causa, non prolis, facit concubitum culpabilem, sed in conjuge venialem.

Lib. 1. *contra duas Epist. Pelag. cap.* 16. Quo malo (concupiscentiæ) propter bonum generationis filiorum bene utuntur pudica conjugia. Solius autem carnalis voluptatis causa libidini consentire (id est, præeuntem sequi) peccatum est, quamvis conjugatis secundum veniam concedatur.

Et lib. 3. *cap.* 5. Alius habens quidem opera bona ex fide recta, quæ per dilectionem operatur, non tamen ita, ut ille bene moratus (Christianus) incontinentiam suam sustentat honestate nuptiarum, conjugii carnalis debitum & reddit & repetit, nec sola propagationis causa, verum etiam voluptatis, quamvis cum sola uxore concumbit, quod conjugatis secundum veniam concedit Apostolus; injurias tamen non patienter accipit -- nempe iste, qui moribus illo videtur inferior, propter rectam fidem, secundum quam in omnibus delictis suis se accusat, in omnibus Deum laudat, atque ab ipso sumens & indulgentiam peccatorum & dilectionem recte factorum, de hac vita liberandus & in consortium cum Christo regnaturorum recipiendus emigrat. Quare, nisi propter fidem? quæ licet sine operibus neminem salvat, tamen per ipsam etiam peccata solvuntur.

In Psal. 80. Sunt homines omnino contemptores sæculi hujus, non hærent dilectione aliqua terrenis operibus, sancti, casti, continentes -- Sunt autem alii, qui rebus infirmitati concessis inhærent aliquantum dilectione. Non rapit villam alienam, sed sic amat suam, ut si perdiderit, conturbetur. Non appetit uxorem alienam, sed sic inhæret suæ, sic miscetur suæ, ut modum non ibi teneat præscriptum tabulis, liberorum procreandorum causa -- isti habent ligna, fœnum, stipulam super fundamentum, sed rerum concessarum, non illicitarum -- Si talis es, -- salvus eris, cum ardere cœperit, quod ædificasti, sic tamen quasi per ignem. Nemo enim super fundamentum hoc ædificans adulteria, blasphemias, sacrilegia, idololatrias, perjuria, putet se salvum futurum per ignem, quasi ista sint ligna, fœnum, stipula, sed qui ædificat amorem terrenorum super fundamentum regni cœlorum, id est, super Christum, ardebit amor rerum temporalium, & ipse salvus erit per idoneum fundamentum.

Lib. De decem Chordis cap. 11. In ipsis concessis peccata sunt. Cum ipsa uxore, si exceditur concumbendi modus procreandis liberis debitus, jam peccatum est. Ad hoc enim ducitur uxor: nam id etiam tabulæ indicant, ubi scribitur, *procreandorum liberorum causa*. Quando tu uti uxore amplius, quam necessitas procreandorum liberorum cogit, volueris, jam peccatum est; & ipsa talia peccata quotidianæ eleemosinæ mundant. In ipsis alimentis quæ utique concessa sunt, si forte excedis modum, & amplius accipis, quam necesse est, peccas. Quotidiana sunt ista, quæ dico, sed tamen peccata sunt.

Homil. 50. *inter* 50. *De necessitate pœnitentiæ*: enumerans varias causas agendæ pœnitentiæ, dicit: Si Dei ministri, quanto magis cætera multitudo quotidianam debet agere pœnitentiam? qui quamvis a flagitiis immunes esse debeant, tamen propter administrationem rerum familiarium, & conjugiorum arctissima vincula tam multa peccant, ut non tam de istius mundi pulvere aspergi, quam luto obliniri videantur. -- Hinc est etiam illud: In idipsum estote, ne vos tentet Satanas propter incontinentiam vestram. Quod ut peccatum demonstraret esse, sed infirmitati concessum, subjecit statim: Hoc autem dico secundum veniam, non secundum imperium. Sola enim generandi causa est inculpabilis sexus utriusque commixtio.

Serm. 34. *de diversis cap.* 7. 8. 9. & 10. enumerans varia peccata addit: Quæ peccata homines quando faciunt, putant se non peccare, quia nulli hominum nocent. Qui seipsos corrumpunt voracitate,

tate, ebrietate, reſpondent, cui quid rapui? -- Unam rem commemoravi, ut videatis, quomodo peccent, qui ſeipſos corrumpunt, cum ſibi innocentes videntur. Sed quoniam in ipſa fragilitate vitæ hujus difficile eſt, ut homo non excedat modum aliquantulum in his rebus, quibus ad neceſſitatem utitur, adhibendum eſt illud remedium: *Dimitte nobis debita noſtra* -- Si tua (uxore) intemperantius uſus fueris, nunquid nocere videris alicui, quia uteris tua? Sed eoipſo conceſſo (quod non noceas alteri) immoderatius utendo corrumpis in te templum Dei. Nemo te accuſat extraneus. Sed quod reſponſum dabit Deo conſcientia tua dicenti per Apoſtolum: *Ut ſciat unuſquiſque veſtrum ſuum vas poſſidere in ſanctificatione & honore, non in morbo deſideriorum, ſicut gentes, quæ ignorant Deum?* Quis eſt autem habens uxorem, qui eo modo utatur uxore, ut non excedat legem liberos procreandi? ad hoc enim data eſt, convincunt te tabulæ, quæ ſcribuntur in matrimonio. Pactus es, quemadmodum duceres: ſonat tibi Scriptura pactionis, *liberorum procreandorum cauſa*. Si modum exceſſeris, contra illas tabulas facies, & contra pactum. Quærit in te Deus integritatem templi ſui, & non invenit: non quia tua uſus es; ſed quia immoderate uſus es. Nam & vinum de apotheca tua bibis, & tamen ſi ſic bibis, ut inebrieris, non quia re tua uſus es, ideo non peccaſti: donum enim Dei convertiſti ad corruptionem tuam. Quid ergo? certe manifeſtum eſt, & renuntiat omnium conſcientia; quia difficile eſt, ſic uti rebus conceſſis, ut non aliquantulum excedatur modus. Quando autem exceſſeris modum, offendis Deum, cujus templum es.

Serm. 53. *de diverſis cap.* 13. & 14. Qui uxoris carnem amplius appetit, quam præſcribit limes ille, *liberorum procreandorum cauſa*, contra ipſas tabulas facit, quibus eam duxit uxorem. Recitantur tabulæ, & recitantur in conſpectu omnium atteſtantium, & recitatur, *liberorum procreandorum cauſa*, & vocantur tabulæ matrimoniales. Niſi ad hoc dentur, ad hoc accipiantur uxores, quis ſana fronte dat filiam ſuam libidini alienæ? Sed ut non erubeſcant parentes, cum dant, recitantur tabulæ, ut ſint ſoceri, non lenones. Quid ergo de tabulis recitatur? *Liberorum procreandorum cauſa* -- Erubeſcat & maritus aliter accipere; ſi erubeſcit pater aliter dare. -- Nunquid hoc non eſt peccatum, amplius quam liberorum procreandorum neceſſitas cogit, exigere a conjuge debitum? Eſt quidem peccatum, ſed veniale. Apoſtolus dicit: *Hoc autem dico ſecundum veniam*. -- Qui liberorum procreandorum cauſa habent uxores magni viri, quales fuiſſe patres legimus, ſi eis poſſet præſtari, ut haberent filios ſine concubitu, nonne ineffabili gaudio tantum beneficium amplecterentur? Duo ſunt opera carnalia, quibus conſtat genus humanum, in quæ duo opera prudentes & ſancti ex officio deſcendunt; imprudentes autem in ea per cupiditatem ruunt. Primum eſt, quod pertinet ad ſumenda alimenta -- Ad manducandum & bibendum quam multi voraciter irruunt -- Hos ad menſam non adducit niſi concupiſcentia carnis, non indigentia refectionis. Itaque iſti cadunt in eſcam & potum. Illi autem qui deſcendunt ex officio vivendi, non ideo vivunt ut comedant, ſed ideo comedunt, ut vivant. -- Uſque ad eum modum carnale opus expetite, ut filios procreetis; & quia non aliter poteſtis habere filios, ad illud cum dolore deſcendite.

VIII.

S. FULGENTII.

Anno 500.

In Epiſtola 1. quæ inſcribitur: *De conjugali debito* ſic habet: Dicis, conjugalem tuam pene uſque ad extremum nuper ægrotaſſe periculum, & ſicut plerumque contingit, accepta manus impoſitione pœnitentiam ſecundum mo-

rem, quem habet Christiana Religio, peregisse. Verum quia postmodum plenam accepit corporis sospitatem, fragilitatem carnis allegans, ætatis insuper juvenilis incontinentiam confiteris. Et in hac ambiguitate cogitationis, qua carnem consideras, majestatemque formidas, velut nauta locorum ignarus, & fluctibus ventisque jactatus, dum periculorum incerta præcaves, nostra tibi responsione demonstrari flagitas portum, ubi animæ possis vitare naufragium. Tenor ergo interrogationis tuæ me compellit duo non segniter consideranda pensare, scilicet non solum quid in se conjugalis admixtionis qualitas habeat, sed etiam quid in unaquaque re pollicitatio voventis exposcat. Igitur culpabilis usus non in conjugali concubitu sed in concumbentium reperietur excessu. Neque ex commixtione maris & fœminæ, sed ex immoderatione libidinis culpam trahit coitus conjugalis. In conjugibus ergo excessus jure reprehenditur; nuptialis tamen dignitas collati sibi divinitus honoris munere non privatur. Ideo Paulus quorundam infirmitatem videns tanquam parieti inclinato & maceriæ impulsæ non neglexit consolationis destinam supponere. *Uxori*, inquit, *vir debitum reddat*, *similiter autem uxor viro*. Non vocaret Apostolus debitum, nisi legitime sciret esse reddendum; nec juberet reddendum mutuæ consensionis officium, si esset iniqua reposcentis exactio. Hujus igitur potestatis inculpabilis est usus, officio gignendi divinitus attributus, si justitiæ terminum transgredi libidinosus non permittetur excessus. Justitia vero utendi conjugii hæc est, ut non explendæ libidinis sed substituendæ prolis obtentu sibi conjuges congruo tempore misceantur. In illis namque bonis, quæ fecit Deus, invenitur casta copulatio uxoris & viri, in quibus Dei operibus libido non potest inveniri: nec aliquando justitiæ congruit, quæ non hominibus ex dono conditionis sed peccatoribus ex vitio primæ prævaricationis accessit. Sed quia sine illa in corpore mortis hujus proles humana non feritur, non eam affectant conjugia casta, sed tolerant, eique imponit nuptialis honestas modum, sine qua non potest in carne peccati naturalis explere fœcunditatis officium. Sic ergo quæri debet ex nuptiis fructus, ut cohibendus sit lubricæ voluptatis excessus. Quocirca si conjugalis usus eatenus temperetur, ut non æstuanti libidini animus ferviat, sed proventum nascituræ prolis attendat, & cum nata fuerit, diluendam celerius spiritali generatione non negligat, non deputatur fidelibus conjugibus ad peccatum carnis indulta commixtio. Conjugatus ergo, si thori fidem non deserat, sed in uxore sua naturali duntaxat usu aliquantulum intemperantius excedat, non solum scilicet generationem quærens, sed aliquando libidini carnis obediens, hoc equidem sine culpa non facit. Talis autem culpa citius bene operanti atque oranti remittitur, quia ipsi conjugi servat maritalis charitas fidem, in qua non potest maritalis infirmitas custodire temperiem. Retenta ergo thori fides maculam diluit, quam contrahit infirmitas carnis, si mulieri non misceatur alteri, quisquis non pro sola generatione, sed etiam propter fragilitatem carnis suæ miscetur uxori; quia etsi præfixum concumbendi modum transit, tamen conjugalem terminum non excedit: & licet contrahat carnalis infirmitas culpam, impetrat tamen nuptialis integritas veniam. Accipit ergo talis indulgentiam, non pro eo, quod ab una debitum conjugale plus quam oportet exigit, sed quia una legitima accepta contentus alteram non requirit: si tamen non desunt misericordiæ opera, quæ tantum valent in religione Christiana ut non solum qui conjugiis utuntur, sed etiam virgines ad præmium virginitatis pervenire non possint, si opera misericordiæ charitatisque neglexerint. Si quis vero intentus operibus bonis tantam servaverit in uxore temperiem, ut filiorum procreandorum causa tantummodo misceatur uxori, multa laude talis procul dubio est dignus, si

quis

quis hoc noſtris poteſt implere temporibus. -- *Cap.* 9. Si continentiam unus veſtrum ſine alterius vovit aſſenſu, temerarie ſe voviſſe agnoſcat, & debitum conjugi redhibeat. Verumtamen ut omnia veſtra honeſte fiant, in redditione conjugalis debiti ſic infirmitatem carnis excipiat uſus conjugalis, ut non caro libidini ſerviat, ſed animi virtus adjuta divinitus carnalis concupiſcentiæ frena reſtringat. Negotium namque ſubſtituendæ prolis ita debet a conjugibus peragi, ut ſubſerviente verecundia, dum ſe ad opus fœcunditatis animus fidelis inclinat, modeſtiam ſimul naturalis honeſtatis Deo adjuvante cuſtodiat. *Et cap.* 10. Præ omnibus autem meminerint conjugati, ſemper orationibus atque eleemoſinis inſiſtendum: nec velint jugiter in ipſa carnis infirmitate jacere, ſed feſtinent gradum vitæ potioris aſcendere; & ut ad virtutem continentiæ perveniat animus, magis magiſque carnalis concupiſcentiæ comprimatur exceſſus, ut dum Deo adjuvante illum ſuperaverint gradum, in quo conjugalis infirmitas veniam poſtulat, celſiorem laudabiliter poſſint obtinere, in quo continentiæ virtus palmam vitæ melioris exſpectat.

IX.

S. GREGORIUS M.

Anno 590.

Lib. 32. *Moralium in cap.* 40. *Jobi. c.* 17. dicit: Paulus, dum quoſdam in Eccleſia incontinentes aſpiceret, conceſſit minima, ut majora declinarent, dicens: *Propter fornicationem autem unuſquiſque uxorem habeat.* Et quia tunc ſolum conjuges in admixtione ſine culpa ſunt, cum non pro explenda libidine, ſed pro ſuſcipienda prole miſcentur. Ut hoc etiam, quod conceſſerat, ſine culpa quamvis minima non eſſe monſtraret, illico adjunxit: *Hoc autem dico ſecundum indulgentiam*, non ſecundum imperium. Non enim eſt ſine vitio, quod ignoſcitur, & non præciptur. Peccatum profecto vidit, quod poſſe indulgeri prævidit. Sed cum in dubiis conſtringimur, utiliter minimis ſubdimur, ne in magnis ſine venia peccemus.

Hom. 36. *in Evang.* Quamvis bonum ſit conjugium, atque ad propagandam ſobolem providentia divina conſtitutum; nonnulli tamen non per hoc fœcunditatem prolis, ſed deſideria expetunt voluptatis; & idcirco per rem juſtam ſignificari non incongrue poteſt res injuſta. Hoc loco S. Gregorius agit de excuſatione invitati ad cœnam, dicentis: *Uxorem duxi, & ideo non poſſum venire.*

Idem in Paſtorali part. 3. *c.* 28. Admonendi ſunt conjuges, ut ſuſcipiendæ prolis ſe meminerint cauſa conjunctos, & cum immoderatæ admixtioni ſervientes propagationis articulum in uſum transferunt voluptatis, perpendant, quod licet extra non exeant, in ipſo tamen conjugio conjugii jura tranſcendunt. Unde neceſſe eſt, ut crebris exhortationibus moneantur, ut defleant, quod pulchram copulæ ſpeciem admixtis voluptatibus fœdant. Hinc eſt, quod peritus medicinæ cœleſtis Apoſtolus non tam ſanos inſtituit, quam infirmis medicamenta monſtravit, dicens: *Propter fornicationem unuſquiſque ſuam habeat uxorem.* Qui enim fornicationis metum præmiſit, profecto non ſtantibus præceptum contulit, ſed ne fortaſſe in terra ruerent, lectulum cadentibus oſtendit. Unde adhuc infirmantibus ſubdidit: *Uxori vir debitum reddat, ſimiliter & uxor viro.* Quibus dum in magna honeſtate conjugii aliquid de voluptate largiretur, paulo poſt ſubdidit. *Hoc autem dico ſecundum indulgentiam, non ſecundum imperium.* Culpa quippe eſſe innuitur, quod indulgeri perhibetur. Sed quæ tanto citius relaxetur, quanto non per hanc illicitum quid agitur, ſed hoc quod eſt licitum ſub moderamine non tenetur. Quod bene Loth in ſemetipſo exprimit, qui ardentem Sodomam fugit; ſed tamen Segor veniens nequa-

quam

quam mox montana conscendit. Ardentem quippe Sodomam fugere est illicita carnis incendia declinare. Altitudo vero montium est munditia continentium. Vel certe quasi in monte sunt, qui & jam carnali copulæ inhærent, sed tamen extra suscipiendæ prolis admixtionem debitam nulla carnis voluptate solvuntur. Sed quia multi sunt, qui scelera quidem carnis deserunt, nec tamen in conjugio positi usus solummodo debiti jura conservant, exiit quidem Loth Sodomam, sed tamen mox ad montana non pervenit, quia jam damnabilis vita relinquitur, sed adhuc celsitudo conjugalis continentiæ subtiliter non tenetur. Est vero in medio Segor civitas, quæ fugientem salvet infirmum, quia videlicet cum sibi per incontinentiam miscentur conjuges, & lapsus scelerum fugiunt, & tamen venia salvantur. Quasi parvam quippe civitatem inveniunt, in qua ab ignibus defendantur; quia conjugalis hæc vita non quidem in virtutibus mira est, sed tamen a suppliciis secura. Unde idem Loth ad angelum dicit: Est civitas hic parva, & salvabor in ea. Juxta ergo Segor dicitur, & tamen ad salutem tuta perhibetur, quia conjugalis vita nec a mundo longe dissita est, nec tamen a gaudio salutis aliena. Sed tunc in hac actione vitam suam conjuges quasi in parva civitate custodiunt, quando pro se assiduis deprecationibus intercedunt.

L. 1. *Epist.* 24. Paulus in Paradisum ducitur, & tamen ad cubile carnalium mentis aciem revocat, & cum sanctum conjugium creandorum sit causa liberorum, aliquid etiam eis & de voluptate largitur dicens: *Propter fornicationes unusquisque suam uxorem habeat.*

L. 12. *Epist.* 31. *ad Augustinum Angliæ Apostolum.* Ad uxoris concubitum vir ejus accedere non debet quousque qui gignitur ablactetur. Prava autem in conjugatorum moribus consuetudo surrexit, ut mulieres filios suos quos gignunt nutrire contemnant, eosque aliis mulieribus ad nutriendum tradant. Quod videlicet ex sola causa incontinentiæ videtur inventum. Quia dum se continere nolunt, despiciunt lactare quos gignunt. Hæ itaque quæ filios suos ex prava consuetudine aliis ad nutriendum tradunt, nisi purgationis tempus transierit, viris suis non debent admisceri. Quippe quia & sine partus causa, cum consuetis menstruis detinentur, viris suis misceri prohibeantur. --Quia ipsa licita commixtio conjugum sine voluptate carnis fieri non potest, a sacri loci ingressu abstinendum est, quia voluptas ipsa esse sine culpa nullatenus potest. Non enim de adulterio sed de legitimo matrimonio natus fuerat, qui dicebat: *In iniquitatibus conceptus sum.* In quibus tamen verbis non ipsam admixtionem conjugum iniquitatem nominat, sed ipsam videlicet voluptatem admixtionis. Sunt enim multa licita ac legitima, & tamen in eorum actu aliquatenus fœdamur; sicut sæpe irascendo culpas infectamur, & tranquillitatem in nobis animi perturbamus, & cum rectum sit quod agitur, non est tamen tunc approbabile, quod in eo animus perturbatur. --Oportet itaque legitima carnis copula ut causa prolis sit, non voluptatis; & carnis admixtio creandorum liberorum sit gratia, non satisfactio vitiorum. Siquis ergo sua conjuge non cupidine voluptatis raptus, sed solummodo liberorum procreandorum gratia utitur, iste profecto de ingressu Ecclesiæ, seu de sumendo Corporis Dominici Sanguinisque mysterio suo est relinquendus judicio; cum vero non amor procreandæ sobolis, sed voluptas dominatur in opere commixtionis, habent conjuges etiam de sua commixtione quod defleant. Hoc enim eis concedit sancta prædicatio, & tamen de ipsa concessione animum concutit. Nam Paulus (dicit) Hoc dico secundum indulgentiam. Non enim indulgetur, quod licet & justum est. Quod enim indulgeri dixit, culpam esse demonstravit.

X.

S. ISIDORUS.

Anno 630.

Lib. 2. *De Officio Eccleſ. cap.* 19. Illæ ſunt certæ nuptiæ, quæ in conjugio non libidinem, ſed prolem requirunt, neque enim ſic inſtitutæ ſunt, ut carnis voluptatibus ſerviant, ſed tantum ut fructum propaginis quærant. Nam & ipſæ dotales tabulæ indicant, quod cauſa procreandorum liberorum ducitur uxor. Quando ergo quiſque luxurioſe amplius vivit, quam neceſſitas procreandorum liberorum cogit, jam peccatum eſt. Unde neceſſe eſt, ut quotidianis eleemoſinis ac precibus intercedant, qui thori conjugalis pudicitiam frequentius per incontinentiam commaculant.

Lib. 2. *Sententiarum cap.* 40. Quoſdam conjugale decus non pro gignendis liberis delectat, ſed hoc pro turbulenta carnis & libidinoſa conſuetudine appetunt; ſicque bono male utuntur.

XI.

PŒNITENTIALIA.

I.

Pœnitentiale Theodori Archiepiſcopi Cantuarienſis, qui floruit ſæculo ſeptimo circa annum 680, editum in *Delectu Actorum Eccleſiaſticorum* tom. 2. cap. 11. *De quæſtionibus conjugiorum* ſic habet: Vir abſtineat ſe ab uxore ſua quadraginta dies ante Paſcha & uſque in octavas Paſchæ. Mulier tribus menſibus abſtineat a viro ſuo, quæ concepit, ante partum, & poſt tempus purgationis, hoc eſt quadraginta diebus, & quadraginta noctibus. Idem in Capitulis pœnitentialibus c. 32.

In tribus quadrageſimis, & in die Dominico & quarta feria & ſexta conjugati ſe continere debent; nec illis diebus copulari, quamdiu gravata fuerit uxor, id eſt, a quo die filius in utero motum fecerit, uſque ad partum. A partu poſt trigintæ dies, ſi filius, ſi autem filia, poſt quinquaginta ſex.

II.

Pœnitentiale Venerabilis Bædæ, qui vixit ſæculo octavo circa annum 730. c. 2. De fornicatione ſic habet: *Uxoratus contineat ſe 40 dies ante Paſcha, vel Natale Domini, & omni die Dominico, & quarta & ſexta feria a conceptione manifeſta uſque poſt natam ſobolem: vir contineat ſe ab uxore per tres menſes.* Ibidem c. 10. *De abſtinentia mulierum.* Mulier abſtineat ſe a viro ſuo, antequam pepererit; & poſt partum 40. dies. Qui autem nupſerit his diebus, decem dies pœniteat, vel 30, vel 20.

III.

Pœnitentiale Halitgarii Archiepiſcopi Cameracenſis qui ſcripſit ſæculo nono circa annum 820, illudque ex variis Pœnitentialibus collegit ad inſtantiam Ebonis, prius Rhemenſis, dein Hildeſienſis Epiſcopi, lib. 4. De quæſtionibus conjugiorum c. 24. ſic habet: *Vir abſtineat ſe ab uxore ſua 40 diebus ante Paſcha in octavas Paſchæ. Mulier tres menſes debet ſe abſtinere a viro ſuo, quando concipit, ante partum. Et poſt tempore purgationis, 40 diebus & noctibus ſive maſculum ſive fœminam pepererit.*

IV.

Pœnitentiale Rhabani Mauri Archiepiſcopi Moguntini, qui ſcripſit circa annum 830. lib. 3. cap. 34. eadem verba ponit, quæ Pœnitentiale Halitgarii.

V.

Pœnitentiale Andegavenſe antiquum, in quo, ubi ponit decreta Romanorum Pontificum, ultimus comparet Gregorius III. Succeſſor Petri ſæculo octavo, apud Marinum de Pœnit. Tit. *Quibus diebus abſtinere oporteat a propria conjuge?*

ge? sic habet: *Qui uxores habent, contineant se ab eis* 40 *dies ante Paschа, & Natale Domini, & omni Dominica & 4 & 6 feria. Et a conceptione manifestata usque post natam sobolem vir contineat se ab uxore, id est, tres menses.*

VI.

Pœnitentiale Romanum, editum ab Antonio Augustino Tarraconæ 1581. & Venetiis 1584. & in *Delectu Actorum Ecclesiasticorum* Lugduni 1738. Tit. 3. c. 20. sic habet: *De fornicatoribus. Concubuisti cum uxore tua die Dominico? Quatuor Dies pœniteas. Si concubuisti cum uxore tua, postquam infans motum in utero fecerat, vel saltem quadraginta dies ante partum, vel in tempore purificationis suæ, vel menstruo tempore, decem dies pœniteas.*

Ibidem Tit. 7. cap. 9. sic habet: *Ex Concilio Eliberitano. Quibus temporibus viri ab uxoribus abstinere debeant. In tribus Quadragesimis anni, & Die Dominica, & in quarta feria, & in sexta feria conjugales se continere debent; nec illis diebus copulari, quamdiu gravata fuerit uxor; id est, a quo die filius in utero motum fecerit usque ad partum; a partu post triginta tres dies, si filius est; si autem filia, post sexaginta quinque.* Observo, hunc Canonem per errorem tribui Concilio Eliberitano, in quo nil horum reperire est. Sed nec continetur in Concilio Illerdensi, celebrato anno 524, cui eum tribuit Burchardus. Verosimile est, imperitum aliquem Canonum collectorem has lacinias assuisse genuino Pœnitentiali Romano, & quod prius observatum fuerat de prohibita celebratione nuptiarum in quadragesimis & diebus festis vel jejunii, sensim ab Ecclesiæ Magistris ac Pœnitentiariis translatum fuisse ad usum conjugii.

VII.

Pœnitentiale Reginnis, qui vixit sæculo nono exeunte. Exhibetur apud Morinum *de Pœnit.* sub titulo *Excepta a Reginone ex Pœnitentiali Theodori Archiepiscopi & Bedæ presbyteri.* Inter interrogationes pœnitentis sic habet: *Nupsisti cum uxore tua retro? Si feceris*, 40 *dies pœniteas. Nupsisti die Dominico? tres dies pœnitere debes. Nupsisti cum uxore tua* (gravida)? 40 *dies pœniteas. Coinquinatus es cum uxore tua in quadragesima? Si hoc feceris, annum unum pœniteas. -- Hoc enim cavere debet, ut viginti dies ante Natalem Domini, & Pentecosten, & omni die Dominica, & post conceptionem manifestatam vir contineat se ab uxore.*

VIII.

Pœnitentiale ex Burchardo, qui vixit sæculo decimo, editum a Stevartio Ingolstadii 1608. Ex lib. 8. Burchardi inter statuta Canonum de Officio Sacerdotum continetur & iste: *In tribus quadragesimis anni, & die Dominico, & in 4 & 6 feria conjugati se debent continere; nec illis diebus copulari, quamdiu fuerit gravida uxor; & a quo die infans in utero motum fecerit, usque ad partum: a partu post* 33 *dies, si filius est; si autem filia* 156. Forte scribendum, 66. In Canone notatur, hunc Canonem desumptum esse ex Concilio.

IX.

Pœnitentiale Augustanum. Manuscriptum, quod reperi in Bibliotheca Cathedrali Augustana, cujus character & alia signa referunt sæculum Decimum. Hujus fragmentum edidi in meo opere Dogmatico *de Indulgentiis*. Cap. 5. sic habet: *De abstinentia viri vel fœminæ post manifestatam conceptionem*. Uxoratus se contineat XL. Dies ante Paschа & Pentecosten, ante Natale Domini, & om-

omnem Dominicam noctem, quarta & ſexta feria, & a conceptione manifeſtata uſque poſt natam ſobolem. Vir autem ſe contineat ab uxore tres menſes. Mulier abſtineat ſe a viro, quando concepta eſt, tres menſes, antequam pariet, & poſt partum XL. dies. Qui autem nupſerit his diebus, XL. dies pœniteat, aut XXX. aut XX. In omnibus his pœnitentialibus obſervandum, quod *nubere cum uxore* ſumatur pro concubitu.

XII.

B. PETRUS DAMIANUS.

Anno 1065.

Lib. 1. *Epiſt.* 15. Hortatur Alexandrum II. ad corrigendas nonnullas ſui temporis corruptelas, in quibus etiam ponit uſum conjugalem cum prægnantibus. Sic habet: Totus mundus hoc tempore nihil eſt aliud, niſi gula, avaritia, atque libido. -- Quis enim ſæcularium ferat, ſi vel triduo per hebdomadam jejunare præcipias? --Cuncta languorum genera ſimulant, ut quod potiſſimum metuunt, languorem jejunii non incurrant. Sed cum tantopere non exigenti naturæ ſed impatienti gulæ deſerviunt, velint nolint, libera libidinis fræna laxantur. Venter enim atque pudenda contigua ſibi ſunt affinitate contermina, & cum ille ſine temperantiæ diſcretione reficitur, illa protinus ad contumelias excitantur. Cibi ſcilicet ilices ſunt libidinum, & immoderate percepti proprii humoris exuberantiam mox ad pudenda tranſmittunt. Qui videlicet humores dum congeſti pruriunt, & titillant, importunius expetunt, ut per coitum effluant. Hinc eſt, quod plurimi, dum lege permiſſam ineundi conjugii novere licentiam, nullam reddendi conjugalis debiti exhibent diſciplinam; nec uſu uxoriæ commixtionis temperantes utuntur, dum non gignendæ proli, ſed ingenitæ deſerviunt voluptati: Ii plane non mariti ſed prolectarii; non conjuges, ſed potius amatores, ſic ad intemperantiam coitus tempus omne continuant, ut uxoribus ſuis, quod turpe dictu eſt, nec prægnantibus parcant; & caſtitatis regulam violare homines nequaquam erubeſcant, quam circa prægnantes ſuas & animalia muta cuſtodiunt. Vide, o homo, canem, ſi caniculam, poſtquam concepit, aggreditur: aſpice buculam, vel certe equam, ſi poſt conceptum a ſuis maribus inſectantur. Ignorant quippe coeundi libidinem, cum deeſſe ſibi gignendi conſpiciunt facultatem. Cum ergo tauri, canes, & cætera beſtiarum genera fœtibus ſuis reverentiam præbeant, ſoli homines, quorum Doctor de Virgine natus eſt, ut vota ſua libidinis expleant, parvulos ſuos, qui ad Dei formantur imaginem, necantes obterere non formidant. Hinc eſt, quod nonnullæ mulieres ante pariendi tempus abortiunt, aut certe mutilata vel læſa eorundem parvulorum tenera adhuc membella reperiunt. Et hoc modo dum ad libidinis incentiva feruntur præcipites, ante parricidæ ſunt quam parentes, & quod valde periculoſum eſt, dum hæc vitio naturæ peccantis adſcribunt, ſeſe tam flagitioſi reatus obnoxios non agnoſcunt. Verumtamen & hoc aliquando non ignorant; ſed dum lucrantur ignorantiam populi, diſſimulant hoc Sacerdotibus confiteri. Barrus, qui & elephas dicitur, unice diligere caſtitatis munditiam perhibetur, & eatenus execratur obſcœna libidinum, ut cum ad propagandum genus coire compellitur, vult poſt terga retorqueat, & ita quodammodo naturæ coactus imperio, nolle ſe atque erubeſcere quod agit, oſtendat. Beſtia ergo quælibet ad hoc ſolummodo coit, ut gignat; homo ſolus ad hoc gignit, ut coeat. Pecoribus igitur ſumma concumbendi partus; hominibus vero ſumma gignendi concubitus. Apes ſobolem ſucceſſuræ poſteritatis enutriunt, ut virgines perſeverent. Itaque rationis expertia filium Virginis imitantur; & homines, quibus utique natus eſt, luxuriæ volutabro delectantur. Quis enim feminibus ſemina ſuperjactat? Quis agrum vernantium ſcilicet ſegetum decore veſti-

situm sulcandum vomeribus judicat? Mittit prius falcem', ut cum ager vacat, satio mox segetes germinatura succedat, alioquin si semini semen ingeritur, forte continget, ut non dicam ex utroque, sed ne de utrolibet quidem proventus copia colligatur.

XIII.

GRATIANUS.

Cum plerique Doctores sæculo XIII. XIV. XV. & XVI. collectionem Gratiani in qua sententias SS. Patrum in ordinem digessit retro sibi pro norma sumpserint, sequitur, ea, quæ suo *Decreto* intulit, repræsentare magna parte sensum & praxin Doctorum Ecclesiæ. Itaque Gratianus in suo *Decreto* part. 2. c. *Si causa* 33. qu. 4. sic ex Ambrosio habet: *Si causa procreandorum filiorum ducitur uxor, non multum tempus concessum videtur ad ipsum usum; quia & dies festi, & dies processionis, & ipsa ratio conceptus & partus juxta legem cessari temporibus debere demonstrant.*

Idem cap. Origo 32. *qu.* 4. ex Hieronymo. *Nihil est fœdius quam uxorem amare quasi adulteram. Certe qui dicunt se causa reipublicæ & generis humani uxoribus jungi & filios procreare, imitentur saltem pecudes; & postquam venter uxoris intumuerit, non perdant filios; nec amatores se uxoribus exhibeant sed maritos.*

Idem cap. Non solum. 32. *qu.* 7. ex Isidoro. *Sunt quædam quæ sicut animalia absque ulla discretione indesinenter libidini serviunt, quas ego nec mutis pecoribus comparaverim. Pecora enim cum conceperint ultra non indulgent maribus copiam sui.*

CLASSIS II.

Testimonia Patrum, aliorumque Scriptorum veterum, qui nullum alium finem matrimonii, nisi procreationem prolis admittunt.

I.

JOSEPHUS.

Anno 70.

Hic celebris Scriptor gentis judaicæ apud Eusebium *l.* 8. *Præpar. Evang. cap.* 8. Reipublicæ Hebraicæ formam sic describit. *De nuptiis vero quid? Eam tantum consuetudinem, quam cum matre natura concedit, lex nostra probat, modo tamen ea prolis suscipiendæ causa ineatur.*

Hoc testimonium Josephi, ab Eusebio l. cc. relatum, propterea etiam servit ad traditionem perpetuam Ecclesiæ catholicæ in hoc puncto fulciendam, quia primi Christiani quoad dubia juris naturalis patiebantur se facile dirigi ab observantiis gentis Judaicæ. Addo, ipsum Apostolum ad hunc morem Hebræorum, Christianorum probabilius respicere, dum in Epistola ad Hebræos cap. 13. scribit: *Honorabile* (sit) *connubium in omnibus.* Neque enim honore aut præmio est dignum cum prægnantibus.

Observo etiam, ab Eusebio textum præfatum Josephi allegari ex ejus libro, *De Mosaycæ Reipublicæ forma.*

Idem Josephus tamen hanc observantiam specialiter adscribit lib. 2. De Bello judaico cap. 2. Essenorum cuidam Collegio, ubi sic habet: *Est autem Essenorum etiam alterum collegium, cibos quidem, & mores, legumque similia cum prioribus habens; distat vero opinione conjugii. Maximam siquidem vitæ hominum partem, successionem scilicet amputare eos qui abstineant nuptiis arbitrantur* (sicut prius genus Essenorum) *Nihilominus tamen cum tanta ipsi moderatione conveniunt, ut per triennium explorent valetudinem fœminarum.* Atsi constanti purgatione apparue-

paruerint idoneæ partui, ita eas in matrimonio adſciſcunt. *Nemo tamen eorum cum prægnante concumbit, ut oſtendant, quia non voluptatis nuptias, ſed cauſa inierint liberorum.* Ex hoc colligo, legem abſtinendi a prægnantibus pertinuiſſe quidem pro omnibus, ſed ab hoc genere Eſſenorum exactius fuiſſe obſervatam.

II.

JUSTINUS MARTYR.

In Apologia ad Antoninum pium reſpondens ad calumnias gentilium, quaſi Chriſtiani celebrent ædipodis concubitus mores Chriſtianorum ſic deſcribit: *Quin omnino vel matrimonium non aliter contrahimus, niſi liberorum creandorum atque educandorum gratia; vel conjugium detrectantes perpetuo nos continemus.*

III.

TERTULLIANUS.

Anno 200.

In lib. 1. ad uxorem *de unis nuptiis, cap.* 2. ſcribit: Non abnuimus, conjunctionem viri & fœminæ benedictam a Domino, ut ſciremus, generi humano & replendo orbi, & inſtruendo ſæculo excogitatam, atque exinde permiſſam.

Et cap. 3. Prohiberi nuptias nuſquam legimus, ut bonum ſcilicet. Quid tamen bono iſto melius ſit, accipimus ab Apoſtolo, permittente quidem nubere, ſed abſtinentiam præferente, illud propter inſidias tentationum, hoc propter anguſtias temporum. Qua ratione utriuſque pronuntiationis inſpecta, facile dignoſcitur, neceſſitate nobis conceſſam eſſe nubendi poteſtatem. Quod autem neceſſitas præſtat, depretiat ipſa.

Cap. 4. Disjunctis matrimonio duæ ſpecies humanæ imbecillitatis, neceſſarias nuptias faciunt. Prima quidem potentiſſima, quæ venit de concupiſcentia carnis; ſequens de concupiſcentia ſæculi; ſed utraque repudianda eſt a ſervis Dei, qui & luxuriæ & ambitioni renuntiamus. Carnis concupiſcentia ætatis officia defendit, decoris meſſem requirit, gaudet de contumelia ſua; dicit virum neceſſarium ſexui, ut authoritatis & ſolatii cauſa, vel ut a malis rumoribus tuta ſit. Et tu adverſus conſilia hæc ejus, adhibe Sororum noſtrarum (virginum Chriſtianarum) exempla. -- Cæterum ſæcularis concupiſcentia cauſas habet gloriam, cupiditatem, ambitionem, inſufficientiam, per quas neceſſitatem nubendi ſubornat. Hæc procul a fidelibus, quibus nulla cura tolerandæ vitæ. Nihil viduitati apud Deum ſubſignatæ neceſſarium eſt, quam perſeverare.

Cap. 5. Adjiciunt quidem ſibi homines cauſas nuptiarum de ſollicitudine poſteritatis. Sed id quoque penes nos odioſum eſt. Quamvis in textibus hucuſque relatis Tertullianus jam contra Catholicos defendat ſuum errorem de illicito ſecundarum nuptiarum uſu, cum tamen hoc loco argumentetur tanquam ex communibus utrique parti principiis, colligitur, eandem quoad hæc generalia principia mentem fuiſſe catholicis.

Ibid. lib. 2. *cap.* 3. ubi reprobat matrimonia fidelium cum infidelibus, ex eo oſtendit inconvenientiam, quia gentiles utuntur matrimonio ſine neceſſitate, econtra religio jubet illo uti ſolum cauſa neceſſitatis. Gentilis, inquit, obſervando gentilia exhibebit gentilem formam, blanditias turpiores, ipſa etiam matrimonii ſecreta maculoſa; non ut penes ſanctos officia ſexus cum honore ipſius neceſſitatis tanquam ſub oculis Dei modeſte & moderate tranſigantur.

Idem lib. de anima cap. 7. conatur oſtendere, ſemper cum ſemine in coitu aliquid animo effluere; quod licet ſit erroneum, oſtendit tamen, ex mente Tertulliani non eſſe licitum coitum ſine intentione procreandi prolem. In concubitu, inquit, ſcimus & animam & carnem ſimul fungi, animam concupiſcentia, carnem opera, animam inſtinctu, carnem actu. Unico itaque impetu utriuſque toto homine concuſſo deſpumat in ſemen totius hominis, habens ex corporali

rali substantia humorem, ex animali calorem. Denique in illo ipso voluptatis ultimæ æstu, quo genitale virus expellitur, nonne aliquid de anima quoque exire sentimus, atque adeo marcescimus, & devigescimus cum lucis detrimento. — Cum in primordio duo diversa limus & flatus unum hominem coegissent, confusæ substantiæ ambæ jam in uno semina quoque miscuerunt, atque exinde generi propagando formam tradiderunt, ut & nunc duo, licet diversa, etiam unita pariter effluant. Quod autem hoc loco Tertullianus loquatur de anima rationali, manifestum est ex c. 36. ubi ex instituto probat, animam rationalem esse ex traduce, & portionem carnis quæ ex Adam sumpta est, jam fuisse animal rationale; *Si*, inquit, *non ut carnis, ita & animæ ex Adam tradux fuisset in fœmina, & ipsam* (illam carnis portionem) *afflatus Dei animasset.*

IV.

ATHANASIUS.

Anno 320.

In Epistola ad Ammum Monachum loquens de excretionibus naturæ, præsertim spermaticorum meatuum, sic scribit: Cæterum (adversarii) verum organorum usum, quæ a Deo facta sunt, peccato carere asserens. Ita loquentes interrogationis modo compescamus. Qualem ergo usum, precor, nominas? Legitimumne illum, quem Deus permisit, cum crescere & multiplicicari, terramque replere jussit; quem & ipse Apostolus probavit, cum honorabiles nuptias lectumque impollutum appellavit? en vagum illum & effusum furtimque & libidinose perceptum? Atqui cæterarum rerum, quæ in vita fiunt, differentiam esse aliquam videmus, v. g. cum cædem facere non liceat, in bello tamen hostem trucidare lege non permissum modo, sed cum laude ita constat esse conjunctum, ut honoribus magnis, qui in eo strenue aliquid gesserint, decorentur. Potest ergo idem alia atque alia ratione opportune concedi, prohiberique. Quod sane non dispari consideratione in maris & fœminæ congressu debet intelligi. Beatum enim non negarim, qui in ipso ætatis flore matrimonio legitime junctus, naturæ ad liberorum procreationem inservit; quasi ad libidinem abutitur, non vides, quomodo paratam mœchis & adulteris pœnam evitare queat.

V.

GREGORIUS NAZIANZENUS.

Anno 360.

Carmine 2. *in laudem Virginitatis n.* 225. Audite legem, quam generi humano Numinis æterni soboles fixit, nempe hominem producat ut homo, natosque creando sibi proroget ævum.

Et Carmine 56. *ad Olympiadem.*

Connubii legem dederit patris unica proles,
Ferret opem ut nobis, manibus quos finxerat ipse,
Ut dum alii abscedunt, alii veniuntque, trahatur,
Vita fugax hominum, violenti fluminis instar,
Ob mortem instabilis, stabilisque ob pignora rursum.

Idem Orat. 31. Connubium moderatis expedit, non petulantibus, & libidine perditis (ἀπλήστοις, inexplebilibus) quique plus æquo carnem colere in animum inducunt. Cum matrimonium nihil aliud est, quam matrimonium & conjunctio, & prolis ac successionis cupiditas, tum bonum est matrimonium. At cum carnis molem inflammat, & spinis circumdat, vitiique quasi via invenitur, tum ipse etiam dico: non expedit nubere.

VI.

VI.

S. BASILIUS.

Anno 361.

Homilia in *Ebrioſos* num. 3. *Dixerim, temulentos rationis magis eſſe expertes, quam ipſa pecora. Siquidem quadrupedia omnia & beſtiæ certos ac conſtantes ad coitum motus impetuſque habent; quorum vero animum temulentia occupat, & quorum corpus calor præter naturam accedens implet, hi omni tempore & omni hora ad impuros turpeſque complexus conceitantur, atque ad voluptates.*

Cum ex præcedentibus SS. Patrum textibus, quos in claſſe prima poſui, conſtet, tempore D. Baſilii vulgatiſſimum fuiſſe, animalia abſtinere a coitu cum prægnantibus, dubitari nequit, S. Doctorem ad eam obſervantiam reducere temulentos.

VII.

CYRILLUS ALEXANDRINUS.

Anno 390.

De Adoratione lib. 15. Nuptiæ honorabiles ſunt illæ, ſi liberorum procreationi inſerviant, nec culpandus Chriſtianus, qui illis legitime utitur; non tamen id continentiæ laudibus æquari poterit. Scribit autem ad conjugatos Paulus. *Nolite ſeparari ab invicem, niſi forte ex conſenſu ad tempus, ut vacetis orationi, & iterum in idipſum revertimini, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam veſtram.* His porro verbis adjunxit: *Hoc autem dico ſecundum indulgentiam, non ſecundum imperium.* Vides igitur, eum veniam dare conjugio junctis? Qui igitur fieri poteſt, ut virtus ſit, cui venia medetur?

§. IV.

Traditio Scholaſticorum Doctorum uſque ad Sæculum XVI. qui in exigente conjugale debitum nullum alium agnoſcunt licitum finem, niſi procreationem prolis, aut coitum cum gravidis præciſe a peccato mortali excuſant.

DUplex genus Theologorum promiſcue in hanc Claſſem refero. Aliqui enim illorum abſolute negant, ex alio primario fine exigi poſſe debitum conjugale, niſi ex fine procreandæ prolis; & hi eoipſo coitum cum gravidis jam intumeſcente notabiliter utero condemnant, cum utique finis procreandæ prolis jam prudenter intendi non poſſit. Alii admittunt quidem, in uxoribus nondum gravidis licite exigi poſſe debitum conjugale ex motivo vitandæ intemperantiæ propriæ vel alienæ, ſaltem ſi illa aliis mediis facile non poſſit ſuperari; attamen hoc ſuum principium non extendunt ad gravidas; ſed coitum cum gravidis etiam ceſſante abortus periculo ob ſpecialem hujus congreſſionis inhoneſtatem præciſe excuſant a mortali: quo modo loquendi oſtendunt, ſe accedere præcedentium Theologorum, quorum inſiſtunt veſtigiis, ſententiæ, ejuſmodi coitum a mortali quidem excuſanti, non tamen a peccato veniali eximenti.

I.

PETRUS LOMBARDUS.

Magiſter Sententiarum *lib.* 4. *diſt.* 31. & 32. exacte inſiſtit doctrinæ & verbis S. Auguſtini, *diſt.* 31. ſic habet: Cum hæc tria bona in aquo conjugio ſimul concurrunt, ad excuſationem coitus carnalis valent. Quando enim ſervata fide thori cauſa prolis conjuges conveniunt, ſic excuſatur coitus, ut culpam non habeat. Quando vero deficiente bono prolis, fide tamen ſervata conveniunt cauſa incontinentiæ, non ſic excuſatur, ut non habeat culpam, ſed venialem. Un-

de Augustinus : Conjugalis concubitus generandi gratia non habet culpam ; concupiscentiæ vero satiandæ , sed tamen cum conjuge , propter thori fidem venialem habet culpam. Item. Hoc quod conjugati victi concupiscentia utuntur invicem ultra necessitatem liberos procreandi , ponam in his , pro quibus quotidie dicimus : Dimitte nobis debita nostra . Item Hieronymus. Qui dicunt, se causa humani generis uxoribus jungi , imitentur saltem pecudes, & postquam venter uxoris intumuerit , non perdant filios , nec amatores se uxoribus exhibeant, sed maritos . -- Sed si concubitus, qui fit causa prolis , culpa caret , quid dicit Apostolus , secundum *indulgentiam ?* Sed indulgentia alia est *concessionis*. Egerat Apostolus de nuptiis & de carnali coitu, & ad utrumque retulit illud : *Hoc autem dico secundum indulgentiam* . Indulgentur enim nuptiæ secundum concessionem , & concubitus nuptialis, qui fit tantum causa prolis . Concubitus vero qui est præter necessitatem generandi, ob incontinentiam indulgetur secundum *permissionem*, quia ibi est aliqua culpa , sed levis; ideoque non jubetur , nec conceditur , sed permittitur , quia non est laudabilis , sed venialis . De hoc Augustinus sic ait &c. -- Ex his ostenditur , quod conjuges , qui causa prolis tantum conveniunt , vel qui exigentibus debitum reddunt, defendit a peccato sanctitas conjugii.

Dist. 32. Conjuges sibi invicem debitores sunt in hac causa , ne peccandi detur occasio. Debent enim sibi conjugati non solum ipsius sexus commiscendi fidem liberorum procreandorum causa, verum etiam infirmitatis invicem excipiendæ ad illicitos concubitus devitandos mutuam quodammodo servitutem, ut etsi alteri eorum continentia placeat, nisi ex alterius consensu non possit. Quod adeo verum est , ut etiam quod non filiorum procreandorum , sed infirmitatis & incontinentiæ causa expetit ille vel illa , non sibi alterutrum negent , ne per hoc incidant in damnabiles corruptelas. Reddere enim debitum conjugale nullius est criminis ; exigere autem ultra generandi necessitatem, culpæ est venialis.

II.

S. RAYMUNDUS.

Anno 1230.

In Summa lib. 4. §. 13. *de Matrimon.* postquam egerat de tribus bonis matrimonii , nempe fidei , prolis , & Sacramenti , dicit : Valent hæc bona ad excusationem peccati , si servata fide thori causa prolis conveniant conjuges. Unde nota, quod aliquando committuntur conjuges causa suscipiendæ prolis , aliquando causa reddendi debitum ; aliquando causa incontinentiæ sive vitandæ fornicationis; aliquando causa exsaturandæ libidinis. In primo & secundo casu nullum est peccatum. In tertio est veniale ; in quarto mortale.

III.

ALBERTUS MAGNUS.

Anno 1440.

Mens Alberti Magni bene inspecta videtur in omnibus quoad præsentem articulum insistere vestigiis Petri Lombardi, cujus textum semper ponit pro fundamento. In 4. dist. 31. art. 21. ex instituto quærit , *quando coitus sit bonus ?* Ad hoc declarandum observat , quinque posse esse motiva coeundi : potest enim motivum coeundi esse 1. *natura* , quæ naturali instinctu movet ad conservationem generis humani: 2. *virtus* , quæ movet ad procreandam prolem in ordine ad finem supernaturalem , v. g. conservationem populi electi , ad promovendam pietatem , aut reddendum debitum justitiæ : 3. *libido* : 4. *libido cum natura*, id est , simul cum intentione procreandæ prolis : 5. *natura cum gratia*, id est, intentio procreandæ prolis simul cum intentione virtutis ad finem supernaturalem . In primo motivo agnoscit ex

suo

ſuo genere nullum peccatum; in ſecundo & quinto meritum; in tertio & quarto intra limites matrimonii peccatum veniale. Cum ergo hæc diviſio Alberti Magni ſit adæquata, neceſſe eſt, ut comprehendat omnia motiva poſſibilia concubitus conjugalis; adeoque etiam motivum vitandæ incontinentiæ in coitu cum uxoribus gravidis, & cum hoc motivum referri non poſſit ad primum, ſecundum, aut quintum; neceſſe eſt, ut referatur ad tertium vel quartum, in quo agnoſcit peccatum veniale. Hinc Thomas Sanchez infra in claſſe tertia referendus ultro Albertum cedit noſtræ ſententiæ. Verba Alberti l. cc. ſunt ſequentia: *Quando coitus eſt bonus?* Cum tria poſſint eſſe moventia ſimplicia in coitu, & duo compoſita, eo quod tertium (id eſt, aliud motivum compoſitum) eſſe non poſſit, quæratur de coitu ſecundum quodlibet moventium, utrum ſit bonus vel malus; & quantum bonus eſt, & quantum malus eſt? Eſt enim movens *natura*, quæ ſpeciem ſalvare deſiderat; & iterum movens *bonum matrimonii*: item, eſt movens *libido*, quæ ſunt ſimplicia. Eſt autem movens *natura cum gratia*, & *natura cum libidine*, quæ ſunt duo moventia compoſita. Sit ergo *primo* movens *natura*. -- Dicendum, quod nullum peccatum eſt, quando natura ſic movet. --- Ulterius quæritur *de matrimonii bonum* movente. Videtur enim, quod movere non poſſit, quia malum eſt, quod eſt malo permixtum; ſed bonum nunquam movet ad malum; ergo nec movet ad bonum malo permixtum; ſed omnis coitus eſt malo concupiſcentiæ permixtus. Ergo bonum nunquam movet ad coitum. In contrarium hujus eſt, quod dicitur Tobiæ 3. Virum cum timore non cum libidine accipias. Ergo timor Dei & amor poſteritatis movet ad coitum. Item, id quod imperat Deus ſpecialiter apparitione Angeli, fit virtute & bono movente ad ipſum: Tale autem eſt cognitio uxoris aliquando v. g. in conceptione Joannis Baptiſtæ. -- Dicendum, quod objectiones non concludunt niſi de malo culpæ, non de malo pœnæ, (nempe concupiſcentiæ) de quo eſt permixtum in coitu matrimonii. Ulterius quæritur *de libidine* movente. Videtur enim hoc ſemper eſſe peccatum mortale. -- In contrarium hujus eſt, quod concubitus qui fit cauſa libidinis ſatiandæ, ponitur in quotidianis & levibus peccatis hic in Litera ab Auguſtino; ergo non eſt mortale peccatum. -- Dicendum, quod ſi libido ſequitur rationem, non eſt mortale peccatum. Si autem libido prævenit & dominatur, tunc eſt mortale peccatum. Ulterius quæritur de iſto actu, quo *libido* movet *cum natura*. Videtur enim, quod hoc ſit ſemper, eo quod in omni actu concumbendi eſt concupiſcentia. -- Dicendum, quod non ſemper libido movet cum natura, quia ſicut dicit Auguſtinus, libido eſt placentia boni commutabilis; hæc autem non ſemper movet concumbentem, ſed potius bonum æternum, vel naturale quandoque. Ulterius quæritur de illo concubitu, qui fit ex *natura* & *bono matrimonii* moventibus. Illa enim videtur eſſe actus optimus, quia duplici perfectione perfectus, ſcilicet naturæ & moris; ergo talis actus eſt meritorius. Item quidquid habet ſpeciem boni virtutis, eſt ordinatum ad felicitatem; ſed omnis talis actus eſt meritorius; ergo & iſte. In contrarium autem hujus eſt, quod dicit Apoſtolus; quod impedimentum eſt Dominum obſecrandi. Sed nihil talium eſt meritorium, ergo nec coitus matrimonialis. -- Ad id quod objicitur in contrarium, dicendum, quod hoc dicitur ratione adjuncti, & non ratione actus, quod ſit impedimentum.

Reſponſio. (generalis) Dicendum, quod omnia iſta quinque poſſunt eſſe moventia per intentionem; quia coiens poteſt moveri intentione boni naturæ, vel pietatis & religionis, vel juſtitiæ, vel delectatione libidinis ſimul & naturæ, vel bono pietatis ſimul & naturæ. Sed cum ſola libido movet, eſt ulterius diſtinguendum. Quia aut movet fervens extra honeſtatem matrimonii, & con-

cessionem ? tunc quodammodo adulter est; aut fervet intra metas honestatis & concessionis matrimonii ? & tunc veniale dicendum est, ut patet ex verbis Augustini in Litera positis. Similiter cum libido movet cum natura ; aut libido præit & natura sequitur ? tunc est gravius peccatum, sed non mortale : aut libido sequitur ? & tunc est minus.

Hæc sufficere possunt ad declarandam Alberti mentem, quam & plura alia loc. cc. dist. 31. & dist. 32. confirmant ; præsertim, quod non amplius instituat specialem quæstionem ; an liceat tempore imprægnationis petere debitum ? sed tantum ; utrum eo tempore liceat reddere debitum ? Per hoc enim insinuat, illam quæstionem de petitione debiti cum gravida fore superfluam. Hoc tamen non obstante possent sequentia objici.

1. Ubi art. 22. disputat de dicto S. Hieronymi : *Imitentur saltem pecudes, & postquam venter uxoris intumuerit*, *non perdant filios &c.* in fine addit : *Ad hoc hortatur*, *non præcipit Hieronymus*.

2. Dum art. 24. disputat, an in propria uxore possit esse usus contra naturam, & num sit peccatum mortale, hanc sibi format objectionem. In quibusdam per accidens impeditur communis modus ; quia propter grossitiem ventrum conjungi non possunt : & bene conjungerentur, si mulier retrorsum contra virum incurvata disponeretur ; cum igitur propter pinguedinem debitum in alterius corpore non amiserint, videtur, quod sine peccato hoc modo conjungi possunt. Similiter contingit quandoque apostemari ventrem mulieris, vel esse prægnantem, ita quod anterius non est applicabilis viro ; videtur ergo, quod nullus illorum usuum est contra naturam. Ad has objectiones respondet : Dicendum, in tali casu bene licet, quia aliter convenire non possunt.

3. In art. 27. ubi quærit, an omnis coitus sit peccatum ? format sibi hanc objectionem : Omnis actus frustratus fine essentiali & naturali, vanus & malus est ; sed omnis concubitus qui fit causa delectationis, est hujusmodi ; ergo omnis talis est vanus & malus ; ergo peccatum. Ad hoc respondet. Dicendum, quod iste actus non semper fine frustratur ; quia habet finem medicinæ, & fidei thori & sacramenti ; quia horret separationem. Ad probationem dicendum, quod iste actus est naturæ & hominis ; & secundum quod est matrimonii actus, magis accipit ut hominis actus quam ut naturæ ; & ideo sufficit ei finis hominis ; objectio autem procedit, ac si sit naturæ tantum.

Respondeo ad 1. Verum esse, quod D. Hieronymus illa scribat per modum adhortantis, & non per modum præcipientis ; sed in ipsa adhortatione monstrat deordinationem actus, quæ sufficit ad constituendum peccatum veniale sine speciali præcepto. Hinc Albertus in hoc ipso articulo docet, eum, qui cum prægnante coit, *non peccare mortaliter*. Si non agnosceret saltem peccatum veniale, debuisset dicere, *eum non peccare*. Videtur Albertus eodem modo, quo ejus discipulus S. Thomas, loqui circa peccata venialia, quod nempe sint deviatio rationis *præter legem* seu præceptum, non *contra legem*.

Ad 2. *dico*. Albertum tantum velle dicere, in tali casu non peccari contra naturam, neque committi speciale peccatum ratione ejusmodi congressus præposteri. Immo cum in objectione ponantur tres casus, nempe pinguedinis, apostematis, & imprægnationis, & Albertus in Responsione tantum respiciat ad duos casus, dubitari potest, an non tertium casum silentio præterire voluerit. *Ad duo*, inquit, *dicendum*, *quod in tali casu bene licet*.

Ad 3. *dico*. Ibi Albertum non loqui de actu frustraneo, sed de intentione frustranea ejus, qui non intendit procreationem prolis, sed alium finem v. g. remedium concupiscentiæ ; hinc in hoc ipso textu monet, talem coitum simul esse actum naturæ & hominis ; & eatenus sufficere, ut intentio coeuntis feratur ad actum, in quantum est actus hominis ; natura enim operatur per se

suum

ſuum finem etiam ſine intentione hominis. Hanc eſſe mentem Alberti, colligitur etiam ex eo, quia objectio ultima hujus articuli expreſſe id urget, omnem coitum eſſe peccatum veniale, *qui non fit cum intentione generandi*, videlicet explicita, quod Albertus negat, dummodo actus ſit aptus ad generationem in iis circumſtantiis, in quibus ponitur.

IV.

GUILLELMUS PARISIENSIS.

Anno 1240.

De Sacrament. Tit. De Sacramento matrimonii. §. *Nunc autem*. Quia commixtionis ſeu ſeminationis finis debitus & proximus eſt fructus prolis; manifeſtum eſt, ſi iſto fine privata fuerit, ipſam eſſe malam. -- Qui jactat ſemen tritici vel alterius grani in agro non intentione ut fructus inde ſuccreſcat; ſed alia aliqua quacunque ex cauſa, quantum in eo eſt, non ſolum non ſeminat, ſed ſemen diſpergit, & diſperdit, & agro pariter & ſemine abutens. -- peccatum eſt declinatio a rectitudine; quare declinare a rectitudine uſus debiti, ſive a debito uſu peccare eſt.

§. *Procedamus autem*. Cum vis generativa non ſit niſi propter fructum prolis ex inſtitutione creatoris, nec opus generationis, quod non eſt niſi via ad fructum, debet eſſe niſi propter ipſum. Intorquere ergo ipſum in alium finem abuſio eſt contra ordinationem creatoris.

Ibidem quæſt. 3. ſic ſcribit: Tertia quæſtio, quæ non mediocriter movit & movet adhuc ſapientes Saracenorum & nonnullorum Judæorum, hæc eſt. Cum toto tempore graviditatis propter inutilitatem ſeminationis abſtinendum ſit viris ab uxoribus; illo enim tempore inutiliter ſeminaretur proles; ſimiliter tempore enixionis ſeu purgationis ex parte, eo quod periculoſe ſeminaretur; manifeſtum eſt, ad modicum tempus ceſſum eſſe uxorum propriarum uſum; toto ergo reſiduo temporis neceſſe eſt, otioſam eſſe vim generativam in eis, & incontinentiæ patere periculis, niſi quemadmodum ſeminato uno agro ſeminatur alius, ſic & una prægnata imprægnetur & alia. In quo reſpondemus eis, quia frœnanda eſt concupiſcentia carnis & moderanda propter pericula ſpiritualia, quæ ſupra tetigimus (v. g. quod continuo uſu concupiſcentia ita in ſervitutem redigat hominem, ut ſi mulier defuerit, ſuperari vix poſſit; &, ubi adfuerit, ad ſpiritualia aſſurgere non ſinat) Moderanda eſt etiam propter prolem, quæ propter hoc naſcitur uberior, robuſtior, & modis omnibus laudabilior. Ipſa enim frequentia hujuſmodi ſeminationis ſemen humanæ generationis diminuit tam ſubſtantia quam virtute. Nec negamus, incontinentiæ ſemper imminere pericula maribus & fœminis, quamdiu fervet concupiſcentia. Sed ea habere ſcimus matrimonii fortiſſima præſidia; nec dubitamus ullatenus: illis præſto eſſe divinæ gratiæ & virtutis auxilia, qui propter Dei honorem & gloriam contra carnis illecebras ſtatuerint pugnare.

V.

ALEXANDER DE ALES.

Anno 1240.

In 3. parte quæſt. 35. *membro*. 8. ſic ſcribit: Ex his relinquitur, quod coitus conjugalis licitus eſt triplici de cauſa, videlicet cauſa prolis, & ſecundum hoc eſt in officium multiplicandæ naturæ. Item cauſa reddendi debitum; & ſecundum hoc eſt opus juſtitiæ. Item cauſa fornicationis vitandæ, & ſecundum hoc eſt in remedium concupiſcentiæ. Sed quæritur, utrum remotis his tribus cauſis ſcilicet prolis habendæ, & debiti reddendi, & fornicationis vitandæ prohibeatur coitus conjugalis iſto præcepto, quo prohibetur coitus illicitus? (nempe ſexto præcepto, de quo ibi

agitur). Solutio. Coitus conjugalis alius est licitus, alius permissus, alius prohibitus. Licitus, sicut dictum est, est coitus conjugalis triplici de causa. Permissus vero est coitus ex fragilitate seu infirmitate carnis proveniens, in quo quæritur conjugalis delectatio, sed sub Deo, ut Dei amor præponatur illi delectationi, & iste coitus venialis est, quamvis non fiat causa prolis, nec reddendi debitum, nec vitandæ fornicationis, sed causa delectationis talis in conjuge propria, & non in aliena. Unde dicitur juxta authoritatem Augustini & Apostoli. *Institutio conjugii extra paradisum facta est, ut infirmitas prona in ruinam turpitudinis honestate exciperetur conjugii.* (Can. 32. q. 2.) & Aug. *Usus naturalis, si ultra modum prolabitur, in uxore quidem est veniale; in meretrice vero damnabile.* Prohibitus conjugalis coitus est, qui ex voluntate subdita libidini contra honestatem conjugii, & ordinem rationis procedit; ut illud, quod fit ad satiandam libidinem per meretricias blanditias, secundum quem modum dicit Hier. *Nihil fœdius quam uxorem amare, quasi adulteram.*

Ad illa, quæ dicit Augustinus, (in ipsa immoderata exactione debiti carnalis veniam concedit Apostolus, ut etiam præter causam procreandi sibi misceantur,) patet, quod intelliguntur secundo modo. Tamen ad pleniorem intelligentiam notandum, quod libido voluptatis aliquando prævenit voluntatem, aliquando prævenitur. Cum prævenit, cum distinctione quæ prædicta est, coitus ex illa parte procedens est permissus. Cum vero prævenitur libidine a voluntate, ut scilicet cum quis de industria utitur calidis & incentivis; vel cum in seipso excitat motus libidinis propter satietatem libidinis seu delectationis, coitus est prohibitus & illicitus.

Sed quæritur, utrum ex aliis causis sit prohibitus coitus conjugalis? Ad quod sic Augustinus. Coitus contra naturam semper illicitus est. Ergo ex modo indebito, hoc est, innaturali est illicitus coitus conjugalis. Item Isidorus. Sunt mulieres, quæ sicut animalia absque ulla discretione indesinenter libidini serviunt. Has ergo nec mutis pecudibus comparaverim; pecora enim cum concipiunt, ultra non indulgent maribus ad copulam sui. Ergo coitus cum conjuge post conceptum est contra rationem: ergo illicitus & prohibitus. Item Hieronymus. Qui debent causa reipublicæ & generis humani uxoribus conjungi, imitentur saltem pecudes, ut postquam venter uxoris intumuerit, non perdant filios; nec amatores se uxoribus exhibeant, sed maritos. Ergo coitus cum uxore propinqua partui est illicitus. Item. Ad mulierem, quæ patitur menstrua, non accedes. Ergo tempore menstruorum coitus est illicitus. Item. Hieronymus, quod tempore, quo vescuntur carnibus Agni, abstinendum est. Item dixit Urias, non sibi licere dormire cum uxore sua, quamdiu Arca Domini erat in castris. Ex quibus relinquitur, quod illicitus est coitus conjugalis in solennitatibus & temporibus jejuniorum.

Contra (objicitur). Secundum jus naturale quilibet potest uti re sua. Cum ergo uxor sit viri, potest ea uti ut vult; ergo in ea delectari, dum tamen sub Deo, quocunque modo vult. Item. Uxor non habet potestatem sui corporis sed vir. Ergo vir potest uti corpore uxoris, quando vult & quomodo vult. Si distinguatur, sicut solet distingui, quod est differentia in coitu conjugali in petendo & reddendo; in omnibus prædictis casibus peccatum est in petendo, & non in reddendo, si petat affectu satiandæ libidinis, vel modo vel statu vel tempore indebito. *Contra* (objicitur). Dicitur consentire, qui manifesto facinori desinit obviare. Cum ergo ille, qui reddit tempore indebito, non obviet, consentit; ergo prævaricatur. *Solutio.* Concedendum, sicut præostensum est, quod coitus conjugalis est prohibitus, cum est propter satiandam libidinem per meretricias blanditias; &

cum

cum eſt præter naturalem modum, tum in ſtatu prohibito, ut cum uxore vicina partui, vel exiſtente in fluxu menſtruorum, tum in tempore inhibito.

Ad illud ergo, quod objicitur, quod quilibet poteſt uti re ſua; verum eſt, ad illud, ad quod conceditur.

Ad aliud vero quod objicitur, dicendum, quod in omnibus prædictis caſibus peccat petendo. In reddendo autem diſtinguendum eſt; quia aut petit conjugaliter, aut meretricaliter.

Idem parte 2. *quæſt.* 149. *membro.* 1. ubi quæritur, quando concubitus conjugalis debite & ſine peccato fiat? ſic reſolvit. Dicendum eſt ſecundum Auguſtinum *De bono conjugii*. Debent ſibi conjugati non ſolum ſexus ſui commiſcendi fidem procreandorum liberorum cauſa, quæ prima eſt humani generis in iſta mortalitate ſocietas; verum etiam infirmitatis invicem excipiendæ ad illicitos concubitus evitandos mutuam quodammodo ſervitutem. Secundum hoc eſt ergo dicendum, quod tribus de cauſis fit convenienter concubitus conjugalis; vel cauſa prolis procreandæ, vel cauſa debiti reddendi, vel cauſa vitandæ fornicationis.

Ibidem membro 2. quærit, quando conjuges in concubitu mortaliter, aut venialiter peccent? *Reſolutio.* Dicendum, quod aliquando eſt veniale peccatum, aliquando mortale in concubitu inordinato viri cum conjuge. Si enim illa delectatio ſit ſub Deo, veniale peccatum eſt.

Objicitur 1. Ex variis textibus D. Auguſtini, quod omnis concubitus conjugalis ſecundum quamcumque differentiam, quantumcunque ſit inordinatus ſecundum finem, modum, locum, tempus, perſonam, dummodo ſervetur uſus naturalis, tantum ſit peccatum veniale.

Reſpondet Alenſis hoc modo. Quod primo objicitur, quod univerſaliter ſit peccatum veniale, dicendum eſt, quod *non niſi veniale*, large accipitur non tantum pro eo, quod eſt in genere veniale, ſed pro eo quod eſt *veniabile*, (quamvis ſit peccatum mortale). Sicut dicitur de illo peccato, quod eſt ex infirmitate, quod ipſum eſt veniabile ſive remiſſibile, quia habet aliquam cauſam allicitivam, propter quam in parte excuſatur, licet ſit in genere mortale; & hoc patet, ſi recte attendantur intentiones illarum authoritatum (Auguſtini).

Ex his omnibus textibus Alexandri colligitur, concubitum mariti cum uxore nondum gravida ex cauſa vitandæ fornicationis nullum eſſe peccatum; cum gravida autem eſſe veniale; quod ipſum videtur inſinuare part. 2. quæſt. 149. membro 2. in Reſponſione ad objectionem ex Hieronymo de gravidis, in quibus non eſt vehemens periculum partus. *Ad illud*, inquit, *quod objicitur de petente concubitum a muliere vicina partui, dicendum eſt, quod ſi præſumitur vehementer de periculo partus, peccat mortaliter. Si vero ſit cauſa vitandæ fornicationis* (ſine illo periculo) *eo quod in parte progreditur ſecundum motum libidinis, peccat venialiter. Auguſtinus. Sunt viri uſque adeo incontinentes, ut nec gravidis parcant. Quidquid ergo inter ſe conjugati immodeſtum, inverecundum, ſordidum gerunt, vitium eſt hominum, non nuptiarum.*

VI.

D. THOMAS.

Anno 1250.

In 4. *Sent. diſt.* 31. *quæſt.* 2. *art.* 2. ſic habet: Dicendum, quod ſicut bona matrimonii, ſecundum quod ſunt in habitu, faciunt matrimonium honeſtum & ſanctum; ita etiam ſecundum quod ſunt in actuali intentione, faciunt actum matrimonii honeſtum, quantum ad illa duo bona, quæ ipſius actus reſpiciunt. Unde quando conjuges conveniunt cauſa prolis procreandæ, vel ut ſibi invicem debitum reddant, quæ ad fidem pertinent, totaliter excuſantur a peccato. Sed tertium bonum (Sacramenti) non pertinet ad uſum matrimonii, ſed

ad essentiam ipsius ut dictum est; unde facit ipsum matrimonium honestum, non autem actum ejus, ut per hoc actus absque peccato reddatur, quia alicujus significationis causa conveniunt. Et ideo duobus solis modis conjuges absque omni peccato conveniunt, scilicet causa prolis procreandæ, & debiti reddendi: alias autem semper est ibi peccatum, ad minus veniale.

Objicitur 1. Qui a natura tantum movetur ad actum matrimonii, non videtur aliquod bonum intendere, quia bona matrimonii pertinent ad gratiam vel virtutem. Sed quando aliquis solo naturæ appetitu movetur ad actum prædictum, non videtur esse peccatum; quia nullum naturale est malum, cum malum sit præter naturam, & præter ordinem. Ergo actus matrimonialis potest excusari etiam sine bonis matrimonii.

2. Ille qui utitur conjuge ad fornicationem vitandam, non videtur aliquod bonum matrimonii intendere. Sed talis non peccat, ut videtur, quia ad hoc est matrimonium concessum humanæ infirmitati, ut fornicatio vitetur 1. Cor. 7. Ergo etiam sine bonis matrimonii potest actus ejus esse excusatus.

3. Ille qui utitur re sua ad libitum, non facit contra justitiam, & sic non peccat, ut videtur. Sed per matrimonium uxor efficitur res viri, & econverso. Ergo si se invicem ad libitum utuntur libidine movente, non videtur esse peccatum.

4. Illud quod efficitur bonum ex genere, non efficitur malum, nisi ex mala intentione fiat. Sed actus matrimonii, quo quis suam cognoscit, est ex genere bonus; ergo non potest malus esse, nisi mala intentione fiat. Sed potest bona intentione fieri, etiamsi non intendatur aliquod matrimonii bonum, puta, cum quis per hoc salutem corporalem intendit servare, aut consequi. Ergo videtur, quod etiam sine matrimonii bonis actus ille possit excusari.

Ad primum dicendum, quod oportet, quod intentio naturæ, qua prolem intendit, referatur actu vel habitu (id est, virtualiter) ad intentionem prolis prout est bonum sacramenti, alias staretur in creatura, quod sine peccato esse non potest. Et ideo quando natura tantum movet ad actum matrimonii, non excusatur a peccato omnino, nisi inquantum motus naturæ ordinatur actu vel habitu ulterius ad prolem, inquantum est bonum sacramenti. Nec tamen sequitur, quod motus naturæ sit malus, sed quod sit imperfectus, nisi ad aliquod bonum matrimonii ulterius ordinetur. Ad secundum dicendum, quod si aliquis per actum matrimonii intendat vitare fornicationem in conjuge, non est aliquod peccatum, quia hoc est aliqua redditio debiti, quod ad bonum fidei pertinet. Sed si intendat vitare fornicationem in se, sic est ibi aliqua superfluitas, & secundum hoc est peccatum veniale: nec ad hoc est matrimonium institutum, nisi secundum indulgentiam, quæ est de peccatis venialibus.

Ad Tertium dicendum, quod una debita circumstantia non sufficit ad hoc, quod actus sit bonus, & ideo non oportet, quod qualitercunque quis re sua utatur, usus sit bonus, sed quando utitur re sua, ut debet, secundum omnes circumstantias.

Ad Quartum dicendum, quod quamvis intendere sanitatis conservationem non sit per se malum, tamen hæc intentio efficitur mala, si ex aliquo sanitas intendatur, quod non est ad hoc de se ordinatum: sicut qui ex sacramento baptismi tantum salutem corporalem quæreret: & similiter est in proposito actu matrimoniali.

VII.

S. BONAVENTURA.

Anno 1250.

In 4. *Sent. diſt.* 31. *quæſt.* 2. ſic habet :

Quæſtio II.

An coitus conjugalis cauſa fornicationis vitandæ poſſit eſſe ſine omni peccato veniali ?

Concluſio. Conjugalis coitus ad vitandam fornicationem in ſe eſt peccatum veniale; in uxore autem vitandam nullius eſt criminis.

Reſpondeo ad Argum. Dicendum, quod qui coit cauſa fornicationis vitandæ, aut hoc eſt in ſe, aut in altero. Si in altero, ut reddat debitum, hoc eſt puræ juſtitiæ, hoc eſt fidei, & eſt de bonis matrimonii : recte ideo omnino a culpa excuſatur. Qui vero coit cauſa fornicationis vitandæ in ſe, in hoc ſemper peccat venialiter, quia aut pulſatur a carne; aut non pulſatur ? Ex quo tamen non vult procreare prolem, nec compellitur debitum reddere, aliqua ſuperfluitas eſt ibi, & ideo peccat. Et ſi tu objicias, quod licet homini bibere, ne ſitiat; ſic etiam ſine peccato coire, ne fornicari appetat; non eſt ſimile, quia hic eſt motus naturæ; in coitu non; nec etiam neceſſitatis; & hoc dicit Magiſter in ſequenti diſtinctione : Reddere debitum conjugale nullius eſt criminis; exigere autem ultra generandi neceſſitatem, culpæ eſt venialis.

Contra (objicitur) per Auguſtinum. Infirmitas carnis excipitur per bonum matrimonii, ne cadat in foveam peccati; ſed cum coit cauſa fornicationis vitandæ, infirmitas carnis movet. Ergo.

Item, ratione videtur, quia qui utitur aliquo ad illud, ad quod eſt, poteſt hoc facere ſine peccato; ſed conjugium eſt propter fornicationem vitandam. Ergo.

Item. Majus bonum eſt continentia, quam proles. Ergo magis licitum & debitum eſt amare continentiam, quam prolem. Sed qui coit amore prolis procreandæ, poteſt ſine peccato. Ergo & qui amore continentiæ ſervandæ.

Item. Qui coit amore continentiæ ſervandæ in altero non peccat, ut cum reddit debitum uxori, ne in fornicationem labatur. Ergo ſi non debet eſſe magis ſollicitus de aliena continentia, quam de ſua, patet &c.

1. Ad illud, quod objicitur ex Auguſtino, dicendum, quod foveam peccati vocat peccatum mortale.

2. Ad illud, quod objicitur, quod ad hoc eſt &c. Dico, quod ad hoc eſt ſecundum indulgentiam, non ſecundum imperium, & ideo veniale peccatum, & in hoc ordinatur.

3. Ad illud, quod objicitur de continentia, quod majus bonum eſt, dico quod continentiam ſervare contingit ſine hoc, ſed non prolem procreare.

4. Ad illud, quod objicitur, quod continentia ſervanda eſt in altero ſine culpa, dico, quod non eſt locus a minori, ſed a majori, quia ibi eſt actus juſtitiæ, ratione cujus tenetur & excuſatur, non ratione amoris continentiæ.

VIII.

RICHARDUS A MEDIAVILLA.

Anno 1290.

In 4. *diſt.* 32. q. 2. Quæritur, utrum liceat reddere vel exigere debitum tempore imprægnationis? Reſpondeo, quod ſi ſine periculo abortus vir poteſt carnaliter copulari ſuæ uxori prægnanti, & ſibi tenetur debitum reddere, & ab ea poteſt exigere ſine peccato mortali, quia concubitus matrimonialis non tantum eſt in officium, ſed etiam in remedium; & mulier prægnans frequenter plus appetit concubitum, quam quando non eſt prægnans; ſi autem non poteſt cum ea carnaliter copulari ſine periculo abortus,

tus, tunc non debet sibi reddi debitum nec ab ea exigi.

Contra. (objicitur) Quamdiu mulier potest imprægnari, sibi potest debitum reddi; sed mulier prægnans potest adhuc alium fœtum concipere; sicut dicit Avicena lib. 9. de Animalibus cap. de formatione Embrionis. Ergo mulier prægnanti potest debitum reddi, & ab ea exigi. Dicendum, quia raro accidit, ut mulier imprægnetur super imprægnationem, & quando hoc accidit, abortitur ut in pluribus, secundum quod dicit Avicena ibidem.

IX.

RAINERIUS.

Anno 1300.

In Panteologia Tit. Matrimonium. *Cap.* 11. Bona matrimonii prædicta (proles, fides, Sacramentum) excusant actum matrimonii a peccato duobus modis. Primo quia per actum matrimonii fit, ut actus qui de se esset peccatum, non sit peccatum. Secundo excusant, quia quod alias esset peccatum mortale, fit veniale. Unde solum duobus modis conjuges cum conveniunt ab omni peccato excusantur; absque enim omni peccato conveniunt, scilicet cum conveniunt causa prolis procreandæ, & causa debiti reddendi.

Ibid. cap. 12. Actus matrimonii est demeritorius venialiter, quando quis accedit causa incontinentiæ vitandæ in seipso, vel causa libidinis fruendæ & habendæ, sistentis intra limites matrimonii, puta quando vir delectationem quærit in sua uxore tantum & modo legitimo.

Ibid. cap. 13. Octo modis actus matrimonii est peccatum. Primo accedere ad conjugem causa fornicationis vitandæ est peccatum veniale. Ubi nota, quod si aliquis accedit ad conjugem intendens fornicationem vitare in conjuge, non peccat, cujus ratio est, quia hoc est quædam redditio, quod ad bonum fidei pertinet. Sed si accedit ad conjugem intendens vitare fornicationem in se, venialiter peccat, cujus ratio est, quia ubicunque in actu conjugii bonum matrimonii est motivum actus conjugii, omnino excusatur a peccato; ubi vero est aliud motivum, non excusatur omnino. Unde cum in actu matrimonii, qui fit causa fornicationis vitandæ, sit aliud motivum a bonis matrimonii, scilicet aliqua incontinentia, non excusatur omnino, quin sit ibi veniale peccatum. Hæc beatus Thomas 4. Sent. d. 31. art. 2. in sol. 2. arg. Secundo accedere ad conjugem causa sanitatis aquirendæ vel conservandæ, est veniale peccatum. Quod tali ratione ostendo. Ille qui indebito modo intendit sanitatem aquirere & conservare peccat. Sed accedens ad uxorem causa sanitatis aquirendæ vel conservandæ, indebito modo sanitatem intendit; ergo venialiter peccat, v. g. sicut qui ex Sacramento baptismi tantum quæreret corporalem sanitatem. Ibid. Beatus Thomas. Tertio accedere ad uxorem causa delectationis consequendæ, semper est peccatum, ubi nota, quod quærere delectationem in conjuge contingit duplici modo, aut in conjuge sistendo intra limites matrimonii, quando cum altera muliere non quæreret, & tunc est peccatum veniale, aut in conjuge ut in muliere extra limites matrimonii, quando etiam si non esset uxor idem quæreret, & tunc est peccatum mortale. Quarto accedere ad uxorem imprægnatam est peccatum mortale, cum probabiliter timetur de periculo abortus: alias est peccatum veniale. Hoc Beatus Thomas in expositione litteræ.

X.

PETRUS DE PALUDE.

Anno 1330.

In 4. dist. 31. qu. 2. art. 1. Sic habet: Tertia conclusio est de excusatione

ne per bonum fidei ; bonum enim fidei excuſatur ab omni peccato , quando aliquis pro nulla voluptate ſui reddit debitum conjugi petenti , malens continere, quando ſcit inde prolem non poſſe ſequi propter ſterilitatem alterius vel imprægnationem vel hujuſmodi. Et in hoc caſu reddendo non peccat , ſed reddere tenetur ; quia nullus peccat faciendo id ad quod tenetur ; alias peccaret & non peccaret; ſed tenetur reddere , niſi aliud obſiſtat . Ergo reddendo non peccat ; cum & hoc Apoſtolus præcipiat dicens : Vir uxori debitum reddat ; ſimiliter & uxor viro ; unde & Eccleſia ad hoc compellit , ſi petatur : non peccat autem , qui legis authoritate petit . Et ad hoc reducitur , ſi quis cognoſcat uxorem cauſa vitandi in ea fornicationem vel turpiorem actum.

Quantum ad ſecundum eſt hic dubium circa excuſationem per bonum fidei , quando conjux petit debitum a conjuge non propter prolis generationem ; nec propter hoc , quod illum retrahat ab adulterio vel pejori , & ſic propter fornicationem vitandam in ſeipſo , non in altero . Circa hoc ſunt duæ opiniones . Una , quod ſic petere ſemper eſt peccatum . Alii dicunt oppoſitum ; propter quod ſic videtur diſtinguendum , ut ſint duæ concluſiones. Quia aut ipſe cognoſcit uxorem cauſa vitandi in ſe fornicationem , quamvis poſſit aliter vitare , ſed magis vult iſto modo delectabili vitare , quam alio non delectabili , puta , quia domando carnem vel fugiendo aliarum conſortia vel non loquendo ſolus cum ſola ; & ſic poſſet faciliter evitare , ſed magis vult cum voluptate quam ſine illa ; & tunc peccat venialiter , quia præfert voluptatem carnis abſorbentem rationem ei , quod ſervat uſum rationis , & æque attingit ad finem ; ſicut ſi homo ſitiens æque poteſt ſaturare vel ſatisfacere neceſſitati naturæ bibens vinum limphatum minus delectabile quod non lædet caput , & eligit ſtatim extinguere ſitim cum vino forti , quod eſt magis delectabile , quod inebriabit eum vel in toto , vel in parte ; peccat enim non ratione finis , ſed ratione medii incompetentis . Et hæc eſt prima concluſio ; & in iſto ſenſu vera eſt prima opinio. Secunda concluſio eſt , quod ſi ipſe ideo actum illum exercet ad vitandum in ſeipſo fornicationem , non quia delectabilior , ſed quia non poteſt pro tunc alio modo melius eam vitare , ita quod voluptas in nullo movet eum , ſed ſolum amor vitandæ fornicationis , quam pro tunc non poteſt melius vitare , quia neceſſe habet diu loqui in ſecreto & loco ſuſpecto alii mulieri , & expertus eſt , de ea ſe ſæpe tentatum ; licet , quando ſemel uſus eſt actu illo , ad multos dies refrigeratus non tentatur , tunc nullum peccatum eſt , ſi proles non ſperatur , quia tunc illa ſemper præmittenda eſſet . Hoc autem reducitur ad bonum fidei , quo continetur , non ſolum debitum reddere , ſed etiam ad aliam non accedere : unde ſi propter hoc petit debitum a ſua ne indebitum exigat ab extranea , propter fidelitatem hoc facit , & bono fidei deſervit . Et hæc eſt ſecunda concluſio , & in hoc ſenſu vera eſt ſecunda opinio . Et per iſtam diſtinctionem poteſt reſponderi ad omnes rationes ſecundæ opinionis contra primam , ſicut patebit in ſequenti articulo , ubi illæ ponentur.

Illi de ſecunda opinione videntur contra primam adducere ſex rationes. Primo ergo arguunt ſic . Plus tenetur quis ſibi quam aliis ; ſed indiſtincte propter vitandam fornicationem in conjuge petens debitum non peccat ; ergo multo minus propter vitandam in ſe . Dicendum , quod homo tenetur plus peccatum vitare , quam alium a peccato retrahere ; ſed pluribus modis poteſt ſe a peccato retrahere , quam alium ; unde ſicut vir , qui potens ſe ipſum aliter cohibere magis ad hoc eligit voluptatem abſorbentem , quam aliud ſobrium reddens , peccat ; ſic ſi mulierem , quam includendo vel aliter poterat cohibere , magis vult cum ſua voluptate cohibere , non eſt dubium quod peccat ; quia

non

non nisi propter voluptatem præfert hoc medium alii medio magis consono rationi & æque valenti ad finem. Sed si vir timens in uxore etiam inclusa alias damnabiles corruptelas non putans eam aliter melius cohiberi quam per actum, quem non ipsa petit propter hoc solum debitum petit, non peccat; sicut nec in seipso. Et similiter, quia uxor non habet virum corrigere, si virum de aliis tentatum, & inter alias debentem conversari, propter hoc solum impetat, ut ipsum cohibeat, simpliciter excusatur. Secundo dicunt, quod non potest dici, quod vitare fornicationem in alio pertineat ad redditionem debiti plus, quam vitare in seipso, quia reddere debitum est, quando petitur expresse vel interpretative, quando illam scit tentari de seipso. Sed quando non petit debitum ab isto, nec tentatur de isto, sed specialiter de alio, tunc si cognoscatur, non est redditio sed pure petitio, sicut & si pro se petat. Dicendum, quod verum est, quod non plus debet vitare homo in alio, quam in seipso, nec ad redditionem pertinet hoc vel illud, nisi prout reddere large bonum fidei respicit. Ad bonum enim fidei pertinet, quod neuter aliam copulam requirat, & mutuam copulam non respuat. Si ergo mutua copula alias non quæratur, sed ne alia requiratur, ista expetitur vel pro se, vel pro alio in casu, quo non apparet melius vitanda, quam per istum modum, tunc fidelitas excusat. -- Sexto. Quando principalis finis non est possibilis, licitum est intendere finem secundarium; sed finis principalis matrimonii est liberorum procreatio, secundarius autem est vitatio fornicationis magis in seipso quam in alio. Unde Apostolus: Propter fornicationem vitandam habeat unusquisque suam, & unaquæque virum suum. Unde si senes & steriles, qui prolem habere non possunt, propter fornicationem vitandam contrahunt, non peccant. Licet autem ad illum finem convenire ad quem licet contrahere. Ergo sicut licet contrahere & per consequens petere debitum propter prolem ubi est possibilis, sic ubi illa non est possibilis, sicut licet contrahere propter fornicationem vitandam in seipso, propter hoc licet convenire & debitum petere. Non sic autem licet convenire propter sanitatem, quia illa non est finis matrimonii nec principalis, nec secundarius. Unde etiam si homo non posset aliter sanari, nisi cognoscendo uxorem, non propter hoc deberet cognoscere; sicut nec, propter hoc liceret baptizari. Dicendum, quod propter finem secundarium licet convenire, quando principalis non speratur, nec secundarius melius aliter haberi potest. Nam si aliter haberi potest sine detrimento rationis, & quæritur cum detrimento rationis propter voluptatem, culpa est.

Ibid. qu. 3. art. 3. Sciendum, quod quandocunque voluptas quæritur, semper veniale est. In speciali possunt notari sex casus, in quibus actus conjugalis est tantum veniale. Primus, quandocunque præcedit aliqua deordinat rationis, puta petere tempore sacro, & si respectus sit ad delectationem, gravis est culpa; si ad lubricum vel infirmitatem suam, cujus est sibi conscius vel conscia, veniale. 2. petere causa delectationis infra limites tamen, semper est veniale, sicut comedere propter voluptatem. 3. petere causa fornicationis vitandæ. 4. causa infirmitatis vitandæ. 5. Si, quando incepit petere vel reddere bona intentione, postea mutet intentionem. 6. quandocunque aliud intendat, quam ad quod ordinatur conjugium, scilicet vel ad prolem, vel ad reddendum debitum.

Ibid. dist. 32. art. 3. Semper est peccatum petere debitum utrique indifferenter (id est, tam marito quam uxori) tempore conceptus & partus, quia & bruta continent: Elephas enim ad imprægnatam non accedit. Et quidem si probabiliter timetur de abortu tempore conceptus, & instante partu ne puer opprimatur, esset peccatum mortale scienter petere vel reddere, alias non est peccatum reddere, sed veniale petere.

Ex

Ex his Petri Paludani textibus colligitur, eum non admittere coitum cum prægnantibus ex motivo intemperantiæ, ſed tantum cum non prægnantibus, prout pluribus explicabitur. *Objectione* 14.

XI.

ASTESANUS.

Anno 1330.

In Summa Aſteſana lib. 8. *tit.* 10. *artic.* 4. Quæritur, utrum liceat debitum petere vel exigere tempore imprægnationis? Reſpondeo, ſi ſine periculo abortus vir poteſt carnaliter copulari ſuæ uxori prægnanti, tenetur debitum reddere, & ab ea poteſt exigere ſine peccato mortali, quia concubitus matrimonialis non tantum eſt in officium, ſed etiam in remedium, & mulier prægnans frequenter plus appetit concubitum, quam quando non eſt prægnans. *Ibid. tit.* 9. *art.* 2. ſic ſcribit: Sequitur videre de bonis matrimonii, inquantum habent excuſare conjugalem copulam a peccato. Circa quod diſtinguendum eſt, quod ad conjugalem actum aut inducit virtus, & hoc vel juſtitiæ ſcilicet, ut debitum reddatur, vel religionis, ſcilicet ut proles ad Dei cultum procreetur? Et ſic non eſt peccatum. Aut ad ipſum movet libido ſiſtens intra bona matrimonii, ſcilicet volendo nullo modo ad alium accedere, & ſic eſt peccatum veniale ſecundum communiorem, licet quidam dicant, quod ibi nullum ſit peccatum. Et hujus opinionis videtur fuiſſe Alexander. Secundo modo cognoſcit illam, quia non poteſt continere propter nimium fervorem ſomitis, & tunc eſt peccatum veniale. Magiſtri tamen prædicta communiter ſumunt pro eodem. Quidam etiam dicunt, quod differt, cognoſcere uxorem cauſa incontinentiæ, & cauſa libidinis ſatiandæ; quia in primo caſu præventur hoc agens a voluptate; in ſecundo vero prævenit voluptatem & provocat eam. In primo horum duorum peccat venialiter. In ſecundo, ut dicit Hug. peccat mortaliter. Et hoc notat Hug. 25. qu. 5. Sed ego credo, quod etiam poſſit eſſe ſine mortali, dummodo ſiſtat infra finem matrimonii. In omnibus tamen his eſt ſecundum opinionem communem peccatum veniale licet in ultimo gravius. Et poſſunt omnes iſti modi reduci ad tertium & quartum modorum, quos ponunt communiter Magiſtri. Si quis dicat, quod liceat homini bibere ne ſitiat; ergo & ſimiliter coire, ne fornicari appetat. Reſpondetur, quod non eſt ſimile; quia ibi eſt motus naturæ & neceſſitatis; in coitu vero non niſi motus naturæ.

XII.

PISANUS.

Anno 1335.

In Summa, quæ vocatur Piſanella *Tit.* debitum, ſic habet: Quæritur, utrum conjugalis actus ſit peccatum? Reſpondeo ſecundum Raymundum, ſi conjunguntur cauſa ſuſcipiendæ prolis, non habet culpam. -- Si vero conjunguntur cauſa reddendi debitum, adhuc non eſt peccatum. In his ergo duobus caſibus non eſt peccatum. Quod verum eſt, ſi rectitudo intentionis poſtea aliquatenus non mutetur, hoc eſt, quod in executione ipſius actus nulla voluptatis delectatione teneatur. Sed ut dicit Gregorius 33. qu. mor. Vir cum propria valde difficile eſt, ut ſtans in igne neſciat ardere. Poteſt autem contingere ex ſingulari dono Dei, & non aliter. Si vero (conveniunt) cauſa remedii, ut qui continere non poſſunt, ſic eſt peccatum veniale. At aliqui dixerunt, hoc caſu nullum eſſe peccatum, ut notat Gloſſa in c. *quidquid* 32. qu. 2. & Gloſſa Raymundi in tit. *de matrimonio*. Sed ut dicit Gloſſa Raymundi ibidem; hoc expreſſe eſt contra dictum Auguſtini 25. diſt. §. criminis, ubi inter alia venialia ponit; quoties excepto filiorum deſide-

siderio uxorem suam cognoverit. Supple, & causa reddendi debitum, quasi dicat, exceptis his duobus casibus in usu matrimonii semper peccatur saltem venialiter. Et ita est veritas, ut notatur in Summa Confessorum (Joannis de Friburgo) *lib.* 4. *tit.* 2. *qu.* 37. Et est intelligendum hoc, quando quis stat intra limites matrimonii videlicet quod hoc cum alia non faceret; nam tunc est veniale; secus si excedit fines matrimonii, ita etiam quod si non esset sua uxor, faceret idem: tunc est mortale. -- Ex quo bene investiganti apparebit, quod facilius est religioso inter regulariter viventes omnimodam castitatem servare, quam conjugibus in usu matrimonii a mortali se custodire, quia conjuges sunt secus libidinis ignem, & ignis solet ardere, quodcunque lignum apponatur.

Quæritur, utrum liceat debitum reddere vel exigere tempore prægnationis? Respondeo secundum Petrum (de Palude) si potest esse sine periculo abortus, reddi debet, & etiam potest sine peccato mortali exigi: quia usus matrimonii non est tantum in officium sed etiam in remedium. Et ita quando non imminet periculum, non exigere tali tempore est consilii. Sed tamen omissio hujus consilii non videtur sine peccato veniali, cum uxore jam gravida debitum peti non possit nisi ratione incontinentiæ, quæ saltem includit peccatum veniale, præsertim cum illo tempore causa prolis inhibeatur usus matrimonii dicto c. si causæ & 32. qu. 4. origo.

XIII.

Concilium Beneventanum Provinciale.

Anno 1374.

Tit. 10. *cap.* 31. *de actu conjugali* sic habet: Aliquando commiscentur conjuges causa prolis suscipiendæ; aliquando causa reddendi debitum, aliquando causa incontinentiæ sive vitandæ fornicationis; aliquando causa exsaturandæ libidinis. In primo & secundo casu, nullum est peccatum; in tertio est veniale; in quarto mortale. Sed nec propter sanitatem corporalem cognoscenda est uxor. Tempore imprægnationis, si sine periculo abortus fieri possit, & potest debitum a gravida reddi & etiam exigi sine peccato mortali, alias non. Ita libellus Synodalis.

XIV.

GERSON.

Anno 1400.

Part. 2. *in Compendio Theologicæ veritatis.* De matrimonio §. an tempore prægnationis debeat reddi debitum conjugale? De tempore imprægnationis dicitur, quod propter periculum non debet in tempore imprægnationis uxor cognosci. Unde si vir eo tempore moveatur ad coitum, debet ratione talem motum propter timorem prædicti periculi refrænare; maxime quatuor primis mensibus. Si tamen vir dicto tempore cognoverit, non propter hoc peccat mortaliter. Verum etiam quia mulier illo tempore maxime coitum appetit, si ipsa petat, & ipse vir exactus reddat, sic reddens levius peccat, exigens vero gravius, uterque tamen venialiter tantum.

XV.

S. ANTONINUS.

Anno 1450.

In summa part. 3. *Tit.* 1. *cap.* 20. §. 4. sic scribit: Quartus casus (in quo non est licitus coitus) est ratione abortus tempore conceptus vel partus, si probabiliter timetur. Sed pro majori declaratione hujus sciendum secundum Petrum & Richardum in 4. quod tempore prægnationis reddere debitum non est.

eſt peccatum; & reddere debet, ſi non eſt periculum abortus. Poteſt etiam exigere in dicto caſu abſque mortali; quia matrimonium non ſolum eſt in officium, ſed etiam in remedium. Sed ubi eſſet periculum probabile abortus, nec debet exigi nec reddi; alias eſſet mortale ſecundum Petrum de Palude. Qui etiam dicit, quod petere debitum tali tempore eſt ſemper veniale, ſi tamen non ſit periculum abortus; & maxime mulieri, quia ſecundum medicos imprægnatæ magis appetunt coitum. Sed valde reprenſibile eſt, ut homines non contineant tempore conceptus, quod beſtiæ faciunt. Nam elephas ad imprægnatam non accedit. Et Plinius dicit, quod tempore conceptus cevæ fœminæ a maribus diſcedunt, donec a partu purgentur.

Ibid. §. 11. Videndi ſunt caſus, in quibus actus conjugalis eſt peccatum veniale. Et ſunt ſex caſus ſecundum Petrum de Palude. Primus eſt, quando præcedit aliqua deordinatio rationis, puta petere in tempore ſacro; & ſi reſpectus ſit ad delectationem, gravior eſt culpa, venialis tamen; ſi ad lubricum & infirmitatem ſuæ mentis, cujus eſt conſcius, eſt minus veniale. Secundus eſt petere cauſa delectationis intra limites tamen matrimonii ſemper eſt veniale, ſicut comedere propter voluptatem. Quod enim cibus ad ſalutem hominis ſeu individui eſt neceſſarius, hoc coitus eſt ad ſalutem generis, dicit Auguſtinus Tertius eſt, cum fit cauſa infirmitatis vitandæ, quia quamvis liceat utrumque ſeorſim appetere, non tamen unum propter alterum. Quartus, quando incipit petere vel reddere bona intentione, ſed poſtea mutet intentionem, ita quod nunc vellet cauſa delectationis. Quintus, quandocunque aliud intendit, quam id ad quod ordinatur conjugium, ſcilicet vel ad prolem vel ad reddendum debitum. Sextus eſt, quando hoc agit cauſa vitandæ fornicationis, licet hac intentione contrahere non ſit etiam veniale. Sed circa hoc, ut dicit Petrus de Palude, ſunt duæ opiniones. Una eſt, quod petere cauſa vitandæ fornicationis in ſe, non in altero, ſemper eſt peccatum: quia omnis ſuperabundantia paſſionis eſt peccatum. Alii ſimpliciter dicunt, quod non eſt peccatum. Richardus in 4. utramque ponit & naturam præfert. Petrus vero de Palude utramque concordat ſeu ſalvat: aut enim talis cognoſcit uxorem cauſa fornicationis vitandæ in ſe, quamvis poſſit alio modo vitare menti occurrente; ſed magis vult iſto modo delectabili vitare, quam modo non delectabili, ut domando carnem, fugiendo conſortia incitantia & hujuſmodi, quæ poſſet faciliter vitare, ſed vult cum voluptate vitare; & ſic eſt veniale: aut ille exercet talem actum ad vitandam fornicationem, non quia delectabilior, ſed quia tunc non poteſt alio modo melius eam vitare, ita quod voluptas non movet eum, ſed amor vitandæ fornicationis, quam pro tunc non poteſt melius vitare, puta, quia habet loqui in ſecreto alii mulieri, de qua expertus eſt ſe tentari, & hujuſmodi; & tunc nullum eſt peccatum, ſi proles non ſperatur, quia tunc ſemper eſſet præmittenda illa intentio; & ſic verificatur ſecunda opinio, quæ dicit, non eſſe peccatum.

Ibid. §. 5. Tempore menſtruorum diſtinguendum; quia ſi innaturalis & quaſi continuus ſit hujuſmodi fluxus, non interdicitur petitio vel redditio debiti; quia quando infirmitas continua vel diuturna, periculoſum eſſet conjugatis aliquibus prohibere. Tunc etiam mulier concipere non poteſt ſecundum quoſdam, & ſic non timetur proli; unde tunc eſt veniale petere, cum non ſperetur proles; immo nec veniale, ſi fiat propter vitandam fornicationem in ſe vel in alio; & in hoc concordant Doctores.

Ex hoc ipſo, quod S. Antoninus dicat, concordare Doctores, colligitur, eum ex Paludano admittere coitum ex motivo intemperantiæ vitandæ cum non prægnantibus, non autem cum prægnantibus, prout ad textum Paludani obſervavi, & pluribus dicetur *Object.* 14.

XVI.

XVI.

BARTHOLOMÆUS DE CHAIMIS.

Anno 1460.

In suo Interrogatorio pœnitentium Tit. *De conjugatis* inter alia sic interrogat. Si debita intentione cognovit uxorem: nam si causa suscipiendæ prolis & ad Dei gloriam educandæ, aut causa reddendi debitum, nullum est peccatum secundum omnes Doctores. Si vero causa remedii seu vitandæ fornicationis non solum in se sed etiam in conjuge, veniale est.

XVII.

JOANNES DE FRIBURGO.

Anno 1480.

In Commentario ad Summam S. Raymundi editam Avenione 1715. *lib.* 4. *de Matrimonio* §. 11. Sic habet: Nunquid cognoscere uxorem prægnantem, aut post partum ante purificationem, est peccatum mortale? Credo, quod non, sed qui exigit, venialiter peccat.

Idem l. cc. §. 13. Loquens de marito exigente debitum ab uxore non prægnante ex motivo non labendi in fornicationem sic scribit: Quidam dicunt, nullum esse peccatum in hoc casu (quando conjuges miscentur causa incontinentiæ, sive vitandæ fornicationis) nam ad bonum finem utitur conjugio. Sed contradicit Aug. 25. dist. l. *unum orarium*, ubi dicitur, peccatum veniale esse, quoties excepto filiorum desiderio uxorem suam quis cognoverit. Sed forte respondent, quod aliud est cognoscere uxorem causa incontinentiæ, & aliud causa vitandæ fornicationis: ut cognoscere causa incontinentiæ sit cognoscere, quia non potest continere propter nimium fervorem fomitis, & virtutis concupiscibilis, & tunc est peccatum veniale. Cognoscere vero causa vitandæ fornicationis sit cognoscere ut non tentetur de fornicatione cum non sua; non ut quærat voluptatem in coitu cum uxore, sed ne labatur cum alia. Et tunc forte nullum est peccatum. Sed secundum hoc essent quinque causæ coeundi cum uxore: Magistri tamen non consueverunt distinguere nisi quatuor, & reputant pro eadem, cognoscere causa incontinentæ, & causa vitandæ fornicationis.

XVIII.

ANGELUS DE CLAVASIO.

Anno 1480.

In summa Angelica Tit. *Debitum* sic scribit, num. 20. Quæritur, utrum actus matrimonialis sit peccatum? Respondeo, secundum Alexandrum *in* 3. *part. summæ in 6. præcepto*, quod non. Sed fit peccatum secundum eundem 2.2. de adulter. quando privatur istis circumstantiis. Prima dicitur recta intentio, puta quia excedit fines matrimonii facturus cum quacunque alia --- Secunda dicitur causa. Nam ex triplici causa sine peccato exigitur & redditur: prima prolis procreandæ: Secunda debiti reddendi: Tertia fornicationis vitandæ. Communiter tamen tenetur, quod sit peccatum veniale exigere causa fornicationis vitandæ in se. *Vide Glos. in cap. quidquid* 32. *q.* 2.

Ibid. nu. 33. Quid de exigente tempore partui vicino? R. Richardus *in* 4. *dist.* 32. *art.* 3. *q.* 2. Quod si sine periculo abortus vir potest carnaliter copulari suæ uxori pregnanti, potest exigere sine mortali, & mulier sibi tenetur reddere. -- Adverte quod majus est periculum abortus in principio conceptus. Ratio est, quia quamvis secundum Avicennam matrix mulierum post impræ-

gnationem claudatur, tamen ex delectatione movetur aliquando & aperitur, & sic materia nondum perfecte coagulata disperditur, & affunditur. Et ideo hic vituperat accedentem ad prægnantem

tem in dicto *c. origo*. Non tamen erit peccatum mortale, ex quo nondum eſt formatus, ſi hoc non intendit.

XIX.

SYLVESTER.

Anno 1500.

In Summa Tit. *Debitum* n. 13. ſic habet: Undecimo quæritur, in quibus caſibus actus conjugalis ſit peccatum veniale? Et dico, quod in ſex, ſecundum Petrum de Palude in 4. diſt. 31. *Primo*, quando procedit aliqua rationis deordinatio, ſed non tanta ut ſit mortalis; puta ſi petatur tempore ſacro. *Secundo* ſi petatur ex voluptate, intra tamen limites matrimonii ſiſtendo, etiamſi ſe provocent. Et hoc expreſſe dicit Auguſtin. & tenet communis Schola. *Tertio*, ſi fiat cauſa vitandæ infirmitatis. Et idem S. Thomas. *Quarto*, quando quis exigere vel reddere incipit bona intentione; ſed deinde mutatus jam vult hoc cauſa delectationis. *Quinto*, quandocunque aliud intendit quam finem conjugii, id eſt, prolem vel debitum. *Sexto*, quando hoc agit cauſa vitandæ fornicationis. In quo tamen, ut idem dicit, ſunt duæ opiniones, una quod ſemper ſit peccatum, ſi ſit cauſa vitandæ fornicationis in ſe; alia quod ſimpliciter non ſit peccatum. Quarum prima dicit verum, quando aliter poſſet facile vitare, puta abſtinendo. Secunda vero (vera eſt) quando quis aliter melius vitare non poteſt, ut quia habet loqui ſecrete cum muliere, de qua ſibi timet.

XX.

PETRUS DE SOTO.

Anno 1550.

Lib. de Inſtitutione Sacerdotum Lect. 16. ſic ſcribit: Conatus matrimonii, ſicut & uſus ipſe delectationis cauſa peccatum veniale ſemper eſt apud Auguſtinum. Ubi quoniam æquo durius multis hoc videtur, nonnullis etiam falſum, eſt diligenter conſiderandum. Quamvis enim non de mortali, ſed veniali peccato quæſtio ſit, non tam ob id parvipendenda eſt, ſicut nec negligenda, maxime in doctrina ſanctitatis matrimonialis ſtatus. Igitur, qui vitandæ fornicationis cauſa aut contrahit matrimonium, aut utitur contracto, timens videlicet, conſcius infirmitatis ſuæ, incontinentiam, ne in alia graviora peccata labatur, multis non videtur ulla ratione peccare, maxime, inquiunt, cum ſecundarius finis matrimonii a Paulo etiam oſtenſus, præſertim poſt peccatum, ſit vitatio fornicationis. Unuſquiſque, inquit, propter fornicationem ſuam uxorem habeat. Sed huic obſtat Auguſtini ratio. Cum enim conjugium ex bonis illis ſit, quæ propter aliud, non propter ſe expetenda ſunt, a natura videlicet ordinatum ad conſervationem duntaxat ſpeciei, quæ generatione fit; non eſt enim matrimonium, ſicut vita aut ſapientia, quæ propter ſe amantur, ſed ſicut doctrina & cibus, quæ propter illa; uti vero re a natura ad aliquem finem inſtituta, non propter quod a natura inſtituta eſt, peccatum eſt, inquit Auguſtinus, quia manifeſta abuſio. Igitur matrimonio ultra generationis neceſſitatem & præter illam uti ob quamcunque aliam cauſam peccatum eſt. Hoc vero peccatum non quidem mortale, ſed veniale eſt, quod, inquit Auguſtinus, Paulus ſecundum veniam concedit. Sic enim illum locum intelligit: Hoc autem dico ſecundum indulgentiam, non ſecundum imperium; ubi Auguſtinus *veniam*, habet pro, *indulgentiam*. Unde ille ait: peccatum eſſe, cui venia conceditur. At vero contrahere matrimonium peccatum non eſt; igitur, inquit ille, ſecundum veniam concedit, propter vitandam fornicationem contrahere, cum ſcilicet concupiſcentiæ libidinis & delectationi conſentitur, ſed in matrimonio. Itaque propter fornicationem vitandam contrahere, quod ex

Paulo citabatur, finis est matrimonii, sed venialis; quod, inquit Augustinus, non est nuptiarum malum, sed propter nuptias accipit veniam. Cui rationi quid respondeatur, non videmus. Qui ob delectationem comedit, peccat venialiter ad minimum, aliud quærens in cibo, quam ad quod datus est. Excedit igitur, & rectæ rationis limitem transgreditur. Ita de matrimonio & de usu, atque eodem modo de cæteris omnibus aliis finibus matrimonii dicendum est; ut si vel propter divitias, vel amicitias affinitatis, aut alias causas contrahatur; si præponantur ista proli & cæteris bonis, inordinatio est. Si tamen hæc nonnihil moveant, sicut pulchritudo & reliqua omnia, ita ut non contrahendi omnino causa sint, sed tantum hoc agant, ut potius cum hac quam cum illa contrahatur, nullum peccatum est. Nec enim in Jacob reprehenditur quod prætulerit Rachaelem Liæ. Ducendæ uxoris causa venerat, idque sancte, ob generationem & divinam promissionem; interim tamen præferebat pulchriorem. Hæc itaque propria peccata sunt contrahentium matrimonia. Jam de usu ipso & actu matrimonii quid sentiendum sit, ex his quæ diximus de contractu, magna ex parte intelligi potest. -- Quicunque actus peccatum est, quando non habet debitas circumstantias. Quia igitur prima circumstantia actuum finis est, hæc primo est consideranda. Atque ita Cajetanus (in summa) hoc ponit primum caput. De quo, quod ex supradictis sequitur, statuamus ut certum, solo fine & intentione generationis vel reddendi debitum, licitum esse actum matrimonialem. Probavimus supra & quidem sufficienter ex Augustino, solum generationis causa licite contrahi matrimonium. Ex quo etiam probatur, & usum ejus ob eam causam esse licitum. Sed quia post contractum matrimonii est uterque alteri obligatus; hic finis est sufficiens, ut actus sit bonus, cum scilicet solum ut satisfiat consorti, matrimonio aliquis conjugatorum utitur. Itaque relinquuntur hi duo fines, post contractum matrimonium, ad quos usus ejus ordinatur. Igitur si delectationis causa fiat usus matrimonii, peccatum est. -- Ob vitandam igitur fornicationem in se quidem, aut ob alia majora peccata vitanda matrimonio uti extra generationis finem, veniale etiam esse peccatum, convincitur supradicta ratione, quia videlicet, qui id agit, utitur re præter naturæ ordinem. Ita de cæteris omnibus finibus dicendum est: semper peccatum est, cum aliud quæritur, quam naturalis finis, nunquam tamen mortale, nisi finis ipse in se mortalis sit. -- Ad prægnantem accedere non dubium est peccatum esse, quod Hieronymus ut naturæ contrarium reprehendit; & Augustinus inter nimios excessus computat. Sunt, inquit, adeo incontinentes, ut conjugibus nec gravidis parcant. Verum extra periculum prolis non judicetur mortale. Authoritas hujus Petri de Soto summopere æstimanda est, fuit enim primarius Theologus Pontificius in Concilio Tridentino; & ejus liber *de institutione Sacerdotum* in nostra Diœcesi Augustana pro norma præscripta fuit a Cardinale Othone Truchsessio.

§. V.

Sensus & praxis proborum.

I.

Ex Revelationibus S. Elisabethæ Schonaugiensis.

Anno 1100.

Revelationes has Manuscriptas reperi in Codice M. S. Bibliothecæ ad S. Udalricum Augustæ. Utrum S. Elisabetha eas revera acceperit a Deo; an vero, ut sæpe solet, eas propria imaginatione procusas existimaverit divinas, nescio; hoc tamen exinde colligo, sententiam de obligatione abstinendi a prægnantibus dudum agnitam & promulgatam fuisse populo Dei. Itaque N. 4. sic habet: *Fui in oratione, & apparuit mihi solito*

mo-

more Dominus meus, & poſtulavi ab eo diſciplinam viæ illius, quæ ad ordinem conjugatorum pertinet; ſtatimque aſſenſit, ſicque exorſus eſt: Ecce admoneo conjugatos, abſtinete vos a pravis operibus veſtris &c. Dies feſtos & Dies Legitimæ (ideſt, Quadrageſimæ ab Eccleſia præceptæ) *abſtinete, & tempora prægnationis per continentiam honorate -- qui enim inter diem & diem, inter tempus & tempus continendo non diſtinguunt, vindictam Domini in ſemetipſis, & in ſemine ſuo, qua hora non putaverint, ſentient.* Hoc textu præcipitur abſtinentia diebus feſtis & in Quadrageſima ob legem Eccleſiæ, qua antiquitus in variis particularibus Conciliis & Conſtitutionibus præcipiebatur. Cum vero de abſtinentia tempore prægnationis nulla extet talis lex poſitiva colligitur, eam agnitam fuiſſe ut contrariam legi naturali.

II.

Exempla mulierum illuſtrium, poſt conceptionem a maritis temperantium.

Baronius ad annum 274. num. 1. ex Tbreellio de Zenobia Palmyrenorum Regina ſic ſcribit: Hæc nos opinari (quod in communione Catholicæ Eccleſiæ obierit) nos admonent vehementes conjecturæ, quod vitam duxerit, adhuc vivente viro, Chriſtiana fœmina ſane dignam; quippe quæ, ut Trebellius tradit, admirandæ fuerit caſtitatis, ut ne virum ſuum quidem ſciret, niſi tentatis conceptionibus, ac prægnantem factam ab eo temperaſſe. Talem quippe eſſe ſolitam Chriſtianorum continentiam ex Tertulliano jam diximus.

III.

Anno 1200.

In vita S. Hedwigis apud Surium ad 15. Oct. Hedwigis cum eſſet annos nata duodecim, Henrico Duci Sileſiæ & Poloniæ collocata eſt. Conjugali alligata vinculo, ſtudebat leges ac jura matrimonii inviolata conſervare. At nihilominus ſtudio caſtitatis Deo placere deſiderans, quantum licuit ex mariti conſenſu, continentiæ legem ſibi indicebat. Nam ſimul atque ſe concepiſſe ſentiret, a viri toro uſque ad puerperii completionem ſeſe reverenter abſtinuit. Atque hujus ſanctæ legis & honeſtæ conſuetudinis uſum & cultum obſervandum ſuſcepit a primæ prolis ſuæ conceptu, anno ætatis ſuæ decimo tertio, nec eum unquam intermiſit, donec parere deſineret. Tres vero peperit filios, totidemque filias; quibus in lucem editis deinceps perpetuæ ſe dedit continentiæ. Atque hunc modum in ipſo quoque matrimonio continenter vivendi, a Sancta Eccleſia approbatum, quaſcunque potuit, edocebat. Felices ſane matronas illas, quæ hujus beatæ fœminæ conantur imitari exemplum, quæ quidem non ſolum concepta, ut diximus, ſobole, deinceps continenter vixit; ſed etiam ſalutaribus conſiliis & exhortationibus ſuis generoſum maritum eo adduxit, ut cum ipſa ſponte ſtuderet continentiæ ſingulis annis toto adventu, & quadrageſima, diebus quatuor temporum & ſextis feriis, in vigiliis Sanctorum & feriis eorum, atque diebus Dominicis; Non enim putabat gratam eſſe eam Sanctorum venerationem, nec Deo acceptum jejunium, quod cum carnis oblectamentis ſuſciperetur. Itaque crebro illa cum marito ſuo toto menſe, nonnumquam ſex aut octo ſeptimanis, tametſi uno lecto uterentur, a carnali copula penitus abſtinuit.

IV.

EUSEBIUS.

Lib. 1. Demonſt. Evang. c. 9. Poſtquam oſtenderat, in novo Teſtamento Clericos continentiam profiteri, ut liberius procreationi ſpirituali liberorum indulgeant, addit: Si quis priſcorum (V.T.) vitas diligenter exploret; inveniet eos initio quidem ætatis ſoboli augendæ con-

jugioque vacantes, mature autem abstinentes, atque cessantes. Scriptum est enim, quod placuerit Enoch Deo, postquam genuit Mathusalem: ubi Scriptura plane post genitum filium Deo illum placuisse memorat, neque illi posthac alios genitos liberos prodit. Noe quoque post susceptionem plurimis posthac annis superfuisse inducitur, neque tamen alios post diluvium liberos genuisse. Dicitur & Isaac, postquam ex una uxore genuinæ prolis pater factus est, desiisse cum illa consuescere.

§. VI.

Origo & progressus Sententiæ oppositæ.

Quo modo in aliis sententiis laxis ex parvis initiis fit ingens progressio, sic etiam contigit in præsenti. Nam

1. Ab initio erant tantum *aliqui* obscuri nominis, qui aut in Disputationibus privatis, aut in Dictatis novam interpretationem erroneam textibus Patrum imputabant, asserendo, *prohiberi*, & *per modum prohibitionis dissuaderi* idem esse, prout testatur Brixiensis.

2. Illis *aliquibus* obscuri nomini accessit tandem anno 1220. *unus* clari nominis, nempe *Brixiensis*, sed Jurista, non Theologus; cujus proin non erat, consulere traditionem Ecclesiæ pro foro interno, sed respicere ad leges positivas pro foro externo.

3. Unico Brixiensi aperte se declarante in oppositum ab aliquibus Theologis, minus fundatis in traditione Ecclesiæ, timidius disputatum, aut dubitatum, & dogma veritatis problematice defensum est; prout patet ex Durando.

4. Tandem, sepositio traditionis fundamento, inter eos Theologos, qui rationem humanam, aut unum aliquem celebrem Doctorem recentiorem pro duce sumpserant, accrevit multorum in præcedentia immediate vestigia euntium facilis accessio, quo modo in hyeme convolutis floccis nivium conglomerantur montes, brevi solvendi in aquas torrentium transituras.

5. Itaque *Sæculo* 13. in opposita sententia unus comparet *Brixiensis*. *Sæculo* 14. accedit *Durandus*. *Sæculo* 15. *Tostatus*. *Sæculo* 16. *Major est Almainus*, *& exinde reliqui*.

6. In omnibus autem his authoribus deprehendo has notas Characteristicas: 1. non citant pro se Patres, aut traditionem Ecclesiæ. 2. unice utuntur ratiocinio, & humanæ rationis præsidio: quod infinities errat in hominibus nullo directis spiritus lumine. 3. Patres & primaria Ecclesiæ lumina, Augustinum, D. Thomam, D. Bonaventuram, &c. ultro fatentur, sibi adversari. 4. Non solum Theologos nostræ sententiæ, sed & Patres vocant nimis *rigidos*, *duros* v. gr. *Major*. 5. Textus Patrum, si quos interdum venerari se monstrant, manifeste detorquent a vera sententia. v. gr. Brixiensis & Tostatus dicendo, sic intelligendum Hieronymum, *ut si* conjuges causa prolis coeant, non debeant coire tempore imprægnationis; quod est captare verba, & negare mentem. 6. Plus tribuunt Aristoteli quam Patribus, v. gr. Almainus ex Aristotele docendo; delectationem moderatam esse appetibilem ratione sui. 7. Fovent principia erronea, fœcunda errorum plurium, v. gr. Almainus, Major, & Bel, quem & ipsum adversarii pro se citant, qui docent, licitum esse, ex motivo voluptatis edere, bibere, coire, &c. hos errores damnarunt jam summi Pontifices; sed nobis argumento sunt, ejusmodi authores, qui in tam generalibus ac primariis morum principiis errant, non fuisse præditos lumine superno habituali, concedi solito iis Doctoribus, quos Deus vocavit & ordinavit in Magistros Ecclesiæ. 8. Authoritatem horum authorum non adeo magnam esse in quavis materia theologica. Tostatus obiit anno ætatis 40; hinc inter tot alios eruditos labores non habuit tem-

pus

pus attentionem condignam referendi ad omnia. Brixienſis erat Juriſta. Durandus pluribus in locis monſtrat nimiam in ratiocinio confidentiam. Major exiguam Patribus defert reverentiam; in hoc ipſo loco, ubi quæritur, an voluptas in uſu conjugali incidens ſit peccatum, dicit; ſe id non crediturum aut conceſſurum, etſi *decem Gregorii* Magni id aſſererent: qua expreſſione non fuiſſet opus, cum mens D. Pontificis ſit, tunc peccatum fore, ſi mutata bona intentione in uſu mens trahi ſe ſinat a motivo voluptatis.

Ex his ergo colligitur, quantum tribuendum ſit his authoribus, quorum ſequitur recenſio.

I.

BARTHOLOMÆUS BRIXIENSIS.

Anno 1220.

Omnium Scriptorum, quos vidi, hic primus coitum cum gravidis a lege abſolvit, vixit ſæculo XIII, &, prout Oudinus textatur, anno 1258. Brixiæ pro patriæ libertate fortiter occubuit. Ex hoc colligo, eum non fuiſſe Clericum, ſed Laicum, ac proin veroſimiliter conjugatum. Scripſit Gloſſas & commentaria in Decretum Gratiani; ob quod communiter citatur non ſuo nomine, ſed ſub generali vocabulo *Gloſſæ*. Ad c. *ad ejus vero concubitum*, diſt. 5. ubi ex Auguſtino prohibetur, ne vir ad uxorem accedat, antequam puer ablactetur, vel mater purificetur, vel tempore menſtrui, ſic ſcribit: Ablactationis hoc tempus appellatur poſt partum quando mulier abundat nimis lacte, & niſi extraheretur per puerum, oporteret ipſam infirmari. Ideo autem prohibetur illis temporibus commiſceri cum eis, quia ex tali coitu naſcuntur morboſi & leproſi. Sed quid ſi mulier petat debitum a viro tempore menſtrui, vel tempore purgationis. Dico, quod non reddet ei debitum, niſi timeretur ejus fornicatio. 13. diſt. *duo mala*. Item ſi vir petat tempore menſtrui a muliere, mulier negabit, & exponet ei cauſam, ff. de ſolutionibus, l. *dicimus*. *Prohibentur*, id eſt, ſub forma prohibitionis diſſuadentur. Sic exponunt quidam, 28. qu. 1. *Sic enim*.

Idem in præfatum c. *ſic enim*, ubi dicitur ex S. Auguſtino ad Pollentium, diſceſſionem conjugis fidelis ab infideli non prohiberi quidem a Chriſto, *prohiberi* tamen *ab Apoſtolo conſilio charitatis*, addit: *id eſt, ſub forma prohibitionis diſſuadet*.

Idem 33. c. *Si cauſa*, ubi ex Ambroſio dicitur, *tempore conceptus & partus juxta legem* abſtinendum eſſe abuxoribus, addit hanc Gloſſam: Conceptus; ex quo ſcilicet partus incipit moveri. Hoc etiam conſilium eſt ſecundum nos, ſicut etiam de menſtruata, diſt. 5. c. *Ad ejus vero concubitum*. Licet h. contradicat.

Ibid. Brixienſis docet, hoc capitulum, *ſi cauſa*, ſolum intelligendum de iis, qui cum uxore ſolum coeunt cauſa liberorum; hos enim tempore ſacro debere abſtinere. Ita, inquit, videtur, quod aliquod tempus ſit prohibitum, in quo debet uxorem ſuam cognoſcere cauſa ſobolis procreandæ; & ita non eſt conſilium. Sed fac vim in eo, quod (Ambroſius) dicit; *videtur* (non multum temporis conceſſum ad uſum.) Non enim dixit: *non eſt* (conceſſum multum temporis) vel intelligas in caſu, in quo loquitur capitulum, quando ſcilicet eam cognoſcat cauſa ſobolis, quia forte in eo caſu non debet ad eam accedere; ſecus ſi cauſa incontinentiæ.

Similia habet in Gloſſa ad c. *origo*, cauſa 32. qu. 4.

II.

DURANDUS.

Anno 1320.

In 4. *diſt.* 31. *proœm.* ſic ſcribit: Hic determinat Magiſter de bonis matrimonii, quæ ſunt cauſæ honeſtantes matrimonii actum. — Primo proponit quod tria bona ſunt in matrimonio, fides, proles,

& sacramentum. *Ad fidem* autem pertinet, ut ad aliam non accedat; ad prolem ut amanter suscipiatur, & religiose educetur, ad Sacramentum vero, ut conjugium non dissolvatur. -- Postea dicit, quod illa bona excusant actum matrimonialem, ut peccatum non sit, ut quando fide thori servata conjuges conveniunt causa prolis; vel ut mortale non sit, quando fide servata conveniunt incontinentiæ causa. -- Ultimo objicit per Apostolum, quod actum conjugalem *per indulgentiam* concedit & indulgentia non est nisi peccati. -- Et respondet Magister distinguendo *de indulgentia* consensionis & permissionis. Ergo copula carnalis, quæ fit causa prolis, indulgetur secundum concessionem sicut minus bonum. Sed concubitus, qui fit causa incontinentiæ, indulgetur secundum permissionem sicut minus malum. Excusatur tamen hujusmodi actus per matrimonii bona.

Ibid. qu. 3. Inter tria bona matrimonii solum duo respiciunt matrimonii actum, scilicet bonum fidei & prolis; bonum enim Sacramenti solum respicit vinculum matrimonii, & non actum; & ideo si actus matrimonii habet excusari per bona matrimonii, hoc erit per illa duo tantum. Quod autem per illa duo sufficienter excusetur, ita ut nullum sit peccatum, quando conjuges conveniunt causa prolis procreandæ, vel ut sibi invicem debitum reddant, probatur &c.

Idem ibid. quæst. 4. Si conjuges conveniant propter fornicationem vitandam, sic dicitur communiter, quod aliquis potest per actum matrimonii intendere vitationem fornicationis in altero vel in seipso. Si in altero, sic non peccat, quia hic est quædam redditio debiti, quæ pertinet ad bonum fidei; & tunc ibi est unum de bonis matrimonii. Si autem intendat vitare fornicationem in seipso; sic est peccatum veniale; quia hoc non provenit, nisi ex superabundantia passionis; superabundantia autem & defectus sunt peccata in moribus. Sed ista sunt dubia. Primum scilicet, quia plus quilibet tenetur sibi quam alii. Si igitur actus matrimonii propter vitandam fornicationem in alio caret omni peccato; fortiori, ut videtur, ratione carebit culpa, quando fit propter vitandam fornicationem in seipso. Nec obstat, quod dicitur, quod tunc est redditio debiti, quæ pertinet ad bonum fidei, quia redditio debiti non habet locum, nisi quando debitum redditur expresse vel interpretative; sed si vir sciat, conjugem tentari de alio, quam de viro suo, & ad vitandam fornicationem in ea accedat cum ipsa, non peccat, & tamen ipsa debitum non petit nec directe nec interpretative, sed solum tentatur de alio; ergo tunc non habet locum redditio debiti. Quod secundo dicitur, quod actus matrimonii peccatum est, quando ordinatur ad vitandam fornicationem in seipso propter superabundantiam passionis, non cogit; quia passio non est superabundans, ita ut sit vitiosa, nisi subvertat judicium rationis; sic autem non est in proposito; quia passio præter judicium rationis non inclinat ad actum sic, ut ex ea sine ratione sequatur actus, sed potius ratio importat ipsum circa materiam debitam ad reprimendam passionem, ne passio tantum prævaleat, ut inclinet ad aliquid illicitum circa materiam indebitam. Dato etiam, quod passio esset vitiosa, quia forte insurrexit præter judicium rationis, tamen non sequitur, quod actus sequens sit vitiosus, qui non imperatur a passione, sed a ratione volente corrigere, quod omisit. Et ideo videtur aliis, quod probabiliter posset teneri, quod actus matrimonii, quando fit causa vitandæ fornicationis in seipso, non fit per peccatum; quia actus, qui non est de se malus, & ordinatur in finem bonum, nullum est peccatum. Si dicatur, quod ad bonitatem actus non sufficit bonitas finis, nisi concurrat bonitas aliarum circumstantiarum, quæ debent actui inesse, & hæ respectu actus matrimonii sunt intentio prolis vel redditio debiti, quæ non concurrunt, quando actus matrimonii fit propter vitandam solam fornicationem.

Item vitatio fornicationis non est principalis finis matrimonii sed generatio prolis, & ideo intentio ejus non videtur sufficere ad bonitatem actus. Dicendum

ad

ad hoc, quod ad bonitatem actus matrimonii non ſemper requiritur redditio debiti; quia fine hoc licitum eſt convenire intentione prolis: nec ſemper requiritur intentio prolis; quia ubi proles non ſperatur, puta in uxore ſterili, vel quæ jam concepit, actus licitus eſt, ſi debitum petatur. Igitur hæ circumſtantiæ non ſunt ſimul neceſſariæ ad bonitatem actus; nec etiam ſub disjunctione, ut ſemper ſit neceſſarium alteram ineſſe; quia quando aliquis actus ordinatur ad plures fines, quorum unus eſt principalior altero, ſi finis principalis non eſt poſſibilis, ſufficit ad bonitatem actus, quod ordinetur ad finem ſecundarium. Sed actus matrimonii ordinatur ad generationem prolis ut ad finem principalem, & ad vitationem fornicationis ut ad finem ſecundarium. Et ideo ſi finis principalis non ſit poſſibilis, ut in ſupradictis caſibus vel conſimilibus, ſufficit ut videtur quod actus ordinetur ad finem ſecundarium, ſcilicet ad vitationem fornicationis; & ſicut actus eſt licitus, quando ordinatur ad generationem prolis, etiamſi debitum non petatur; ita videtur eſſe licitus, quando ordinatur ad ſecundarium, quando principalis finis non eſt poſſibilis, etiamſi debitum non petatur. Si autem finis principalis eſſet poſſibilis, & ad ipſum actus non ordinaretur, videretur, quod actui deeſſet circumſtantia ei principaliter debita, & ſic eſſet vitioſus. Quod autem dicit Auguſtinus in littera, quod incontinentiæ malum eſt, quod vir cognoſcit uxorem ultra neceſſitatem procreandi liberos, intelligendum eſt, quando hoc facit non intentione vitandi incontinentiam, ſed ſatisfaciendo voluptati; ſicut ipſe Auguſtinus poſtea dicit, qui ultra neceſſitatem progreditur, non rationi ſed libidini obſequitur. Et infra: Quid ſecundum veniam concedit Apoſtolus, niſi quod conjuges debitum carnis expoſcunt, non propagationis voluntate, ſed libidinis voluptate? Et hoc quidem peccatum eſt, licet veniale. *Ad primum* argumentum dicendum, quod quando vir accedit ad uxorem ſuam propter fornicationem vitandam in ea vel in ſeipſo, eſt ibi bonum fidei; quia non accedit ad aliam, quam ad ſuam uxorem; & ſic ſervatur fides thori; bonum enim fidei ad plus ſe extendit, quam redditio debiti.

III.

TOSTATUS.

Anno 1440.

Alphonſus Toſtatus, Epiſcopus Abulenſis, qui ſcripſit ingentem librorum eruditorum numerum, obiitque anno ætatis ſuæ quadrageſimo ſæculo XV. *in c. 5. Matth. qu.* 243. ſic ſcribit. Quæritur de temporibus, quibus accedere ad uxorem eſt illicitum, & primum eſt tempore imprægnationis. Dicunt enim quidam, quod peccatum eſt ad uxorem accedere, poſtquam conſtiterit eam eſſe prægnantem. Sic enim dicit Ambroſius 33. c. 4. *Si cauſa*, & Hieronymus 32. c. 4. *Origo*. Iſtos quoque increpat Iſidorus 32. c. 7. *Non ſolum*. Cauſa autem, quare tempore imprægnationis non debent conjuges convenire eſt. Prima. Quia eſt contra intentionem matrimonii, quæ eſt proles. Secunda, quia quando venter multum intumuit, periculum eſt, cognoſcere eam, quia poterit pati abortum. Tertia, quia tempore conceptus non videtur coitus eſſe niſi propter delectationem.

Dicendum, quod tempore imprægnationis ſicut alio quovis tempore poteſt debitum peti & reddi, ſi periculum nullum eſt de abortu. Si putatur eſſe periculum, ut quia venter multum intumuit, vel quia putatur manifeſte propter uxoris diſpoſitionem quod fœtus peribit, non debet peti debitum nec reddi. Sed ſi putetur eſſe aliquis modus cognoſcendi fœminam ſecurus, quo evitetur periculum, etiam mutato modo conſueto licebit reddi debitum. Si autem non timeatur periculum, ut quia novus eſt conceptus, nec dum multum intumuit venter, licite redditur & exigitur; quia matrimonium non eſt inſtitutum ſolum in officium, ſed nunc principaliter in remedium ad vitandum fornicationem 1. Cor. 7. & quia contingit poſt conceptum ipſas prægnantes appete-

re plus coitum, quam ante imprægnationem, ne detur occasio fornicandi, licet eis petere debitum. Maxime quia tempus imprægnationis longum est, & si toto illo tempore obligarentur conjuges abstinere a coitu, difficile eis esset.

Ad primum dicendum; quod verum est, quod si matrimonium ad solam prolem esset institutum, nunquam liceret commiscri conjugibus tempore imprægnationis, quia tamen magis datum est jam in remedium fornicationis vitandæ, quam in officium gignendæ prolis, licet ad uxorem accedere quocunque tempore, quo sine periculo potest cognosci. Et ita loquitur Ambrosius in allegato cap. *Si causa*. Scilicet, si causa procreandorum filiorum ducitur uxor, non multum tempus concessum videtur ad ipsum usum; quasi dicat: Si propter hoc solum ducitur uxor, paucum tempus sufficit ad usum conjugalem. Si tamen causa vitandæ fornicationis ducatur uxor, multum tempus necessarium est, ut sit licitum, ne si arctentur tempora, non inveniatur remedium contra concupiscentiam.

Ad secundum dicendum, quod etiam Hieronymus loquitur de coitu matrimoniali, si fit solum ad prolem gignendam, quia tunc non oportet miscri conjugibus post conceptum. Unde dicit certe, qui dicunt se causa reipublicæ & generis humani filios procreare, imitentur saltem pecudes &c. Et tamen non est matrimonium ad hoc solum, ut dictum est. Ideo etiam in illo tempore licet convenire carnaliter, nisi propter periculum, ut fuit dictum.

Ad tertium dicendum eodem modo, quod Isidorus increpat homines volens deducere eos saltem ad continentiam pecorum; quia honestum est, quod postquam venter uxoris intumuit, quod vir non accedat ad eam. Et tamen si accesserit, non sequitur, quod peccet, cum liceat sibi debitum reddere & exigere.

IV.

JOANNES MAJOR.

Anno 1500.

In 4. dist. 31. Respondebo, quando sit licitum uxorem cognoscere, & quando illicitum. Magnam autem varietatem inter Doctores hic invenio, & viros mea opinione nimis rigidos. Ponam aliquas conclusiones. -- Quarta conclusio. Vir licite cognoscit uxorem gratia vitandi adulterii in seipso. Quia hæc conclusio est contra sanctum Thomam, & Doctorem Seraphicum, probatur sic -- Quinta conclusio. Quis potest uxorem suam licite cognoscere gratia sanitatis habendæ tam in se, quam in uxore sua. Eodem modo gratia serenandæ mentis suæ vel in uxore. -- Septima conclusio. Quidquid homines dicant, difficile est probare, quod homo peccet cognoscendo uxorem suam causa voluptatis habendæ, dummodo non sit in jacturam corporis, vel mentis, vel in jacturam fœtus generandi. Et probo quod non sit peccatum. Si quis comedat plus quam sibi sufficiat, ob solam voluptatem, non peccat. Ergo neque cognoscendo uxorem propriam. Dicendo autem oppositum, ut opinor, multos conjugatos de peccato argues. Præterea in lumine naturali hoc non videtur dicendum; nec authoritate Scripturæ hoc ostendi potest; Ergo licet Doctores etiam sancti dicant contrarium, non habent intentum. Et si forte suasiones hæ tibi sufficiant, non tamen ponitur hæc conclusio tanquam in publico prædicanda, sed ut homo confessiones audiendo possit cognoscere, quando sit peccatum.

Contra 2. concl. secundo arguitur: Elephas non accedit ad elephantem imprægnatam; nec alia bruta fœta seu imprægnata appetunt coitum; ergo mulier nunquam potest petere debitum, quando est gravida, vel senio confecta. Respondetur. Consequentia est nulla;

nam

nam varia animalia varios habent appetitus. Aliqua enim in vere coeunt, ut aſini, cameli, porcus-ſylveſter, & aves: aliqua in decembri, ut urſi; aliqua omni tempore, ut mulier; unde mulier & jumentum ſecundum Ariſtotelem 4 de generatione animalium, imprægnata appetunt coitum. Secus eſt de aliis animalibus. Quare per alia animalia aſſumere argumentum de muliere, nihil eſt. Quod tibi oſtenditur ad oculum. Nam vir ex præmiſſis licite poteſt extra generationem prolis petere debitum; immo licet peccaret, mulier teneretur ei reddere. Si autem abhorreret hoc a natura, non libenter redderet debitum. Deus ergo ei dedit aliam naturam, quatenus viro ſatisfaciat: nec ad alia bruta reſpectum habebis.

Contra 3. *&* 4. *Concl.* ſecundo arguitur per Auguſtinum in l. de bono conjugali. Conjugalis concubitus generandi cauſa non habet culpam; concupiſcentiæ vero ſatiandæ, venialem habet culpam. Idem ponit Gloſſa Auguſtini 1. Cor. 7. & cum (ſatiandæ) ponitur refrœnandæ. Reſpondetur, authoritates Sanctorum non Canonicorum ſunt ſtricte exponendæ, ubi extreme loquuntur, ut in propoſito, & non extendendæ.

V.

ALMAINUS.

Anno 1510.

De Matrim. diſt. 26. quæſt. 1. ſic ſcribit: Circa prædicta apparet difficultas, quod nunquam ſit licitus actus matrimonialis, niſi fuerit relatus in procreationem prolis. -- Dico, quod difficultas eſt inter Doctores. Sanctus Thomas, & Bonaventura, & ferme omnes antiqui dicunt, quod ſi aliquis cognoſcat uxorem, ut vitet fornicationem in uxore, puta quia uxor petit debitum, non peccat. Sed ſi petat ut vitet fornicationem in ſe ſolo, & non referat in alium finem, quod peccat venialiter. Ratio eorum eſt, quia vel cognoſcit ad vitandum ſolum propter hoc, quia movetur ad libidinem? Si ſic, notum eſt, quod eſt neniale. Si non. Jam uſus ille venereorum eſt ſuperfluus, poſtquam non ſentit ſe inclinatum, & non facit propter prolem, tunc dicunt, quod actus ille eſt peccatum. Sed tamen oppoſitum mihi videtur probabilius. Unde Apoſtolus ad Corinthios: Qui non poteſt continere, nubat: hoc dico ſecundum permiſſionem. Ergo ex illa authoritate Pauli videtur, quod eſt mihi licitum uti actu matrimoniali ad vitandam fornicationem in me, ſolum referendo in illum finem. -- Et iſte modus videtur probabilior puta, quod cognoſcere uxorem propter periculum puta quia ſentio me inclinatum, & habeo neceſſarium converſari cum aliquibus, ad præveniendam illam cognoſco, apparet quod talis actus ſit bonus & meritorius.

Quantum ad aliud eſt major difficultas de illo, qui cognovit uxorem referendo præciſe in delectationem. Dico, quod ſi cognoſcat affectu conjugali, quod ſi non eſſet uxor, non vellet cognoſcere, ſed quia eſt uxor, vult percipere delectationem eam cognoſcendo, dicit Thomas & Bonaventura, quod talis actus eſt venialis ad minus. Sed Martinus nititur impugnare opinionem illam cum apparentia magna. Nam temperantia eſt virtus circa delectationes guſtus & tactus; & virtus quæ eſt circa paſſiones, inclinat ad fugiendum paſſiones exoeſſivas, & ad capiendum paſſiones mediocres. Nam qui nullo modo vellet habere paſſiones, eſſet inſenſibilis. Item delectari cum uxore non eſt malum. Ergo ſi tale velle non ſit aliqua mala circumſtantia circumſtantiatum, talis actus non erit malus, & per conſequens non oportet neceſſario, quod omnis actus, quo vult actum exercere cum uxore gratia delectationis percipiendæ, dummodo non conſtituat delectationem tanquam ſupremum finem, ſit malus. Ideo Auguſtinus & alii dixerunt, quod erat veniale peccatum

tum propter vehementem affectionem & excessum. Et sic patet, quid sit dicendum. Argumenta ex dictis facile solvuntur.

Idem l. cc. dist. 31. *quæst.* 1. De redditione debiti sic habet: Dicunt (Doctores, Richardus, & omnes ferme antiqui) quod si committatur talis actus non ad procreandam prolem, quia cognoscit sterilem, aut jam gravidam, vel veteranam, cum (altera pars) petit, actus ille est bonus. Dicunt ulterius, quod quandocunque committitur ab altera parte conjugum actus ille & non propter fidem, aut prolem, quod est ad minus peccatum veniale. Et sic mulier gravida peccat petendo, & sic vir, cujus mulier est gravida, peccaret petendo; sed non mulier reddendo. Similiter veterani exercendo peccarent secundum hanc opinionem, quæ videtur multum dura. Quantum ad hoc Richardus allegat utramque opinionem, & Augustinus & Magister videntur esse hujus opinionis. Sed opinio oppositа videtur rationabilior & apparentior. -- Quod omnis actus carnalis, nisi petatur propter alterum istorum duorum, scilicet propter fidem servandam aut prolem procreandam, quod in omni petente sit peccatum veniale, videtur mihi durum. Et primo videtur rationabilius dicere, quod petere propter fornicationem vitandam non sit peccatum, immo bonum, quia matrimonium pro tempore naturæ lapsæ non est solum institutum in officium, sed etiam in remedium. Secundo, quando petitur ad moderate percipiendam delectationem, vel ad infirmitatem vitandam, aut sanitatem aquirendam, non est peccatum, ut dicit Martinus. Unde secundum Aristotelem temperantia est virtus circa delectationes gustus & tactus, & circa illas passiones; alias nunquam liceret delectari; Ergo stat, quod aliquis actus conjugalis ad illam delectationem licitam percipiendi sit actus bonus: ergo dicere, quod omnis petens ut delectetur, committat peccatum, videtur durum.

VI.

THOMAS SANCHEZ.

Anno 1610.

De matrimonio lib. 9. *disput.* 22. sic scribit: Si tempore prægnationis sit abortus verisimile periculum utendo actu conjugali, manifesta est lethalis culpa petere, aut reddere. Ita *Ricard. Henric. Astens. D. Antoninus. Rosella. Ang. Sylv. Tabien. Abul. Turrec. Petrus de Ledesma*, qui addit, pensandum esse hinc inde periculum abortus fœtus, & ex altera parte incontinentiæ conjugum. Sed existimo, nullum incontinentiæ periculum præponderare posse verisimili abortus periculo, ita ut concubitus eo existente licitus reddatur. Quia illi incontinentiæ discrimini aliis viis & mediis consuli potest absque fœtus damno. Insuper advertunt *Sylv. Ang.* & *Tabiena*, majus esse discrimen abortus circa conceptionis initium utendo actu conjugali. Quia licet teste *Avicenna* matrix post conceptionem claudatur, at vehementi coitus delectatione irritata aliquando aperitur, & materia nondum coagulata effunditur, dispergiturque. Et cum hoc periculo coire, licet damnum illud minime intendatur, ait *Tabiena* esse mortale; sed verius *Sylvest.* & *Angel.* dicunt, non esse mortale. Quia cum materia nondum sit formata, non tanti id damnum faciendum est, ut constituat lethalem culpam in dantibus operam rei licitæ, jureque suo utentibus, nec illud intendentibus.

Quando autem cessat abortus periculum, videtur adhuc lethale esse, uti actu conjugali tempore prægnationis. 1. Quia D. Augustinus de bono conjugii cap. 6. inter nimios excessus hunc computat, ibi: Sunt adeo incontinentes, ut conjugibus, nec gravibus parcant: & D. Ambros. 1. Cor. 7. Ratio conceptus, & partus juxta legem cessare temporibus his debere demonstrant. D. Hier. l. 1. contra Jovinian. Imitentur saltem

pecu-

pecudes, & poſtquam venter uxoris intumuerit, non perdant filios. Ubi Gloſſa verb. *non perdant. c. origo* 33. *q.* 4. reddit rationem, eo quod frequenti concuſſione pereat partus. Et D. Iſid. l. 2. de ſummo bono cap. 39. tunc coeuntes carpit, quaſi pecoribus deteriores ſint, quæ ubi conceperint, ultra non indulgent maribus copiam ſui: atque Tiraq. l. 15. Connub. n. 141. & Hippocratis & aliorum medicorum ſententia probat, periculum eſſe abortus, ſi ad mulierem, quæ recens concepit, vir accedat, & quam deteſtandum id ſit, multis teſtimoniis confirmat; atque l. 9. Connub. n. 85. probat multis adductis, inter animalia ſolam equam temporis prægnationis appetere concubitum: 2. quia talis concubitus videtur contra naturam: fruſtratur enim ſemen illud generationis fine, cum mulier, dum gravida eſt, concipere nequeat.

Cæterum omnes conveniunt Doctores, minime eſſe lethalem culpam etiam exigere tunc debitum. Utrum autem ſit venialis culpa, tunc exigere, ſub judice lis eſt. Quidam enim opinantur, venialem eſſe: quod ſaltem probant teſtimonia Sanctorum, & rationes adductæ. Atque ita ſentire videntur D. Thomas, Albertus M. Ricard. Henric. Alex. de Nero, Roſella, Angel. Sylv. Carthus. Turrecr. Joa. de Friburgo, Tabiena, Eman. Sa, dum diſputantes de culpæ hujus qualitate dixerunt, eam non eſſe mortalem, quaſi ſupponentes, eſſe venialem. Et expreſſe tenent Alenſis, Rainer. Palud. Monaldus. D. Antonin. Gerſon, Aſtenſis. Gaeta. Petrus de Soto. Sotus. Palacios, immo & Gerſon ibi ait, etiam reddere, eſſe culpam venialem.

Primo tamen dico, abſque dubio, nullam eſſe culpam, reddere. Quia ad ſummum peccat exigens venialiter, quoties autem ſola eſt venialis culpa in exigente, tenetur conjux reddere, ut probavimus l. 9. diſp. 6. n. 6. Secundo dico, probabilius eſſe, nec culpam venialem in ea debiti exactione inveniri. Quia nullam prohibitionem reperio; & ubi neceſſitas non cogit, multiplicare culpas non oportet, eo vel maxime, quod matrimonium laqueum injiceret, ſi hæc eſſet culpa venialis. Cum enim magna temporis matrimonii parte uxor gravida ſit; vel abſtinendum eſſet conjugibus fere ſemper a debiti exactione, vel innumera eſſent venialia admittenda. Ita docent Gloſſa c. *ſi cauſa* 33. q. 4. verb. Conceptus. Anton. rubr. De Sponſalibus. n. 14. Abulenſis cap. 5. Matth. q. 243. Supplem. Gabrielis 4. d. 32. q. un. a 2. poſt 11. concl. Nicol. de Orbellis ibi. q. un. §. 4. Alberic. rubr. de Sponſalibus. c. n. 15. Hieron. de Zenetinis tract. de foro conſcient. & contentioſo. n. 141. Verac. 3. p. Spec. a. 17. conc. 3. Matierz l. 5. recop. t. 1. gloſ. 1. rubr. 110. Palacios 4. d. 32. q. 1. Enriquez l. 11. de matrim. c. 15. n. 7. & videtur ſentire Tiraquel. l. 15. connub. n. 141. ubi ait: non omnino interdici concubitum prægnationis, ſed ne modus & temperantia excedatur.

Ad Argumenta propoſita dico, ea omnia teſtimonia (Patrum) intelligenda eſſe, ubi eſſet veroſimile abortus periculum, vel de conſilio loqui. Nec obſtat periculum, quod refert Tiraq. quia id contingit, antequam materia ſit formata, quod non conſtituit culpam mortalem, eo vel maxime, quod rariſſime id accidere experimur, cum tamen crebro & indiſcriminatim viri ad uxores accedant. Ad ſecundum dic, non poſſe tunc fœtum concipi, minime provenire ex natura & modo concubitus, quod deſideratur ut is ſit contra naturam, ſed per accidens, quia fœmina eſt gravida.

VII.

MENS CASUISTARUM GERMANIÆ

De uſu conjugii cum gravidis ab anno 1630. uſque 1730.

I.

P. Sporer, editus Salisburgi 1690. de Sacra-

Sacramentis *part.* 4. *cap.* 4. *sect.* 3. *num.* 487. Licitum est conjugi etiam conjugio uti ad evitandam incontinentiam in seipso tantum, idque etiam absque intentione formali prolis generandæ, utpote quia ob senectutem vel sterilitatem non est spes generandi prolem, vel quia jam imprægnata uxor ultra concipere nequit. Idque etiam si conjuges ob paupertatem vel similem causam non malam optent non concipi, non generari, non multiplicari prolem. Ita contra D. Thomam, & D. Bonaventuram, aliosque veteres non paucos in 4. dist. 31. communis Doctorum cum Navarro, Sanchez, Layman, & aliis passim. -- Nec admittenda est limitatio aliquorum apud Sanchez, tunc solum licitum esse matrimonio uti propter evitandam incontinentiam, quando alia remedia carnis coercendæ non sufficere videntur. Cum enim ipsum matrimonium institutum sit in remedium incontinentiæ, ejusque actus de se honestus sit, cur alia remedia præferri deberent? Esset revera hoc materia infinitorum scrupulorum, & anxietatum conjugibus, præsertim qui sine spe prolis utpote conjuge sterili, vel jam prægnante copulantur, si semper examinare deberent, an aliis mediis v. g. orationibus, jejuniis &c. concupiscentiæ suæ mederi possint. Ita bene notat Layman hic. Infra num. 489. idem author sic pergit: Conjugio uti solius corporalis sanitatis causa, secluſa intentione generandi prolem, vel evitandi incontinentiam, cujus periculum non adest, esse culpam venialem in petente, docent Doctores satis multi cum S. Thoma. Verum id longe probabilius negant, & omni culpa liberant jam alii. Communissima cum Sanchez & Layman citatis.

II.

Layman 1630. de Matrimonio *cap.* 4. sic scribit: Licitum est conjugio uti ob vitandam incontinentiam non tantum in conjuge, sed etiam in seipso. Ita contra S. Thomam, S. Bonaventuram docet Durandus, Paludanus, Major, Cajetanus, Navarrus, Michael Medina, Philiarchus, Ægidius, Coninck, Sa. -- Neque placet limitatio, quam adhibent Paludanus, S. Antoninus, Veracrux, Sanchez, matrimonii usum petere causa incontinentiæ vitandæ tunc solum licitum esse, si alia remedia carnis coercendæ conjugi non sufficere videantur. Cur enim necesse sit semper nova remedia præferre, quando & hoc medium conjugalis usus bonum est, ad eum etiam finem a Deo ordinatum, ab Apostolo commendatum? Profecto valde anxii reddentur conjuges, præsertim qui sine spe prolis copulantur, si examinare debeant, num aliis modis v. g. jejuniis, aliisque carnis afflictionibus incontinentiæ suæ mederi possint. --- Solius sanitatis causa conjugio uti, probabile est, esse culpam venialem. Ita S. Thomas, Paludanus, Antoninus, Ledesma, Veracrux, Henriquez. Dixi *solius*. Quia fatentur Doctores, nullam culpam esse, si conjugii usus principaliter referatur ad prolis generationem, vel ea desperata ad incontinentiam vitandam; secundario vero, & concomitanter ad bonum corporalis sanitatis, aliumve honestum finem. Verum si proles desperata sit, & nullum periculum incontinentiæ urgeat, tunc existimant plerique, usum conjugii non vacare culpa in petente. Quanquam, ut verum fatear, hæc sententia demonstrari non potest; ideoque contrarium non improbabiliter docent Major, Sa, Coninck. Id vero pro certo tenendum est, si aliud servandæ sanitatis medium non suppetat, quod raro fit, tum nihil culpæ esse, ob hunc solum finem conjugio uti, sicuti docet Henriquez, Sanchez, contra Ledesmam.

III.

Illsung in Theologia practica edita Dilingæ 1693. *tract.* 6. *disput.* 9. *quæst.* 4. *art.* 1. §. 2. *num.* 132. dicit: Circa uxorem prægnantem, quando non probabiliter constaret de periculo abortus, e. g. per experientiam (nam per se & ordinarie tale & propinquum periculum nul-

nullum eſt) Doctores, quos refert & ſequitur Sanchez, diſtinguunt inter tempus proximum conceptioni, & inter tempus reliquum uſque ad partum. Circa primum, nempe circa initium conceptionis eodem modo reſpondent, ſicut in duabus prioribus concluſionibus diximus de uxore menſtruata. Quia licet matrix poſt conceptionem claudatur, ut mulier nequeat de novo concipere, eſt tamen ſaltem remotum & aliquale periculum, ut Tiraquelus ex Hippocratis & aliorum ſententia probat, ne aliquando aperiatur, & materia nondum coagulata effundatur ac diſpergatur. Et propterea eſſe peccatum ſaltem veniale docent Sylv. Angelus, & alii a Sanchez relati. Quando vero etiam hoc periculum ceſſavit, adeoque reliquo tempore teſtatur idem Sanchez cum pluribus aliis allegatis, neque peccatum veniale eſſe, petere ac reddere debitum. Quia in contrarium nulla exſtat lex; & eſſet graviſſimum onus, vel periculum multoties peccandi venialiter, ſi daretur obligatio cum uxore habitandi in eodem lecto, & nunquam illa utendi quamdiu gerit partum in utero, nempe quotannis novem menſes. Ita Illſung. In Concluſione vero 1. & 2. ad quam ſe refert, ſic habet: Non eſt peccatum mortale, ſi uxor tempore fluxus menſtrui vel maritus etiam ſciens debitum conjugale petat. — Dicendum tamen ſecundo: Per ſe & ordinarie non vacat culpa veniali, ſi uxor petat debitum a marito, quando patitur dictum fluxum naturalem, vel quando maritum petentem facile poſſet avertere a petitione. Nam ſi non facile, vel non ſine offenſa mariti, vel non ſine aliquo venturo incommodo id poſſet (uti juxta Sanchez vix vel raro poſſet) debet reddere debitum. Idem autem de marito etiam dicendum. Ita communiter Doctores, & qui etiam venialem culpam negant, ſupponunt, ex bono & honeſto fine ac ratione urgente debitum peti, quæ in tali caſu excuſet ab obligatione; propterea etiam in concluſione dixi: *Per ſe & ordinarie*.

Ex hac Illſungii clauſula ſequitur, etiam cum prægnantibus initio conceptionis licitum eſſe coitum *ex ratione urgente* quæ excuſet.

IV.

Buſenbaum 1648. de Matrimonio *dubio* 2. *art.* 1. Uſus matrimonii per accidens eſt illicitus in ſequentibus caſibus. — Octavo. Si fiat abſque urgente cauſa tempore indebito 1. in magna ſolennitate, ut Paſchæ, vel pridie communionis. 2. Quando uxor eſt gravida, ſaltem ſi ſit periculum abortus. Hoc enim ſi non ſit, non erit ſaltem mortale; quod enim tunc ſemen fine ſuo fruſtretur, non ſequitur per ſe ex actu. Unde Diana & Conink nullum peccatum agnoſcunt.

V.

La Croix 1712. *lib.* 6. *part.* 3. *n.* 324. Quamvis abſit periculum abortus, quod communiter abeſt, tamen copulam eſſe illicitam, quando mulier eſt gravida, videntur docere Sancti Ambroſius, Auguſtinus, Iſidorus. — Eſſe veniale tenent plerique, ſed Sanchez & Averſa concludunt cum aliis, per ſe loquendo, ne quidem veniale eſſe; quia matrimonium eſt etiam in remedium concupiſcentiæ; cum autem uxores magna temporis parte gravidæ ſint, nimis periculoſum eſſet ſub peccato obligari tanto tempore abſtinere.

VI.

P. Anacletus Reiffenſtuel, in Theologia Morali, edita Monachii 1692. *tract.* 14. *diſt.* 13. *num.* 89. dicit: Quæres, an ſit licitus actus conjugalis muliere exiſtente prægnante? *Reſp.* 1. Quando mulier eſt gravida, licite redditur & petitur debitum, dummodo abſit periculum abortus. Ita communis. Nam nullo jure hoc prohibitum legitur. Nec obſtat textus cap. *non ſolum* 32. qu. 7. & c. *ſi cauſa*, & c. *origo* 33. q. 4. ubi videtur prohiberi acceſſus ad uxorem gravidam.

Re-

Respondeo enim, hoc esse de consilio, non de præcepto, nisi in casu periculi abortus: unde per se id non est illicitum, quamvis per accidens quandoque non liceat, immo abstinendum sit sive ob nimiam uxoris debilitatem, sive quia abortus timetur.

VII.

Sargar 1697. Lector jubilatus *in Conferentiis Theologico-Moralibus tit.* 8. *de Matrimonio Confer.* 18. *num.* 316. Respondeo, certum esse apud omnes, talem concubitum (præposterum) non obstante, quod servetur vas naturale, esse peccatum mortale, quando est verisimile periculum effusionis seminis extra vas legitimum. Non minus certum, existente aliqua necessitate, quando scilicet dispositio v. g. nimis pinguis corporis in marito vel in uxore gravida tumens venter aliud non permittit, nullum esse peccatum, si id fiat in vase legitimo citra periculum effusionis seminis.

VIII.

P. Juvenalis Ananiensis Ordinis Capucinorum in Nucleo Theologiæ Moralis edito Augustæ Vindelic. 1702. *cap.* 41. §. 1. *num.* 4. Idem dic, veniale futurum in petente, si citra causam rationabilem urgentem fieret indebito tempore, v. g. festo magno, die quo communicas, dum uxor est gravida vel menstruata. Licet quidam rigorosius locuti fuerint, tamen per se loquendo, non erit ultra veniale, cum & aliqui nullum dicant. Vide Sanchez, Sporer. Consequenter usus matrimonialis licitus secundum omnes erit, si fiat causa prolis. Qui tamen finis non necessario semper intenditur. Esto quod D. Augustinus tenuerit contrarium. Immo non peccaret quis, licet affectu simplici, nihil impediendo positive, desideraret prolem nullam concipi, v. g. pauper, ne ultra possibile prolibus oneraretur. Licitus quoque foret, (immo per se loquendo nec esset veniale, ut tenet communis RR.) si fieret ad vitandam in se vel comparte periculum incontinentiæ, (apud Sporer citantur in contrarium S. Thomas, & S. Bonaventura, & veteres non pauci) quod ipsum aliqui dicunt, si solius sanitatis causa.

IX.

P. Babenstuber, in Universitate Salisburgensi Procancellarius, in suo *Cursu Theologiæ Moralis Salisburgensi*, edito Augustæ 1718. *tract.* 8. *par.* 7. *disp.* 4. *n.* 9. sic scribit: Quæritur, an licitum sit petere & reddere debitum tempore prægnationis? Respondeo. Secluso abortus periculo probabilius neque veniale peccatum est tempore prægnationis petere & reddere debitum. Ita Sanchez, Bonacina, Salmantic. Ratio est, quia nulla exstat lex in contrarium: tum quia esset graviſſimum onus vel periculum frequentissime peccandi venialiter, si vir toto prægnationis tempore, nempe per novem menses, idque singulis plerumque annis teneretur abstinere ab usu suæ uxoris, cum qua dormit in eodem lecto. Authoritates, quæ afferuntur in oppositum, intelligendæ sunt vel de consilio, vel de casu in quo est periculum abortus. De hoc autem periculo, quale debeat esse l. cc. Babenstuber sic scribit: Advertit tamen Illsung num. 132. probabilitatem ejus periculi debere constare per experientiam; nam per se & ordinarie nullum esse periculum propinquum, ideoque non timendum, inquit Castropalao num. 10. neque propter illud usu juris sibi debiti conjugem privandum. Ita Theologus Salisburgensis, qui alioquin profitetur, se premere vestigia D. Thomæ.

X.

Elbel 1728. *in Theologia Morali par.* 3. de Matrimonio *Conferentia* 17. *q.* 3. *num.* 411. Ex hoc licet colligere, conjuges a modo debito deflectere, si præ-

po-

poſtere more pecudum congrediantur. Ratio eſt, quia in his modis ſi ſit periculum effundendi ſemen (erit autem periculum a potiori) peccabunt mortaliter. Si tamen aliqui ex tali congreſſu nullum ſentirent periculum, non peccarent, niſi ad ſummum venialiter. Immo etiam a veniali erunt excuſandi, ſi id faciant ex aliqua juſta vel gravi cauſa, utputa ſi mulier jam ſit nimis gravida, & proli periculum timeatur, vel ſi vir eſſet nimium pinguis aut craſſus. D. Antoninus, Sanchez, Maſtrius, Averſa, Card. de Lauræa, Bonac. Baſil. Pontius, & alii apud Clericatum.

Ibid. num. 312. Nonnulli exiſtimant, conjuges venialiter peccare, ſi operi conjugali vacent ad ſanitatem corporis conſervandam, vel reſtaurandam. Verum Coninck, Herincx, aliique plures tales a culpa etiam veniali merito abſolvunt. Quia ſanitas eſt finis de ſe honeſtus, & cum actus conjugalis ſupponatur huic fini deſervire, non apparet, cur ob talem finem evadat illicitus.

Circa hujus authoris textum obſervo, quod peſſime abutatur authoritate Divi Antonini ad ſtabiliendam ſuam doctrinam. Neque enim D. Antoninus inter cauſas, ob quas aliquando licita redditur congreſſio præpoſtera, numerat ſtatum imprægnationis ſeu intumeſcentiæ, prout patet legenti ejus textum part. 3. tit. 1. §. 3. Immo omnem coitum cum prægnante docet eſſe peccatum veniale ſtatim ſequente §. 4. allegando Paludanum, cujus authoritati, ubi non contradicit, univerſim acquieſcit. *Sciendum*, inquit, *ſecundum Petrum & Richardum, quod tempore prægnationis reddere debitum, non eſt peccatum; & reddere debet, ſi non eſt periculum abortus. Poteſt etiam exigere in dicto caſu abſque mortali; ſed ubi eſſet periculum probabile abortus, nec debet exigi nec reddi; alias eſſet mortale ſecundum Petrum de Palude, qui etiam dicit, quod petere debitum tali tempore ſemper eſt veniale, ſi tamen non ſit periculum abortus: ſed valde reprehenſibile eſt, ut homines non contineant tempore conceptus, quod beſtiæ faciunt &c.* Obſervo etiam, eidem authori obſtare authoritatem D. Antonini in exactione debiti cauſa ſanitatis, ut patet l. cc. legenti §. 11. *Videndi ſunt*, inquit, *caſus, in quibus actus conjugalis eſt peccatum veniale.* -- *Tertius* (caſus eſt) *cum fit cauſa infirmitatis vitandæ, quia quamvis utrumque liceat ſeorſim appetere, non tamen unum propter alterum, quia iſta cauda non eſt hujus vitali.* -- *Quintus, quandocunque aliud intendit, quam id ad quod ordinatur conjugium ſcilicet vel ad prolem vel ad reddendum debitum.* Ex hoc ergo patet, D. Antoninum peſſime allegari.

Omitto plures minus celebres Theologos morales; exceptis enim iis, qui inſiſtunt D. Thomæ veſtigiis, plerique in hanc ſuorum æqualium viam abeunt relictis antiquis ſemitis, parvi ducentes, ſi ſentiant *contra D. Auguſtinum, D. Bonaventuram, D. Thomam, D. Antoninum, & antiquos non paucos.*

§. VII.

Solutio Objectionum.

Objicitur 1. Patres, dum exaggerant coitum cum gravidis, tantum volunt monſtrare, in eo actu reperiri quandam *indecentiam*, non autem *peccatum*. Ita Raynaldus *de ortu infantium per ſectionem cæſaream* c. 11. ubi, poſtquam ſibi objecerat nonnullos Patrum textus improbantium coitum cum gravidis, fatetur quidem, in his textibus verborum obvium corticem ſonare peccatum, ſed eſſe nihilominus ſolum intelligendos de indecentia. *Hæc*, inquit, *video plus ſonare, quam INDECENTIAM propoſitam; & acceſſum ad gravidam culpæ non levis damnare. Ut tamen hæc & alia, quæ adverſus acceſſum ad gravidam traduntur ab Auguſtino, & ab aliis, (quicquid verborum cortex præferat) accipiam tantum de indecentia incontinentiæ indice, & imperfectionem, non culpam inferente, ſuadet ratio paulo ante propoſita.*

Ra-

Ratio autem ejus erat, quia alioquin laqueus injiceretur conjugibus. Idem in *Heteroclitis* puncto 14. De Sacramento matrimonii num. 40. dicit: Aliqui in eo conjugii (cum gravida) commercio peccatum mortale agnoscunt, alii veniale, ut late refero in Examine sectionis Cæsareæ C. 11. Sed vera sententia ibidem stabilita fert, usum illum conjugii nulla peccati labe sordere ac ne veniali quidem labecula inquinari. Et qui annis superioribus in primaria Galliæ urbe de sacro suggesto contrarium improvide buccinatus erat, merito a majoribus ad palinodiam est adactus. Admittebam tamen prædicto loco, usum illum, etiamsi labis purum, non vacare indecentia, sicut secundæ nuptiæ usquequaque a peccato immunes sunt, tamen non vacant indecentia. Nec plus ferunt loca Patrum, commercium conjugale cum uxore gravida improbantium, vel si plus voluerunt, molliendi sunt, & in hunc usum inflectendi. Ita Raynaudus.

Respondeo, hanc Raynaudi explicationem pluribus de causis esse dignam reprehensione. Nam si verba Patrum in sensu obvio accepta plus dicunt, quam indecentiam, quænam est tam urgens ratio recedendi a sensu verborum obvio? illa videlicet unica, quod alioquin conjugium, conjugibus foret in laqueum: Quæ ratio quam levis sit, videbimus Objectione alia. Secundo, posito etiam, quod daretur ratio alicujus gravis momenti contra doctrinam Patrum in sensu obvio acceptam, insistendum potius foret traditioni, quam rationi fallibili. Cum enim pro obvio verborum sensu præsertim in dogmaticis fidei & morum regulis stet violenta præsumptio, ea sane non cederet nisi rationi evidenti ac demonstrativæ in contrarium. Pessimis aperitur janua consequentiis, si dogmata fidei & morum vel in Scriptura vel in traditione Patrum expressa licuerit detorquere a sensu verborum obvio præcise ob sensum rationis humanæ fallibilem, eumque tantummodo reperibilem in Doctoribus, nullo speciali sanctitatis adeoque luminum supernorum dono præsumptive præditis. Tertio incongrue dicitur, quod, *si Patres plus velint, molliendi* & in sensum molliorem *inflectendi sint*. Quid enim hoc aliud est, quam dicere, *si Patres plus velint*, falsa interpretatione ad faciendum lectoribus sucum exponendi sunt. Quarto denique falsum est, a Patribus non culpari usum conjugii cum gravidis de peccato veniali, sed tantummodo de indecentia; quod sequentibus argumentis ostendo. Primo, si usus conjugii cum gravidis tantum contineret indecentiam sicut secundæ nuptiæ, prout Raynaudus declarat, deberent Patres eodem modo invehi contra secundas nuptias, quo modo inardescunt contra usum conjugalem cum gravidis. Sed ubi tam crebro, tam fervide, tam unanimiter invehuntur contra secundas nuptias, prout exagitant illum conjugalem abusum cum gravidis? falsum ergo est, a Patribus solum agnosci indecentiam in illo conjugali abusu, qualis reperitur in secundis nuptiis. Secundo, Indecentia solum est quædam libertas morum non quidem dese repugnans Deo aut rationi, absona tamen a more hominum cultorum, ac modestorum, retinentium videlicet suam naturalem libertatem ac commoditatem causa vitandi aliis nauseam, displicentiam, aut fastidium. Jam vero ubi Patres unquam conspirarunt contra ejusmodi ad legem Dei indifferentes anomalias morum? Profecto non est hoc officium Patrum Ecclesiæ, ut doceant civilitatem morum, & instar moderatoris aut ludimagistri castigent inurbana, sed ut accensi zelo extinguant injurias Dei, & animarum eluant maculas. Tertio, si usus conjugalis cum gravidis solum continet indecentiam, castigandam nuda verborum ferula, minus efficaciter poterit convinci erroris Mahometes, dum Surà. 4. Sodomiam sola increpatione verborum & crepidis puniri permittit, prout P. Maraccius juxta genuinam Alcorani versionem observat, considerat enim illam, Pseudopropheta solum instar indecentiæ, qualem committunt pueri lectum commaculantes. Eandem Sodomiam permittit in uxoribus,

prout

prout idem parte 4. Prodromi Refut. in Alcoranum c. 26. oſtendit ; haud dubie ſeductor ille id indulſerit in remedium concupiſcentiæ. Quarto denique id patet ex ipſis Patrum textibus juxta leges Hermeneuticas inſpectis. Quod enim de vero peccato & non de ſola indecentia loquantur, probatur ſequentibus argumentis. Nam 1. Joſephus & Athenagoras teſtantur, coitum cum gravidis *lege* improbari. Leges autem Moſaycæ & Chriſtianæ dum verſantur circa actiones occultas non litigioſas, pertinent ad obligationem conſcientiæ, non ad honeſtatem morum publicam. 2. Clemens Alexandrinus oſtendit, coitum cum gravidis repugnare rationi, cujus intentio univerſim debet eſſe intentioni naturæ circa actiones naturales conformis; omnis autem deordinatio rationis eſt peccatum veniale, utpote naturæ rationalis corruptio ac dehonoratio. 3. Idem coitum cum gravidis ponit cum ſtupris, adulteriis, & aliis actibus libidinoſis tanquam objectum prohibitionis divinæ ; ergo cum prohibitio divina, qui illa omnia ſubſtant, quoad reliqua ſua ibi deſignata objecta ſit obligatoria in conſcientia, ejuſdem rationis erit relate ad coitum cum gravidis, imprudenter enim ſumeretur idem terminus in eadem propoſitione æquivoce nullo edito indicio æquivocationis, aut ex natura ſubjectæ materiæ aliunde manifeſto. 4. Idem ejuſmodi coitum conſiderat, *tanquam ſi cornibus inutiliter ſemen mandetur* ; dicit ſemen *injuria affici* ; docet, *ſenem degenerare* (in materiam nocivam) *niſi matricis ſulcis committatur*, prout tamen non fit in gravidis, quarum matrix occluſa eſt, vocat etiam ejuſmodi coitum *probroſum* & *vituperandum*. Addit, *nefas eſſe*, operantem jam naturam moleſtia afficere, & ſuperflue ad libidinem prorumpere. Sic coire dicit eſſe *naturam injuria afficere*. Argumentatur a pari cum ſuperfluo cibo ac potu, atque univerſim quod naturæ ſuperfluum eſt, *eſſe a diabolo* pronuntiat. Illud omne refert ad *concupiſcentiam carnis* in Apoſtolo ream, quod in his venereis eſt ultra neceſſitatem. Hæ expreſſiones millies uſurpantur a Patribus, ubi caſtigantur peccata ; & inter mille ſimiles loquendi formulas vix adduci poterit exemplum unicum, ubi adhibeantur præciſe contra incivilitatem morum; itaque moraliter certum eſt, illis innui peccatum. 5. Origenes ſic coeuntes comparat *incircumciſis* præputio, & *equo ac mulo*, quibus non eſt intellectus, quæ in Scriptura repræſentantur, ut objecta diſplicentiæ atque indignationis divinæ, adeoque ut peccata. 6. Lactantius dicit, *a Deo damnari*, quidquid appetitur ultra generandi cupiditatem. 7. Idem docet, *legem a Deo datam*, ac *legem divinam* eſſe, cui *ſumma devotione parendum* eſt, ut, ſicut oculi non poſſunt licite uſurpari ad alium finem, niſi ad quem creati, ita nec membra genitalia, niſi ad generationem prolis, adhiberi poſſint. 8. D. Athanaſius teſtatur, uſum conjugii *peccato non carere*, niſi legitimus ſit; legitimum autem ſolum eum definit, qui eſt ad liberorum procreationem. 9. Nazianzenus tum ſolum *bonum matrimonium* eſſe declarat, quando eſt prolis cupiditas. 10. S. Ambroſius docet, hoc pertinere ad juſtitiam Dei, in animalibus nobis præmonſtratam, ut poſt conceptionis munus agnitum non repetatur concubitus uſque ad partum. 11. Idem docet, per coitum cum gravidis *contaminari fœtum*, & *Deum exaſperari*, *inceſtari ſacrum uteri ſecretum*. 12. Idem docet, *pudorem* abſtinendi a gravidis *naturæ* adeoque non præciſe morum eſſe. 13. D. Hieronymus coitum hunc ad illa opera carnis refert, quæ Apoſtolus enumerat & damnat ſub nomine *immunditiæ*. 14. Idem monet, vel *in ipſis beſtiis jure ipſo naturæ præſcriptum* eſſe, ut prægnantes ad partum uſque non coeant. 15. D. Auguſtinus dicit, *præſcribi a lege Dei*, ut æſtus concupiſcentiæ contentus ſit fine procreandorum liberorum; nuptias *excuſari a ſola cauſa procreandorum liberorum* ; ſicut in cibo & potu non niſi ſalutem corporis, ita in concubitu non niſi procreationem liberorum intuendam. Diſcrimen inter gravia &

levia peccata non humano sed divino esse pensanda judicio; coitum autem ob incontinentiam ad genus peccatorum levium pertinere. *Quod*, inquit, *putari posset, non esse peccatum*, nisi Apostolus diceret; *Secundum veniam*. Quis autem jam esse peccatum neget, cum dari veniam fateatur? Idem docet: *Propter hæc & hujusmodi peccata oportere, ut quotidie dicamus: Dimitte nobis debita nostra.* Ergo Augustinus hoc peccatum æquiparat cum aliis peccatis venialibus, quæ per orationem Dominicam remittantur, utique veris peccatis. Idem asserit; concupiscentiam, si ei excepto motivo generandi ceditur, *peccando satiari*. Illud, quod concupiscentia ultra procreandi necessitatem excedit, esse *veniale malum*. *A lege æterna, idest, voluntate Dei*, non ut serviatur libidini, sed ut proles procreetur, carnis delectationem relaxari. *A lege illa æterna*, quæ ordinem naturalem conservari jubet, *statui*, non nisi propagationis causa concubitum fieri. Non concedi secundum veniam, nisi peccatum. Quosdam viros adeo esse incontinentes, ut nec uxoribus gravidis parcant. Conjugalem concubitum generandi gratia non habere culpam, concupiscentiæ vero satiandæ venialem habere culpam. Reddere debitum nullius esse criminis; exigere autem ultra generandi necessitatem esse culpæ venialis; fornicari vero esse puniendi criminis. Alia bona nobis Deum dare, quæ propter seipsa expetenda sunt, sicut est sapientia; alia, quæ propter aliquid sunt necessaria, sicut cibus, somnus, concubitus: Eum peccare, qui his bonis, quæ propter aliud necessaria sunt, non ad hoc utitur, ad quod instituta sunt. Absurdissime dici, eos non peccasse, quibus venia datur. A nuptiis impetrari, ut ignoscatur ille concubitus, qui fit per incontinentiam non sola causa procreandi. Eum concubitum, qui ultra generandi necessitatem progreditur, libidini obsequi. Conjuges, si tali concupiscentia subigantur, ut conveniant non ex sola causa generandi, habere hujus delicti deprecatrices nuptias. Quod est in cibo licito immoderatior appetitus, hoc in conjugibus esse venialem concubitum, qui nullam prolem quærit. Eos conjuges, qui miscentur ut modum non teneant Tabulis nuptialibus præscriptum liberorum procreandorum causa, ædificare ligna, fœnum, stipulam super fundamentum, salvos fore, cum ardere cœperit, quod ædificant, sic tamen quasi per ignem. In ipsis concessis peccata esse, quæ eleemosynis mundanda sunt, v. g. cum quis utitur uxore amplius, quam necessitas procreandorum liberorum exigit, vel cum in alimentis amplius accipitur, quam necesse est. Quotidiana quidem hæc esse, sed tamen peccata esse. Sæculares homines debere agere pœnitentiam, quia propter administrationem rerum familiarium, & conjugiorum vincula tam multa peccant, ut non tam de istius mundi pulvere aspergi quam luto obliniri videantur; hujus exemplum ponit coitum propter incontinentiam; solam enim generandi causa esse inculpabilem commixtionem. Multa esse peccata, quæ dum homines faciunt, putant se non peccare; v. g. utendo immoderatius uxore, corrumpi templum Dei; utendo uxore ultra generandi necessitatem, offendi Deum. His & pluribus similibus expressionibus D. Augustini arbitror, manifestum esse, quod in coitu cum gravidis agnoverit verum peccatum veniale, ac proprie dictum. 16. S. Fulgentius similiter docet, coitum, nisi solum causa prolis fiat, culpa non vacare, quæ oranti & bene operanti remittitur. 17. D. Gregorius docet, talem coitum sine culpa non esse, quamvis minima; non enim sine vitio esse, quod ignoscitur. D. Paulum peccatum agnovisse, quod posse indulgeri prævidit. 18. S. Isidorus declarat, peccatum esse, quotidianis eleemosynis & orationibus expurgandum, quidquid in conjugali actu amplius fit, quam necessitas procreandorum liberorum cogit. 19. Pœnitentialia pro tali actu pœnitentiam imponunt, utique pro peccato. 20. B. Petrus Damianus dicit, turpe dictu esse, nec prægnantibus parci, & homi-

homines non erubeſcere, violare caſtitatis regulam, quam animalia cuſtodiunt. Hæc omnia oſtendunt, a Patribus non ſolam agnoſci indecentiam morum, ſed etiam peccatum in coitu cum gravidis.

Objicitur 2. Lex abſtinendi a gravidis foret nimis obſervatu difficilis; cum enim praxis, Eccleſiæ univerſalis ſenſu approbata, habeat, ut conjuges dormiant in eodem lecto, quomodo moraliter poſſibile eſt, perſonas juvenes non ſentire pruritum carnis; & tamen majori anni parte continere exæſtuans ſemen, cujus retentio dicitur nociva ſanitati?

Reſpondeo. Argumentum ſolvendum eſſe in innumeris perſonis partim ſolutis, partim conjugatis, qui non patiuntur minores ſtimulos carnis, quin tamen iis liceat exonerare ſemen. Dantur enim & conjugati partim abſentes a conjugibus, partim habentes uxores infirmas, aut ex alia cauſa reluctantes, ſic & D. Auguſtinus obſervat, non ſolum in appetitu carnis ſed etiam in appetitu gulæ quotidianam eſſe pugnam, ac raram victoriam, ut animus ſe non ſaltem leviter trahi patiatur a voluptate. Nec tamen propterea Deus ſuſtulit legem.

Reſpondeo. 2. Difficultatem quidem eſſe maximam, eam tamen minui poſſe ab iis, qui voluerint amplecti vitam moderatam ac mortificatam cujuſvis ſtatui congruam. Nam inprimis conjugati habent facultatem exercendi actum conjugalem, uſque dum fuerint certi de conceptione per motum infantis in utero indubium, aut per notabilem intumeſcentiam uteri, quæ omnia ſolent primum contingere medio circiter tempore inter conceptionem veram & nativitatem. Itaque cum conjugati ordinarie habeant circiter quatuor menſes cum dimidio pro uſu conjugii, intra hoc ſpatium debilitari poteſt ſufficienter concupiſcentia in homine alioquin moderato, ut contineri poſtmodum poſſit per anni dimidium. Secunda cauſa correctiva concupiſcentiæ eſt affectus maritalis ac paternus, quo conjugem reſpicit ac tractat. Ut enim teſtatur D. Auguſtinus l. de bono conjugali c. 3. *Reprimitur & quodammodo verecundius æſtuat concupiſcentia carnis, quam temperat parentalis affectus: intercedit enim quædam gravitas fervidæ voluptatis, cum in eo ipſo, quod ſibi vir & mulier adhæreſcunt, pater & mater eſſe meditantur.* Tertia cauſa, quæ vires frangit concupiſcentiæ, eſt gratia, præſertim Sacramentalis. Ut enim Chriſtus dicit Math. 19. *Apud homines hoc impoſſibile eſt; apud Deum autem omnia poſſibilia ſunt.* Quartum medium moderandi concupiſcentiam eſt mortificatio; videlicet fatigatio, labor, refrænatio oculorum, temperantia gulæ, continentia aurium, jejuniorum uſus, ciliciorum geſtatio, orationum aſſiduitas. &c. Qui his remediis uti voluerint, non ſentient nimis magnam difficultatem; qui vero vacant otio, ludis, choreis, laſcivis comædiis, conviviis. &c. & negligunt econtrario præſcripta media, ultro ſe conſtituunt in neceſſitate peccandi moraliter inſuperabili. D. Paulus certe ad ſæculares ſcripſit cujuſvis ſtatus: *Qui Chriſti ſunt, carnem ſuam crucifixerunt cum concupiſcentiis.* Gal. 5. *Mortificate membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram.* Col. 3. *Ut deſtruatur corpus peccati.* Rom. 6. Hæc igitur difficultas in ipſa conditione legis chriſtianæ ſita eſt, in qua vinci poteſt & debet. Cæterum Eccleſia antiqua adeo non credidit, hanc difficultatem eſſe inſuperabilem, ut eam etiam auxerit præcipiendo abſtinentiam ab uſu conjugii in Quadrageſima, & aliis diebus feſtis, prout patet ex Pœnitentialibus ſupra relatis. Quod vero Eccleſia conjuges conſtanter, etiam tempore imprægnationis, eodem thoro ſociet, id veroſimile eſt fieri ad vitanda majora mala, quæ ab incontinentibus maritis vel uxoribus frequentiſſime committerentur, ſi difficilior redderetur debiti exactio, & recuſatio facilior. Major etiam foret zelotypia ſuſpicioſorum conjugum, & in domeſticis major obſervatio, ſi conjuges interdum ſolum dormirent ſimul.

Reſpondeo 3. invertendo argumentum. D. Auguſtinus agnoſcit maximam difficultatem in tranſigendo matrimonio ſi-

ne peccato, quæ tamen non daretur in adversariorum sententia. *De bono conjugali* c. 13. dicit, *Quod tam magnum est, ut multi hodie facilius se tota vita ab omni concubitu abstineant, quam modum teneant non coeundi, nisi prolis causa, si matrimonio copulentur.*

Objicitur 3. SS. Patres tantum videntur damnare coitum ex motivo libidinis seu voluptatis quærendæ susceptum, cum in multis adductis textibus hoc solum motivum exprimant & improbent. Ergo culpa vacat coitus, in quo non quæritur voluptas, sed unice intenditur devitatio periculi incontinentiæ.

Respondeo, Patres non obscure distinguere inter actum conjugii, qui fit causa libidinis prævenientis & sollicitantis consensum; & eum qui fit causa libidinis subsequentis imperium voluntatis; v. g. ab Augustino l. 2. contra Julianum c. 35. & c. 10. & l. 3. c. 14. & 16. & c. 21. & l. 5. c. 9. & c. 12. utrumque tamen docent fieri causa libidinis, prout in probationibus ostensum est. Sive enim cedatur libidini sollicitanti, aut minanti; sive quæratur ultro, semper tamen verum est, actum fieri causa libidinis. Sicut sive fornicatio, adulterium, furtum, homicidium, &c. fiat ad instantiam amasiæ; sive fiat in ejus gratiam quamvis non sollicitantis, semper tamen verum est, hæc crimina fieri *causa amasiæ*; *ob amasiam*, *ex motivo placendi amasiæ*. Hinc licet Patres distinguant inter coitum causa intemperantiæ, & eum ubi intenditur voluptas in ordine ad gravitatem culpæ, simpliciter tamen in ordine ad licentiam actus non distinguunt, sed eam restringunt ad solum motivum generandi, & quidquid ex hoc motivo non fit, id dicunt fieri ob *libidinem seu voluptatem*, puta aut in sensu sollicitantem actu, aut allicientem in ratione sola vel phantasia; atque ad *libidinem* aut sopiendam, aut quærendam. Hinc D. Augustinus Serm. 34. *de diversis* recte huc refert illud Apostoli: *Ut sciat unusquisque vas suum possidere non in morbo desiderii.* Quod & habet l. 5. contra Julianum c. 9. cedere enim desiderio carnis est cedere libidini, & *facere curam carnis in desideriis*, quod reprehendit Apostolus ad Rom. 13.

Objicitur 4. D. Augustinus pluribus indiciis ostendit, se in hoc puncto non loqui de peccato veniali proprie ac theologice tali: nam 1. in Enchiridio c. 78. dicit, coitum ex causa vitandæ intemperantiæ eodem modo esse peccatum, quo modo est peccatum habere litem justam coram tribunali legitimo. *Cum Apostolus*, inquit, *finit in Ecclesia talia judicia finiri inter fratres fratribus judicantibus, extra Ecclesiam vero terribiliter vetat, manifestum est, etiam hic, quid secundum veniam concedatur infirmis. Propter hæc & hujusmodi peccata oportet, ut quotidie dicamus, dimitte nobis debita nostra.* Ergo sicut talis actio forensis in causa justa non est peccatum theologicum, ita neque præfatus coitus, qui ab Apostolo indulgetur *secundum veniam*. 2. D. Augustinus cum suis sequacibus D. Fulgentio, D. Gregorio &c. dicit, quod ipsæ nuptiæ pro hoc delicto sint *deprecatoriæ*, & impetrent conjugibus sic conjugibus veniam. Si autem ille actus esset peccatum theologicum, consistens in deordinatione positiva voluntatis, non posset remitti sine positiva retractatione voluntatis formali explicita, aut interpretativa, ac implicita. Si enim conjuges de hoc peccato sanctificantur per ipsas nuptias, sequitur, quod hæc condonatio peccati sit condonatio actus non solum præteriti, sed etiam præsentis ac futuri, ut proin conjuges non debeant esse solliciti de eo evitando: talis autem condonatio ex ipsa conditione status de actu præsenti & futuro non datur circa peccata theologica. *De bono conjugali* cap. 10. sic scribit: *Hoc eis hortatore Apostolo secundum veniam conceditur; cujus delicti non habent hortatrices nuptias, sed deprecatrices.* Et l. 1. *De nuptiis & concupiscentia* c. 14. *Quid* (aliud) *enim secundum veniam concedit Apostolus, nisi quod conjuges, dum se non continent, debitum ab altero carnis exposcunt, non vo-*

voluntate propaginis, ſed libidinis voluptate? Quæ tamen voluptas non propter nuptias cadit in culpam, ſed propter nuptias accipit veniam. Quocirca & hic ſunt laudabiles nuptiæ, quia & illud, quod non pertinet ad ſe (nempe coitus ſine motivo prolis) *ignoſci faciunt propter ſe.* 3. Conſtat aliunde, quod D. Auguſtinus vocet eas actiones peccatum, quæ nullam habent libertatem, ſed præciſe veniunt ex peccato originali. Ergo etiam fieri poteſt, ab eo hoc loco peccatum ſumi improprie.

Reſpondeo ad 1. D. Auguſtinum agnoſcere in ejuſmodi litibus peccatum ratione pravi animi in ejuſmodi actionibus forenſibus plerumque intervenientis, nempe aut quærentis vindictam, aut deſiderantis detrimentum alienum. Hanc enim ſe habere de litigantibus ideam oſtendit Serm. 37. Sirmond. ubi ait: *Ille litigat, qui adverſarium ſuum vult detrimentum pati, ſe augmentum.* Et in Pſal. 108. *Non eodem modo placet pœna iniquorum accuſatori, inimicitia ſe faturare cupienti, & judicii recta voluntate peccata punienti.* Videtur ergo loqui de *actione injuriarum* intenta coram judice, de qua & loquitur Apoſtolus eo loco 1. Cor. 6. his verbis: *Quare non magis injuriam patimini?* in tali enim actione plerumque ineſt animus vindictæ. Verum quidem eſt, quod in textu ipſo D. Paulus forte non agat de delicto peccaminoſo, quia in Græco tantum habetur: ἥττημα ἐν ὑμῖν ἐστὶν. *Defectus, ſeu infirmitas eſt in vobis.* Ex contextu tamen D. Auguſtini colligitur, quod eum locum Apoſtoli intelligat de proprie dicto delicto. Poteſt pro-in dici hunc eſſe ſenſum D. Auguſtini, errare eos qui exiſtiment, in juſtis litibus forenſibus nullum timendum eſſe peccatum; ac ſimili modo errare & illos, qui in uſu conjugali cum uxore putent nullum timendum eſſe peccatum. Sic enim & in Scriptura in mercatura ac negotiatione agnoſcitur peccatum, eo quod frequenter inſit; quo modo loquendi ſæpe aliqua tribuuntur generi actionum, quæ non conveniunt ſingulis. v. g. *in multiloquio non deerit peccatum.* Prov. 10. *Non juſtificabitur caupo a peccatis labiorum* Eccl. 26. *Inter medium venditionis & emptionis anguſtiabitur peccatum.* Eccl. 27.

Ad 2. Reſpondeo, nuptiarum Sacramentum hoc impetrare, ut coitus cauſa incontinentiæ cum gravida non ſit peccatum mortale, prout tamen foret, niſi excuſaretur per ſtatum conjugalem; neque enim de ſe differt a coitu meretricio, in quo non intenditur proles. Itaque nuptiæ ſunt deprecatrices, & actu hoc obtinent a Deo, ut ejuſmodi actum non interdicat ſub pœna æterna, ſed pro eo acceptare velit ſatisfactionem temporalem.

Ad 3. Reſpondeo, etiamſi nomen peccati ab ipſomet S. Auguſtino aliquando ſumatur latius pro quocunque defectu naturæ corruptæ, ea tamen termini acceptio eſt minus uſitata, adeoque non habet præſumptionem pro ſe. Dein etiamſi terminus eſſet indifferens ad utrumque ſenſum, in hac tamen materia ex contextu & intentione loquentis aliunde nota conſtanter determinatur ad ſenſum peccati theologici; quia in contextu & alibi docet, hoc peccatum eſſe eluendum bonis operibus, oratione Dominica, eleemoſynis &c. item illo offendi Deum: quæ omnia locum non habent circa peccata improprie dicta. Addo, Divum Auguſtinum, quando loquitur de peccato improprie dicto, monere de illa acceptione, ne detur erroris occaſio. Sic enim monet lib. 2. contra Julianum cap. 9. ubi dicit: *Quamvis* (illa lex peccati in membris noſtris, quæ alio modo etiam peccatum vocatur, poſt baptiſmum) *jam non eo modo appelletur peccatum, quo facit reum; ſed quod ſit reatu primi hominis factum, & quod nos trahere nititur ad peccatum.*

Dices cum Franciſco B. Spei Noctuæ dub. 5. append. 2. D. Auguſtinum tantum intelligendum eſſe de eo, quod non eſt ordinatum ad vitam æternam, quod tamen licite ſeu cum venia fit.

Reſpondeo. Jam fuiſſe oſtenſum ex D. Auguſtino, talem actum non licite fieri:

ri : actus præcise indifferens non pertinet ad ea, quæ in oratione Dominica cum aliis quotidianis delictis ad obtinendam remissionem deprecanda sunt. Dein D. Augustinus nullum admisit actum indifferentem in individuo, prout in tract. de *actibus humanis* ostendi. Si ergo talis actus non est meritorius vitæ æternæ, erit necessario meritorius supplicii.

Objicitur 5. Verba Apostoli, quibus indulget Corinthiis coitum propter intemperantiam, sunt prorsus indifferentia vel ad significandam nudam *permissionem* minoris mali præ majori, vel ad significandam *concessionem* licitam, prout recte Magister Sententiarum observat; tum quia illa verba: *Hoc dico secundum indulgentiam*, non solum referuntur ad coitum causa incontinentiæ, sed etiam ad ipsum conjugium, nempe ad illud, ubi prius dixerat: *Propter fornicationem unusquisque suam uxorem habeat*, & colligitur ex subsequentibus: *Volo autem omnes vos esse sicut meipsum*. Tum etiam quia textus græcus æque significat *concessionem*: τοῦτο δὲ λέγω κατὰ συγγνώμην. Ergo Divus Augustinus, qui post se traxit reliquos Scriptores Ecclesiæ Latinæ, non recte asserit, *absurdissime negari & dubitari non posse*, hoc loco Apostoli denotari peccatum; corruente autem hoc ejus fundamento etiam in hoc articulo ejus authoritatem corruere aut minus valere necesse est.

Respondeo. Quamvis interdum συγγνώμην significet concessionem, aut epikiam, seu moderationem legis, regulariter tamen in melioribus authoribus græcis antiquis significat ignoscentiam, seu veniam delicti, prout videri potest in Lexico Roberti Constantini. Sic & Justinianus Novella 139. sumit nomen latinum *Indulgentia*. Retulit ad nos gloria tua, inquit, incolas Syndios illicitis contractis nuptiis (in gradu prohibito) in nostram incidisse Constitutionem, ac propterea nonnullos supplicasse, ne uxores a se dimittere compellantur. Sancimus, ut pro hujusmodi indulgentia denas auri libras præbeant. Manichæi volentes imitari Apostoli hanc veniam, concedebant suis auditoribus veniam comedendi carnes in sensu latiore, teste D. Augustino lib. 31. contra Faustum c. 5. sed, prout non assequebantur Apostoli spiritum, ita nec verborum Apostolicorum sensum. Itaque cum termini sumi debeant in sensu obvio ac magis trito, ubi ad sensum minus usitatum non cogit natura subjectæ materiæ, aut intentio alia loquentis aliunde nota, recte hic terminus a Divo Augustino in illo sensu usitatissimo. Addo, etiamsi terminus foret æquivocus, recte tamen a D. Augustino urgeretur in sensu determinato ex eo, quod ad hunc sensum determinatum restringatur ex ipsa natura subjectæ materiæ, nempe ex ipsa evidenti deordinatione actus repugnante naturali institutioni ac fini actionis. Constat enim ex Critica, ac Hermeneutica, verbis de se indifferentibus revera convenire illum sensum, quem habent ex circumstantiis, aut ex subjecta materia non idonea ad alium sensum.

Objicitur 6. Deus potest permittere, & actu etiam permisit ex fine altiore aliquas actiones, etiamsi in iis reperiatur aliqua deordinatio naturæ, aut defectus finis immediati connaturalis. Ergo etiam potuit permittere ejusmodi coitum ex altiore fine, præsertim supernaturali.

Antecedens probatur, quia sic in Veteri Testamento permisit libellum repudii, de se contrarium primæ institutioni ordinatissimæ. Sic & in V. T. permisit pluralitatem uxorum.

Eadem probantur ex Origene & Tertulliano. Nam Origenes in Matth. tract. 7. ad illa verba: *Num legistis quoniam, qui fecit, ab initio masculum & fœminam fecit eos*, sic scribit: Ad illud, quod (Pharisæi) objecerunt dicentes: Quomodo Moyses præcepit dare libellum repudii? ait: propter duritiam cordis vestri. Vidit enim, quia non omnis causa juste solvit conjugium: sed quoniam oportet virum cohabitare mulieri, quasi vasi infirmiori, & reddere ei honorem, & sustinere onera vitiorum ejus, eos convincit dicens: *Num legistis* &c.

-- & quod debet eſſe inter eos, qui a Deo junguntur, dignum Deo (vinculum) addidit: *Itaque jam non ſunt duo*, ubi enim concordia eſt & conſenſus viri ad mulierem, & mulieris ad virum, jam non ſunt duo, ubi ex æquali comparatur uxor viro: & quoniam Deus conjunxit, ideo gratia eſt in eis, quos Deus conjunxit. Quod Paulus ſciens caſtam conjunctionem gratiam appellavit, dicens: Unuſquiſque habet propriam gratiam ex Deo. -- Quid ergo Moyſes præcepit dare libellum repudii? Quoniam Moyſes non tantum aſpexit quæ ſit vera juſtitia, ſed ſecundum infirmitatem eorum, propter quos lex ponebatur, condeſcendens plura mandavit. Quoniam autem ſecundum infirmitatem eorum dabatur, & non ſecundum juſtitiam, ſubjectus ſermo demonſtrat dicens: *Ab initio non fuit ſic*. Et in novo quoque Teſtamento ſunt quædam non ſecundum veram juſtitiam, ſed ſecundum duritiam cordis hominum carnalium conſtituta; utputa propter duritiam cordis veſtri lex data eſt dicens: Bonum eſt mulierem non tangere; propter fornicationem autem unuſquiſque propriam habeat uxorem, & unaquæque ſuum virum. Si autem hoc propter duritiam cordis noſtri mandatum eſt, quanto magis illud propter duritiam cordis noſtri eſt, quod alibi dicit de viduis volentibus iterum nubere. Quod ſi ſe non continent, nubant; melius eſt enim nubere, quam uri.

Tertullianus ad uxorem *de unis nuptiis* lib. 1. cap. 2. Apud veteres noſtros, ipſoſque Patriarchas non modo nubere, ſed etiam plurifariam matrimoniis uti fas fuit. Erant & concubinæ. Sed, ut ſimpliciter (ſine recurſu ad ſenſum allegoricum) interpretemur, neceſſarium fuit inſtituere, quæ poſtea aut amputari aut temperari mererentur. Superventura enim lex erat. Oportebat legis adimplendæ cauſas præcucurriſſe. Eidem mox legi ſuccurrere habebat ſermo Dei circumciſionem inducens ſpiritalem. Igitur per licentiam tunc paſſivam materiæ ſubſequentium emendationum præminiſtrabantur, quas Dominus Evangelio ſuo, dehinc Apoſtolus in extremitatibus ſæculi aut excidit redundantes, aut compoſuit inconditas.

Confirmatur. Inſignes Doctores docent, Deum jam in paradiſo quoad creationem & legum conſtitutionem reſpexiſſe ad præviſum ſtatum peccati; ergo veroſimile eſt, ſic eum ordinaſſe membra humana, atque eorum leges, ut non eſſet contra rationem ille uſus in una conjuge ad conſervandam pacem & charitatem conjugalem, & ad conſervandam incolumitatem propriam tum animæ, tum corporis inſurgente æſtu libidinoſæ commotionis nulla alia data reprehenſibili cauſa. *Antecedens* probatur ex ipſo S. Auguſtino, dum lib. 9. de Geneſi ad Litteram cap. 9. dicit: *Cur non coierunt* (primi parentes) *niſi cum exiſſent de paradiſo? Cito reſponderi poteſt, quia mox creata muliere facta eſt illa tranſgreſſio. Poteſt etiam dici, quia nondum Deus juſſerat, ut coirent. Ideo autem hoc non juſſerat Deus, quia ſecundum ſuam præſcientiam diſponebat omnia, in qua & eorum caſum procul dubio præſciebat, unde jam mortale genus propagandum eſſet humanum.*

Reſpondeo, nullum poſſe oſtendi actum a Deo unquam generaliter permiſſum, in quo fruſtretur finis naturalis immediatus a conditore, ſeu, ut moris eſt loqui, a natura intentus: permiſſio polygamiæ & libelli repudii non tollit fines naturales ac immediatos conjugii, ſed tantum mutat atque ordinat modo minus perfecto fines acceſſorios conjugio, nempe educationem prolis, conjugalem amorem &c. Hoc autem non dedecet Deum, ut, ubi perveniri poteſt ad finem diverſis mediis, quorum unum ſecundum ſe eſt aptius altero ad obtinendum hic & nunc majus bonum extrinſecum altioris ordinis, eligat medium minus aptum ad finem immediatum inferioris ordinis.

Ad Confirmationem dico, potuiſſe quidem Deum in paradiſo diſponere dependenter a præſcientia lapſus, non tamen contraria præordinationi ſuæ naturali

causarum naturalium tollendo in eorum actibus fines naturales immediatos in creatione intentos : hæc enim præordinatio causarum naturalium est præstabilita antecedenter ad præscientiam actionum humanarum moralium : prius enim in præscientia Dei intelligitur homo esse juxta conditionem suæ naturæ, antequam intelligatur operari bene vel male.

Dices : Juxta Lactantium lib. 6. Institut. cap. 23. Deus inter cætera animantia solius sexus fœminei humani sic ordinavit genitalia membra, ut adhuc post conceptionem esset patiens viri sine fastidio ; quod in animantibus aliis non contingit. Cum ergo hujus conformationis organorum non possit reddi alius finis naturalis immediatus, colligendum, Deum jam in ipsa creatione provide respexisse ad casum Adami possibilem, sicque eum voluisse ordinare remedium incontinentiæ ; adeoque concessio coitus cum gravidis non repugnat præordinationi divinæ in creatione factæ.

Respondeo. Deum propterea in homine capaciora quam in aliis animantibus creasse fœminea generationis organa, ut moderatio esset arbitrii & meriti, non naturæ, prout ipsemet Lactantius l. cc. & Hieronymus observat. Sic & circa esculenta in brutis sic Deus ordinavit naturam stomachi & appetitivæ facultatis, ut ne quidem admitteret superflua aut noxia sine fastidio : econtra in homine limites temperantiæ non præscribit natura, sed ratio. Sicut ergo ex hoc discrimine inter homines & bruta inferri nequit, Deum in ipsa creatione respexisse ad casum Adami, ac propterea sic ordinasse organa refectionis, ut satisfieri possit non soli necessitati, sed etiam ultra necessitatem gustui & voluptati aut civilitati, & magnificentiæ ; ita etiam ex ea capacitate organorum inservientium generationi non sequitur, Deum in ipsa creatione laxare voluisse viam liberam ac licitam incontinentiæ ultra limites rationis. Charitas vero & pax conjugalis habent alia conservatoria connaturalia, nempe animi virtutes ministeriales ; nec foret ordini divinæ sapientiæ congruum, si libertatem carnis ordinaret tanquam medium ad libertatem spiritus, & ordinem tranquillum charitatis.

Objicitur 7. Deus compatiens infirmitati humanæ ob corruptionem naturæ ex lapsu Adami actu dispensavit in variis legibus naturæ integræ aut puræ ; ergo ex motivis hactenus adductis præsumendum, idem Deum fecisse circa usum matrimonii causa incontinentiæ ; adeoque etiam corruit probatio conclusionis secunda. *Antecedens* probatur ex licentia polygamiæ, & libelli repudii, & ex communi sensu Patrum ; asserentium matrimonium institutum esse in remedium concupiscentiæ, utique non in lege naturæ integræ, aut puræ, sed post lapsum Adami. *Confirmatur* ex communi sensu Theologorum, negantium universim omnes leges moraliter inobservabiles ob difficultates provenientes ex corruptione naturæ, quamvis sublata ejusmodi difficultate, prout revera in paradiso non daretur, non foret causa negandi legem.

Respondeo. Eas leges naturales, quarum æquitas & bonitas dependet ab ordine actionis ad bonum commune immediate ac unice, mutari posse ex diversa habitudine status communis, ad cujus bonum actio immediate refertur ; hujusmodi enim leges non tam mutantur intrinsece quam objective ; immo potius evolvuntur ad diversas circumstantias boni publici, quas diversimode respiciunt, quam immutantur. Tales sunt leges de unitate & indissolubilitate conjugii. Econtra illæ leges naturales, quarum æquitas & bonitas immediate dependet ab ordine ad finem actionis naturalem, quem habet determinate ex proportione organorum, mutari non possunt ex diversa habitudine objecti in ordine ad bonum generale, quia ratio legis consistens in ordine actionis & organorum immediato ad finem naturalem non mutatur. Talis autem est ordo coitus ad generationem. Patres, dum asserunt, matrimonium fuisse institutum in remedium concupiscentiæ, loquun-

quuntur tantum de fine adſcititio, ac ſecundario, in quo præſupponitur finis primarius ac naturalis, nempe intentio prolis. Hoc autem non eſt contra ordinem rationis, ut eadem res ad plures fines ſubordinatos ordinetur; ſic enim non deſtruitur intentio conditoris ordinantis res naturales, v. g. organa generationis, ad finem immediatum naturalem, ſed magis perficitur.

Dices: Si exactio debiti a gravida foret contra legem naturæ & contra ordinem rationis ex ipſa natura actus, non liceret in tali caſu reddere debitum; quia non licet cooperari ad actionem intrinſece inhoneſtam, v. g. actum ſodomiticum aut copulam imperfectam, aut ad pollutionem, aut exceſſum in cibo, inebriationem, occiſionem innocentis, comeſtionem carnis humanæ, percuſſionem parentis, & ſimilia: nam ubi deficit jus, etiam deficit exactio & redditio juris; atqui omnes Patres conveniunt, in tali caſu reddendum eſſe debitum, quamdiu non agitur de periculo prolis.

Reſpondeo. Ad ea, quæ ita repugnant bono utili aut honeſto generis humani, ut ſemper in omni circumſtantia ſint prohibita ſub gravi tales actiones committentibus ultro, nunquam licet poſitive & active cooperari; & talia ſunt ſodomia, mollities &c. Econtra ad ea, quæ ita repugnant bono utili vel honeſto generis humani, ut tantum meruerint ſe prohiberi ſub levi; qualia ſunt, quæ tantum conſiſtunt in ſuperfluitate ſine gravi privatorum aut communitatis nocumento, ad ea, inquam, licet aliquando cooperari ex graviorum malorum generalium metu, ubi nulla intercedit ultronea electio propriæ voluntatis, & hunc juſtum metum ac licentiam agnoſcit & approbat aut timoratorum conſuetudo aut lex, aut, ubi conſuli conſuetudo aut lex non poſſunt, ratio evidens.

Talis eſt autem concubitus cum conjuge ceſſante periculo prolis ſuperfluus. Cum enim hic actus tantum ſit prohibitus ſub veniali culpa, colligitur, malum, cui levis pœna infligitur, tantum non eſſe, ut ex comparatione majoris mali non poſſit cooperatio metu extorta indulgeri a Deo in eo, qui reddit debitum ad evitanda majora mala. Tenetur tamen reddens debitum deprecari conjugem, ne exigat in ſtatu imprægnationis certæ, ſi videt ſe aliquid precibus effecturum.

Ex his dictis autem colligitur, talem concubitum cum uxore gravida in reddente debitum non poſſe dici intrinſece malum. Illud enim vocandum eſt intrinſece malum, quod meretur ita prohiberi ſub gravi in omnibus circumſtantiis, ut in nullo unquam caſu ex aliorum majorum malorum vel bonorum præponderantium motivo evadere poſſit licitum; & tale eſt v. g. mendacium, irreverentia in divinis interna.

Objicitur 8. D. Chriſoſtomus docet, poſt lapſum Adami non procreationem prolis, ſed remedium concupiſcentiæ eſſe primarium motivum conjugii; Ergo, qui ex hoc primario matrimonii motivo utitur conjugio, non peccat, l. *de Virginitate*: c. 18. *Matrimonium inſtitutum quidem eſt cauſa procreandorum liberorum, ſed multo magis ad reſtinguendum naturæ ardorem. Atque id Paulus teſtatur dicens: PROPTER FORNICATIONEM UNUS QUISQUE UXOREM HABEAT; non ob liberorum procreationem; rurſumque convenire jubet, non ut multarum prolium parentes fiant. Sed cur? NE VOS TENTET*, inquit, *SATANAS: ac progreſſus non dixit: Sin optant liberos. Sed quid? QUI SE NON CONTINENT, MATRIMONIUM CONTRAHANT. Principio enim* (matrimonium) *duplicem hanc occaſionem habebat; ſed deinde terra, ac mari, atque orbe repleto unus duntaxat prætextus eſt reliquus, nequitiæ & libidinis abolitio*. Plures ſimiles Chryſoſtomi textus habentur in recenſione Scriptorum, de quorum mente poteſt dubitari in hoc articulo. Vide & infra num. 19. & 21.

Reſpondeo; librum *de Virginitate* a D. Chryſoſtomo probabilius jam fuiſſe ſcriptum ante ſuſceptum presbiteratum,

aut

aut certe circa initium presbiteratus', quia illius mentionem iniicit in Homilia 19 in Ep. 1. ad Cor. quam presbiter Antiochiæ habuit. Itaque ſi reperiretur inter ejus dicta oppoſitio, inſiſtendum foret potius poſterioribus, quam prioribus. Jam vero in textibus poſterioribus conſtanter ad licentiam ſeu irreprehenſibilem uſum conjugii requirit ſimul intentionem prolis, v. g. in Acta, & in Epiſtolas D. Pauli & in Pſalmos, quæ omnia ad populum expoſuit poſt jam ſcriptum librum de Virginitate. Verum non opus eſt confugere ad contrarietatem textuum. *Reſpondeo* enim 2. D. Chryſoſtomum in ea fuiſſe ſententia, in paradiſo non fuiſſe futurum matrimonium, ſed homines in eo ſtatu procreandos alio quodam modo Deo poſſibili, quomodo & Adam & Eva procreati ſunt. In hac ergo ſuppoſitione dicit, primarium motivum *inſtituendi matrimonii* ex parte Dei fuiſſe concupiſcentiam, non quod primarium motivum *ſuſcipiendi matrimonii* debeat eſſe ex parte hominis: id enim negat pluribus in locis prout patet conferenti ejus textus. *Reſpondeo* 3. Etiamſi etiam primarium motivum matrimonii contrahendi ex parte hominis foret remedium concupiſcentiæ, non ſequitur, idem motivum ſufficere ſine ſecundario generandæ prolis; quia illud motivum primarium ſedandæ concupiſcentiæ poteſt obtineri per conjugium ſtante obligatione ad conjungendum uſum conjugii cum intentione conformi ad intentionem actus ſeu naturæ, nempe generandi prolem. Itaque ex poſitione illius primarii motivi in contractu conjugali non ſequitur deſtructio obligationis ad alterum motivum in uſu conjugali. Immo, quod D. Chryſoſtomus a poſitione illius motivi nolit ſeparare obligationem ad intentionem generandæ prolis, poſitive probo ex combinatione ejus textuum in ordinatum Syſtema doctrinæ, in quo obvia eſt omnium ejus dictorum ratio. Docet itaque.

1. In paradiſo nec futuram fuiſſe concupiſcentiam, nec matrimonium. num. 14. & 19.

2. Concupiſcentiam ingreſſam eſſe in mundum ob peccatum Adami. num. 14. & 19.

3. Deum ex occaſione hujus concupiſcentiæ ordinaſſe conjugium, ac voluiſſe ut homines mediante coitu naſcerentur, qui alioquin in paradiſo alio modo fuerant orituri. num. 14. & 19.

4. Id Deum primario motivo ſic ordinaſſe, ut hoc remedio compeſceretur concupiſcentia; hoc ſolum illi fuiſſe motivum, cur hunc modum nativitatis humanæ ordinaverit; nam ceſſante hoc motivo ordinaſſet alium modum ortus humani. 14. 19. 27.

5. Voluiſſe tamen Deum, ut homines contrahentes conjugium non ſolum intenderent remedium concupiſcentiæ, ſed etiam procreationem liberorum. n. 6. 7. 13. 15. 19. 22.

6. Eundem voluiſſe, ut coitus ordinetur ad procreationem prolis. 1. 3. 5. 7. 8. 16. 18.

7. Quod ſi conjuges coirent tantum ad vitandam incontinentiam, id quidem ſupplicio æterno dignum non eſſe, attamen vituperari ab Apoſtolo, & notari de ſocordia. n. 16. & 18.

8. Cæterum juvenibus, eo tempore ad omnem luxuriam diſſolutiſſimis, ſuadet, ut omni tempore potius conjugio utantur; quam in ſtupra, vel adulteria proſiliant.

Hoc eſt Syſtema doctrinæ D. Chryſoſtomi, quantum colligitur ex ſubjectis ejus textibus. Ubi obſervandum, quod dum *concupiſcentiam* vocat homini *naturalem*, idem velit dicere, ac *congenitam*. Quod enim per hoc non faveat Pelagio, liquet ex eo, quia docet, concupiſcentiam ingreſſam eſſe in mundum per peccatum Adami. Obſervandum etiam, quod nomen *ſupplicii* ſimpliciter acceptum ſoleat ſumere pro ſupplicio æterno, prout & patet ex n. 23. 25. & 14. ubi monet, conjugatum etiam poſſe incurrere ſupplicium, utique æternum, nempe in caſu divortii, in quo ſeparati conjuges debent manere innupti, nec poſſunt uti remedio conjugii. Obſervandum denique, dum

D.

D. Chryſoſtomus talem coitum cauſa intemperantiæ vehementi vituperio & increpatione dignum pronuntiat, eoipſo ab eo inſinuari tacite rationem intercedentis peccati venialis. Adeoque authoritas D. Chryſoſtomi adeo non obeſt concluſioni, ut potius eidem faveat. Textus autem hujus S. Doctoris huc reſpicientes ſunt ſequentes.

D. CHRYSOSTOMUS.

Anno 390.

1. In 2. Epiſt. ad Cor. c. 11. Hom. 23. Paulus poſtquam (conjuges) ad tempus duntaxat disjunxit, idque ex conſenſu, rurſus ut conveniant, conſulit. *συμβαλέυει* fluctus videlicet libidinis extimeſcit; ne forte ea grave naufragium efficiat. -- Illi affectus (concupiſcentiæ) ob neceſſitatem nobis inſiti ſunt, nimirum concupiſcentia procreandorum liberorum cauſa.

2. Et in c. 2. Epiſt. ad Gal. loquens de circumciſione adhuc Judæis indulta, dicit: Paulus non concedit (judæis circumciſionem) ut rem factu neceſſariam, ſed diſpenſationem quandam implet. *οἰκονομίαν*. Quale quiddam & in Epiſtola ad Corinthios ſcripſit: *Ne fraudetis invicem, niſi forte ex conſenſu ad tempus, ac rurſum convenite in unum*. Ne putares, eum hoc pro lege ſcribere, ſubjunxit: *Hoc autem dico ſecundum Indulgentiam, non ſecundum imperium*; eo quod hoc non eſſet authoritativum judicium, ſed indulgentia erga illorum incontinentiam.

3. Ibidem in c. 5. Concupiſcentia ad liberorum procreationem vitæque conſervationem data eſt; non ad adulterium, ſeortationes, atque laſcivias; ut pater fieres, non ut adulter; ut legitime verſeris cum uxore non ut eam contra fas corrumpas; ut relinquas tuum ſemen; non ut alienum vities. *ἐπὶ μοιχείαν, καὶ πορνείαν, καὶ ἀσέλγειαν· ἵνα καταλίπῃς σπέρμα, οὐχ ἵνα τὸ ἑτέρου λυμήνῃ.*

4. Idem in Epiſt. ad Epheſ. cap. 1. Hom. 2. dicit: Die, quæſo quænam neceſſitas nos ducit ad admittendum adulterium? Certe, inquis, tyrannis libidinis. Quare, dic mihi, non licet tibi tua uti uxore, & libidinem ſedare, & compeſcere? --- Atqui ad coitum fortaſſe impellit neceſſitas? Ut hanc autem aut illam ames, non eſt neceſſitatis. Nam utrum magis eſt rationi conſentaneum, eamne habere, quæ eſt deſponſa, quæ eſt ſocia filiorum procreationis, an eam quæ non eſt cognita? Neſcitis, quod conſuetudines pariunt amicitias? Quamobrem non eſt naturæ. Noli accuſare concupiſcentiam. Data eſt propter matrimonium; exhibita eſt ad liberorum procreationem, non propter adulterium, neque propter ſtuprum.

5. Ibid. cap. 5. Hom. 20. Oportet (a die nuptiarum) auferre turpia cantica, immundorum juvenum circuitiones; hoc enim poterit ſponſam modeſtam reddere. Statim enim cogitabit: O qualis eſt hic maritus! Eſt philoſophus; hanc vitam nihili ducit; ad procreandos liberos & educandos me domum ducit, & ad domum cuſtodiendam. Dein inſtruens ſponſum, quomodo ſponſam alloqui debeat, ait: Nos, o filiola, te vitæ ſociam accepimus, & te introduximus ad ſocietatem in iis, quæ ſunt præſtantiſſima, & maxime neceſſaria, nempe in liberorum procreatione, & domus cura & adminiſtratione.

6. Idem in c. 1. Epiſt. ad Philipp. Hom. 3. Non potes in virginitate degere? licet tibi matrimonio jungi.

7. Idem in cap. 4. Ep. ad Coloſs. Hom. 12. loquens de immoderantia lachrimarum dicit: Nos eas reprehendimus, dum iis non utimur ad ea, ad quæ nobis datæ ſunt. Sicut ergo riſum reprehendimus, eo importune utentes, ſic etiam lachrimas, importune eas uſurpantes: Tunc enim cernitur uniuſcujuſque (actionis) virtus, quando ducitur ad ratam ſui muneris functionem; quando autem ad alieni, nequaquam. Ut, vinum datum eſt ad lætitiam, non ad ebrietatem; panis ad nutritionem; coitus ad liberorum procreationem. Sicut

ergo

ergo ista vituperantur, quando præter eorum finem usurpantur (παραχρώμενα) ita etiam lachrimæ: dein reprehendens saltationes meretricias in nuptiis, dicit: Quid facis, o homo? Nescis, quid agas. Mulierem ducis ob temperantiam, & liberorum procreationem. Quid ergo volunt sibi meretrices?

8 Idem in 1. Epist. ad Thess. c. 4. Hom. 5. Junior incipiens lascivire & se dedere libidini usque ad primam & secundam vesperam laudabit quidem suam uxorem, postea autem cito dilabetur ad illam lasciviam ac petulantiam, quærens molles & fractos gestus, & omnem aliam turpitudinem. Ingenua autem non sustinet hæc exhibere, neque seipsam inquinare. Ad vitæ enim societatem, & liberorum procreationem viro fuit desponsa, non ad turpitudinem, & risum; ut domum custodiat; ut illum quoque erudiat ad honestatem, non ut ipsi exhibeat fomenta scortationis.

9. Idem in c. 2. Epist. ad Titum. Eum, qui uxori legitimæ congrederetur ad senectutem usque, nemo culparet. -- D. Paulus; *rursus ad idipsum revertimini*: plurimisque in locis videatis ipsum de concubitu leges ferre eaque voluptate perfrui sinere. ---- De pecuniis multa præcipit Christus, non sic autem de abstinentia congressus, & rescissione concubitus. Noverat enim quanta naturæ esset inserta hujusmodi violentia.

10. Idem in cap. 12. Epist. ad Heb. Hom. 30. Si quis fuerit junctus matrimonio, non scortetur, sed uxore utatur; nam hoc quoque est sanctificatio. Quomodo? Non est enim sanctificatio matrimonialis conjunctio (γαμος) sed matrimonialis conjunctio trahit sanctificationem ab ipsa fide, non permittendo fornicationem. Honorabile enim est connubium (γαμος), non sanctum. Mundum est connubium; non autem ministrat sanctificationem, nisi quod prohibeat eam polluere, quæ per fidem data est.

11. Idem in c. 5. Matth. Hom. 17. ad illud: *Qui viderit mulierem ad concupiscendum*, dicit: Si vis videre atque ex visu capere voluptatem, aspice propriam conjugem, & eam ama jugiter. Et in cap. 18. Hom. 60. reprehendens parentes, quod tam sero liberos nuptui tradant, postquam jam fornicationi assueti sunt, dicit: Juventutem (liberorum vestrorum) omni turpitudine inquinari negligitis, nescientes, hoc esse matrimonii lucrum, corpus mundum servare.

12. Idem in cap. 19. Joa. Hom. 84. Sicut ad servandam prolis successionem Deus procreandi cupiditatem hominibus indidit, non tamen prohibens continentiæ altiorem viam, ita & vitæ nobis inserit desiderium &c.

13. Idem in Acta Apost. c. 24. Hom. 50. Oportet non divitem (uxorem) quærere, sed ut habeamus communem sociam ad liberos procreandos.

14. Idem de Virginitate cap. 9. Nec vero matrimonium in malis pono, quin vehementer etiam laudo. Est enim iis, qui recte eo uti velint, continentiæ portus, naturam efferari non permittens. Nam legitimo coitu, quasi scopulis quidam objectis, eoque sustinendis libidinis fluctibus, nos in summa tranquillitate collocat ac tuetur. -- Stupra vero & adulteria, matrimonium nequaquam; illa audentes castigo; hoc qui faciunt, dumodo modeste ac sapienter id faciunt, etiam laudo. εἰ σωφρονοῦσι. Etc. 15. Cur non ante deceptionem primorum parentum matrimonium prodiit? cur non in paradiso coitus? Et cap. 17. Si Adamus mansisset, eo (matrimonio) opus non fuisset. At quomodo, inquis, tot millia prodiissent? Ego vero a te quæro; unde Adamus, unde Eva non interveniente matrimonio? Et c. 18. Matrimonium igitur institutum quidem est causa liberorum procreandorum, sed multo magis ad restinguendum naturæ ardorem. Atque id Paulus testatur dicens: *Propter fornicationem suam quisque uxorem habeat*, non ob liberorum procreationem; rursumque convenire jubet, non ut multorum prolium parentes fiant: Sed cur? *Ne vos tentet*, inquit, *Satanas*; ac progressus, non dixit, sig-

ſin optant liberos : Sed quid ? *Qui ſe non continent, matrimonium contrahant.* Principio enim, ut dicebam, duplicem hanc occaſionem habebat ; ſed deinde terra, ac mari, atque orbe omni repleto unus duntaxat prætextus eſt reliquus, nequitiæ & libidinis abolitio. Et cap. 39. Paulus dicit: *Quod ſi ſe non continent, contrahant matrimonium ; ſatius eſt enim matrimonium contrahere, quam ardere.* Vides, per ſe nuſquam ſuſpici matrimonium; ſed propter fornicationem, tentationes, atque intemperantiam: nam ſupra hæc omnia recenſet; hic, quod eos convitiis male mulctaſſet, rurſum gratioſioribus verbis eandem rem appellat ; incendium & ardorem nominans. Quanquam neque hic omiſit, quin auditorem feriret. Non enim dixit, ſin libidinis vim ullam ſentiunt, ſin tranſverſi aguntur, ſin non poſſunt. Nihil ejuſmodi, quod eorum eſt, qui aliquid dignum venia patiuntur. Sed quid ? *Si ſe non continent* ; quod eorum eſt, qui propter ignaviam elaborare nolunt. Id enim ſignificat, eos, quibus res in manibus eſſet, detrectando laborem eam non perficere. At ne ſic quidem in eos animadvertit, ac ſuppliciis addicit; ſed laude ſolum privat, atque in verborum ſolum vituperio vehementiam adhibet, liberorum procreationem, plauſibilem hanc & ſpecioſam matrimonii cauſam nuſquam memorans, ſed ardorem, intemperantiam, fornicationem, ac tentationes Satanicas, eaque ne evenirent, rem permittens. Et quod tum, inquies ? Nam, ſi a ſupplicio liberat, verborum convitia facile feremus, dummodo delitiis, & concupiſcentia jugiter uti liceat. Quid vero, bone vir, ſi delitiis uti non licet, an vituperium ſolum feremus ? Et quomodo, inquies ? an non licet delitiis uti, cum Paulus dicat; *Si ſe non continent, contrahant matrimonium?* Audi porro, quæ iis hæreant. *Conjugibus præcipio non ego ſed Dominus, uxorem a viro non diſcedere ; quod ſi diſceſſerit, manere innuptam.*

15. Ibidem c. 25. Bonum eſt matrimonium, quippe quod & virum retinet in officio temperantiæ, neque in libidines provolutum interire ſinit. Habet enim ingens commodum, non permittendo, ut membra Chriſti membra ſcorti fiant, nec ut templum ſacrum profanetur ac impurum fiat. -- *Bonum eſt*, inquit Paulus, *mulierem non tangere.* Cur igitur tangere permittis ? Propter fornicationem, inquit. Vereor, ne in fornicationis barathrum decidatis. Et cap. 34. In matrimonio degentes (Paulus) diutius abjungere veretur, ne quem diabolus aditum inveniat -- Nec diabolus ſolum, ſed ipſe etiam libidinis ſtimulus coelibes urget acrius; nam quorum habemus uſum, eorum cupiditate haud facile tangimur, ſecuritate animo ſegni eſſe permittente. Itaque hac ratione major eſt apud conjuges tranquillitas. Dein quod ſi flamma iis altius quandoque eluctetur, eam protinus ſuccedens congreſſus reprimit. Et cap. 38. Paulus conjuges admodum commode tractat, cum nec altero volente eos mutua conſuetudine defraudet, nec defraudationem ex conſenſu longius producat -- ſed illos tantiſper ſuſpenſos iterum recreat. Et cap. 46. de Eva loquens ait: Quin illud etiam afferri poſſet, eam ad præſentis vitæ ſtatum, liberorum procreationem, atque inſitam in natura libidinem adjumentum datam eſſe. Ubi vero nec amplius tempus eſt præſentis vitæ, nec liberorum procreandorum, nec concupiſcentiæ, quid fruſtra de adjutorio memoras?

16. Idem lib. de Virginitate cap. 34. Adhucne quiſquam matrimonium cum virginitate contendere auſit? At non permittit Beatus Paulus, ingens utriuſque rei diſcrimen edens. *Eodem*, inquit, *convenite, ne vos Satanas tentet.* Ac volens oſtendere, non totum ejus tentationi deberi, ſed noſtræ etiam ignaviæ plurimum, principaliorem cauſam addit, inquiens, *propter veſtram intemperantiam.* Quis non id audiens erubeſcat ? Quis non intemperantiæ notam effugere moliatur ? Neque enim cohortatio hæc ad omnes pertinet, ſed ad valde projectos. Quod ſi, inquit, tam es ſervus volu-

voluptatum, si tam præfractus, ut semper in venerem effusus atque inhians sis, congredere sane cum uxore. Non est igitur permissio hæc probantis ac commendantis, sed irridentis ac condemnantis. Nam nisi voluptuariorum mentem egregie tangere voluisset, intemperantiæ vocem non adhibuisset, quæ vehemens est, & ingens vituperium continet. Cur enim non dixit, *propter vestram imbecillitatem*. Quod ea vox magis ignoscentis esset, illa *intemperantiæ* summam ignaviam notantis. Igitur intemperantiæ est, non posse abstinere a fornicatione, nisi uxori semper hæreas, ac coitu fruare. Quid mihi hic dicent, qui virginitatem supervacaneam statuunt? Nam hæc quo intensior est, eo majorem habet laudem. At matrimonium, ubi eo plus satis utare, tum maxime laudis omnis expers est. *Id enim*, inquit, *dico secundum indulgentiam*. Ubi vero indulgentia, laudi nullus est locus. -- De virgine sententiam dicit; hic indulgentiam præbet.

17. Idem lib. 3. *De vita monastica* c. 13. Pudicitiam is, qui uxorem habet, facile servare posse videtur, quippe solatio non minimo suffultus -- verum sic quoque plures longe videas lapsos ex conjugatorum, quam monachorum ordine. Quod si in eis certaminibus, quæ facillima illis toleratu sunt, quippe thoro legitimo subnixis, ita se superari facile permittunt, quid in aliis perturbationibus acturi existimantur, quibus longe amplius quam monachi pulsantur? Nam concupiscentia quidem, ardorque congressus muliebris his vehementius imminet, quippe uxorum contubernio & solatio carentibus.

18. Idem lib. *De non iterando conjugio*. Mollem atque ad libidinem proclivem esse, ac ne jejunii quidem tempore aut quovis alio ab uxore abstinere, longe quidem & multum a supplicio abest, non tamen prope eo, ut laudari possit, accedit. Nam hæc ipsa permissio nihil aliud est, quam signum magnæ, cujusdam infirmitatis ac socordiæ.

19. Idem Hom. in illud: *Propter fornicationem unusquisque uxorem suam habeat*. Nuptiæ præsens sunt adversus fornicationem remedium. -- Hæc duo sunt, propter quæ conjugium est institutum, ut caste vivamus, & ut patres fiamus. Horum autem duorum primarium est (προηγουμένη) castitatis occasio. Postquam enim ingressa est libido, conjugium quoque ingressum est, ut immoderatum usum resecaret, & persuaderet, ut una muliere contenti essemus. Non enim omnino conjugium efficit, ut liberos suscipiamus, sed illud verbum Dei, quod dicit: *Crescite & multiplicamini*. Itaque primaria causa (προηγουμένη αἰτία) est moderatio castitatis, idque præsertim nunc, cum totus orbis jam humano genere repletus est. Nam a principio quidem expetenda res erat, habere liberos; postquam autem jam in foribus est resurrectio, supervacaneum est studium ejusmodi. Itaque unica conjugii est causa (πρόφασις) ut non scortemur, & idcirco remedium hoc invectum est.

20. Idem *De libello repudii* Serm. 10. Quam excusationem adhibebimus (adulterii?). Naturæ concupiscentiam? Sed assistit uxor, hac nos excusatione privans.

21. Idem Serm. 29. *Quales ducendæ sint uxores*. Ante omnia disce, quænam fuerit causa conjugii, & quamobrem in communem vitam introductum sit, nec quidquam requiras amplius. Quæ igitur fuit causa conjugii, & cur illud datum est divinitus? Audi Paulum dicentem: Ad vitandas scortationes quisque suam uxorem habeat. Non dixit; ut evitetur paupertas, & parentur divitiæ; sed quid? ut scortationem evitemus, ut moderemus concupiscentiam, ut Deo placeamus contenti uxore propria; hoc nobis affert conjugium, hic ejus fructus, hoc inde lucrum est. Ob hoc enim solum ducenda est uxor, ut peccatum effugiamus, ut immunes simus a scortationibus. Ob hoc contrahendæ sunt nuptiæ, ut ad vitam pudice transigendam nos

ad-

adjuvent. --amanti uxorem ne in mentem quidem venit alia voluptas, niſi legitima, immanenti amoribus propriis.

22. Idem Hom. 23. *De Baptiſmo Chriſti*. Si uxorem duxerimus, propter Deum hoc faciamus, non ut facultates majores aquiramus, ſed ut temperanter vivamus, & vitæ ſociam, non lenociniorum comitem capiamus.

23. Idem in cap. 34. Gen. Hom. 59. Refrœnemus filiorum noſtrorum impetus, & curemus eorum caſtitatem, & omnia faciamus, ut abſurdas concupiſcentias juvenilis ætas effugere poſſit. Nam propter hoc & communis Dominus noſter ſciens humanæ naturæ infirmitatem nuptias dedit & ſancivit, ut ab illicito concubitu abſtineretur. Ne igitur negligamus juvenes, ſed ſcientes fornacis incendium, priuſquam in luxuria implicentur, ſtudeamus eos nuptiis copulare, ut & continentiam ſuam cuſtodiant, & nullum damnum laſciviæ ſuæ habeant, remedio illinc ſumpto, ut poſſint carnis indomitos motus reprimere, & pœnam effugere.

24. Idem in pſal. 9. ad illa verba: *Cerva amicitiæ & hinnulus gratiarum tuarum tecum habeat conſuetudinem*. Hic loquitur de uxore, ut ea fruamur cum temperantia, cervam eam vocans propter puritatem congreſſus conjugalis.

25. Idem in pſal. 43. increpans adulteros dicit: Quid patietur, maxime quando qui hæc facit, habet uxorem? Ne mihi obtendas naturæ cupiditatem. Propterea enim permiſſum fuit matrimonium, ne ultra proprios terminos progrederēris. Vide enim quanto dignus eris ſupplicio. Nam Deus tuæ quieti & honori proſpexit, ut & naturæ rabiem per uxorem compeſceres, & hoc abſque ullo periculo faceres, & ab omni turpitudine & dedecore liberarēris. Tu autem eum, qui tantam tui curam gerit, injuria afficis. Dic enim, quæſo, ſi noluiſſet lege lata ſtatuere matrimonium, quantam vim & quantum cruciatum ſuſtinuiſſes? Cum ergo tibi non vulgare ſolatium excogitavit, tu terminos tibi præſcriptos tranſilis.

26. Idem de verbis Iſaiæ: *Vidi Dominum* Hom. 3. Similiter de adultero ejuſmodi loquens ait: Dixerit aliquis, ſe compelli naturali concupiſcentia. At non permittit elabi uxor, ſed inſtat, eripiens illi veniam. Ob id enim matrimonium & legitimus hujus uſus permittitur, ne quid horum excuſare poſſit maritus. Hanc ob cauſam data eſt illi mulier adjutrix, ut efferveſcentem naturam coerceat, ut concupiſcentiæ fluctus ſedet. Itaque ſicut gubernator in portu faciens naufragium haudquaquam ullam impetraret veniam, ſic nec is, cui cum per conjugium conceſſum ſit, ut lapſum effugiat, tamen aliena perfodit matrimonia.

27. Idem in pſal. 50. Ne dicas, quonam pacto facere poſſum, ut a ſcortatione abſtineam? Ego tibi expono, qua ratione id poſſis. Ardet concupiſcentia? At uxorem habes; & ſi non habes, accipe, ut voluptatem cum ſecuritate conjunctam habeas. --Et quanam ratione, inquis, hoc vulnus ſuperabo? fruere uxore tua. Fruar uxore mea? Maxime. Attende quid dicat Apoſtolus: *Propter fornicationem unuſquiſque ſuam uxorem habeat*. -- Cogitent Pauli ſapientiam. Quandoquidem multi continentiæ ſtudent, & pudicas uxores habent, ac præter earum voluntatem continentiam colunt, eorum moderatio adulterii cauſam affert, proinde dicit: *Unuſquiſque ſua uxore fruatur*. Nec vero propterea pudore ſuffunditur, verum ingreditur, ac noctu & diu tanquam in geniali lecto ſedet, ac maritum & uxorem retinet, ſicque eos inter ſe copulat, atque alta voce clamat: Nolite fraudare invicem niſi ex conſenſu. Continentiæ ſtudes, nec cum marito ſomnum capere vis, nec ille te fruitur? abſcedit jam & peccat, ac deinceps illius peccatum incontinentiæ continentiæ tuæ adſcribitur. Satius eſt porro, ut tecum ille, quam cum ſcorto dormiat. Quin te fruatur, minime prohibitum eſt. Ita Paulus velut in viri & uxoris lecto ſedet, ac clamat: Nolite fraudare invicem, niſi ex conſenſu. Propterea virum accepiſti; propterea uxo-

rem

rem, tu quoque accepisti, ut pudicitiam colatis. -- Itaque nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu. Eadem enim repetere non desinam. --- Curre itaque, quantum voles, cum autem infirmatus (animo) fueris, concubitus remedium accipe.

Objicitur 9. Si coitus ex motivo intemperantiæ aut cum gravidis foret peccatum veniale, sequeretur, quod Apostolus intemperantibus Corinthiis ad vitanda peccata mortalia positive consuluisset commissionem peccatorum venialium; sed hoc non potest dici; quia non debent fieri aut consuli mala, ut eveniant bona; malum enim nunquam est eligibile, adeoque nec substare potest præcepto aut consilio. Si Apostolus talem coitum agnovisset esse peccaminosum, debuisset uti alio modo loquendi v. g. dicendo: *Minus malum fore, si uterentur conjugio quovis tempore*.

Respondeo. Communem quidem esse doctrinam, determinato ad committendum majus malum v. g. ad committendum homicidium vel sacrilegium, posse suaderi minus malum: Nolim tamen eo confugere; sed dico; verba Apostoli non habere sensum præcipientis aut positive consulentis, sed præcise sine noxa peccati mortalis id permittentis: ita enim sua verba explicat ipse Apostolus, ut patet ex textu: *Hoc autem dico secundum indulgentiam*.

Objicitur 10. Pœnitentialia tantum prohibent usum conjugalem tribus mensibus ante partum, cum tamen jam quarto, quinto, ac sexto post conceptionem mense habeatur certitudo de conceptione; ergo illa antiqua praxis Ecclesiæ non fundatur in lege naturali reprobrante coitum cum gravidis, sed tantum in lege positiva Ecclesiastica respiciente ad periculum prolis; cum ergo lex positiva abierit in desuetudinem in eodem articulo quoad coitum diebus festis, feriis quartis & sextis, & in tribus quadragesimis, præsumendum, eam fuisse abrogatam etiam quoad hanc circumstantiam trium mensium in gravidis.

Respondeo. An praxis Ecclesiastica fundetur in lege naturali, aut positiva, debet desumi ex natura subjectæ materiæ; & ex intentione loquentis aliunde nota. In præsenti autem constat, juxta sensum communem Patrum & Theologorum coitum cum gravidis considerari tanquam deordinationem contrariam legi naturali; econtra coitum cum uxore tempore jejunii vel orationis considerari tanquam rem de se indifferentem, quæ dependeat ex libero conjugum consensu. Intentio etiam legum Pœnitentialium satis colligitur ex eo, quia allegant motivum *conceptionis certæ*. Itaque dicendum, quamvis in casibus particularibus conjuges, præsertim uxores, jam mense quarto, aut quinto possint habere moralem certitudinem de conceptione, & sic ex parte habentium certitudinem jam eo tempore incipiat obligatio abstinendi a petendo debito, visum tamen est Ecclesiæ, non nisi pro tribus ultimus mensibus statuere pœnitentiam canonicam, eo quod pœnæ canonicæ correspondere debeant delictis certis, non facile subjectis exceptioni, aut tergiversationi pœnitentium, prout tamen contingeret in casu, si pro incurrenda tali pœna statueretur mensis quartus, quintus, aut sextus ante partum.

Objicitur 11. Potest dici, plerosque Patrum textus solum id urgere, quod matrimonium pro fine suo debeat habere procreationem prolis, ut distinguatur a contractu & convictu mere concubinario qualem etiam Manichæos celebrasse testatur, ac detestatur D. Augustinus contra Faustum l. 15. c. 7. & l. 22. c. 30. & l. 31. c. 6. ex hoc autem non necessario sequitur, quod eadem intentio haberi debeat in quolibet coitu; verum enim nihilominus manet, a taliter coeuntibus haberi intentionem, ut ex eorum matrimonio nascatur proles. Sic & D. Chrysostomus asserit, matrimonium esse propter liberos; & nihilominus concedit usum conjugalem ad vitandam incontinentiam, ut colligitur ex ejus textibus supra relatis.

Respondeo. Nisi Patres reprehenderent etiam coitum cum gravidis, & in

aliis

aliis textibus ſe explicarent de gerenda intentione prolis in ſingulis actibus conjugalibus, daretur ſane locus huic effugio; ſed cum in aliis textibus neceſſitatem illius intentionis referant ad ſingulos actus, & ex generali fine matrimonii argumententur ad actus ſingulares, quod non debeant eſſe pure amatorii, & per hoc diſtinguant honeſtatem matrimonii Chriſtiani a turpitudine matrimonii gentilium, plane ſequitur, eoſdem ſtatuiſſe eundem finem conjugii, & actus conjugalis. Ad D. Chryſoſtomum dico, eum nec pro fine conjugii, nec pro fine uſus conjugalis conſtituere ſolum motivum vitandæ incontinentiæ, ſed conſtituit hoc motivum pro fine inſtitutionis matrimonii, quod exiſtimat in paradiſo non fuiſſe extiturum, prout ſupra jam explicatum eſt. Addo, etiamſi ſolus D. Chryſoſtomus ſcripſiſſet dubie in hac re, quod ipſum non admitto, ſequenda tamen foret traditio occidentalis Eccleſiæ, quam conſtat ſemper fuiſſe directam ſpeciali lumine ac cura divinæ providentiæ ob conſolidationem ad Petram Apoſtolicam; obſervare enim licet, variantibus Eccleſiæ orientalis & occidentalis moribus vel doctrinis prævaluiſſe occidentalem ductu Spiritus Sancti.

Objicitur 12. D. Hieronymus in Epiſt. ad Tit. c. 2. videtur inſinuare, coeuntes cum uxoribus gravidis ſolum carituros præmio, alioquin conferendo abſtinentibus. Ergo talis coitus tantum eſt imperfectio, id eſt omiſſio virtutis bene congruentis perſonæ & ſtatui, attamen alias indebitæ, cui omiſſioni tantum correſpondet ſubtractio præmii, non inflictio pœnæ poſitivæ; aut ſi talis omiſſio vocari poteſt peccatum veniale, dici poſſet, dari peccata venialia duplicis generis, ſic ut uni correſpondeat pœna poſitiva, alteri tantum negativa, ſeu, ut ita dicam, pœna damni per ſubtractionem præmii alioquin conferendi virtuti oppoſitæ. Verba Hieronymi ſunt. *Quod in animalibus jure naturæ præſcriptum eſt, &c. hoc ſciant in hominibus arbitrio derelictum, ut merces eſſet ex abſtinentia voluptatum.* Similiter D. Gregorius in Paſtor. p. 3. c. 28. ſic coeuntes comparat ipſi Loth, qui ſalvatur in Segor, in qua, licet celſitudinem continentiæ non teneat, eſt tamen ab ignibus & ſuppliciis ſecurus.

Reſpondeo. Inſiſtendum inprimis eſſe traditioni, quæ hunc coitum non vocat imperfectionem, ſed peccatum & culpam. Dein in tali coitu non datur ſola negatio alicujus perfectionis, ſed etiam poſitiva deordinatio, utpote inordinata adhæſio ad bonum delectabile creatum; itaque eidem correſpondet etiam pœna poſitiva. D. Hieronymus ſtatuendo præmium continentiæ ejuſmodi conjugali, cum non admittat actum indifferentem in individuo, prout in Theologia oſtendi, eoipſo incontinentiæ oppoſitæ relinquit pœnam poſitivam. D. Gregorius l. cc. loquitur de coitu cum non prægnantibus, & de ignibus ac ſuppliciis æternis.

Objicitur 13. In Pœnitentiali Romano, quod edidit Antonius Auguſtinus, indicitur decem dierum pœnitentia, *ſi quis concubuerit cum uxore ſua, poſtquam infans motum in utero fecerat, vel ſaltem quadraginta dies ante partum*. Cum ergo Confeſſarius habuerit facultatem contrahendi cum pœnitente uſque ad 40. dies ante partum, videtur, non reprehendi omnem coitum cum uxore poſt motum infantis in utero.

Reſpondeo inprimis, hanc modificationem adeo non reperiri in genuino Pœnitentiali antiquo Romano, ut ne quidem verbum contineatur de coitu cum uxore prægnante, prout patet ex editione facta a Morino, Ferrario, & Stevartio. Dein aliud eſt, ſolam pœnitentiam Canonicam referre ad ultimos quadraginta dies; aliud eſt, coitum ſolum reprehendi illis ultimis diebus. Innumera enim ſunt peccata venialia, quibus nulla eſt taxata pœnitentia Canonica per Canones pœnitentiales. Itaque ſi authori hujus pœnitentialis viſum eſt nimis difficile, pro ejuſmodi tranſgreſſoribus valde frequentibus poſt motum infantis in utero ſtatuere decem

dierum pœnitentiam, ex prudenti œconomia id factum est, non vero, quod tales coitus non reprehenderentur, & pro peccatis venialibus agnoscerentur. Hoc enim ipso, quod decem dierum pœnitentiam velit statim imponi, si post motum infantis in utero secutus est coitus, & conditio pœnitentis eam pœnitentiam ferat, signum est, etiam hunc coitum agnosci pro peccato.

Objicitur 14. Petrus Paludanus, Patriarcha Jerosolimitanus, vir pietate & doctrina clarus; & S. Antoninus Archiepiscopus Florentinus, & Alensis & plures alii, qui admittunt coitum ex motivo incontinentiæ propriæ, si alio remedio congruente vitari non possit, sunt authores magni nominis, qui in suam sententiam traxerunt magnam partem Doctorum, & confessariorum; Ergo cum illorum sententia ob eorum authoritatem habuerit longissimo jam tempore praxin communissimam ac notoriam in Ecclesia Dei, videtur esse practice tuta.

Respondeo. Quod attinet Paludanum, S. Antoninum, & Alensem, hi motivum vitandæ fornicationis solum concedunt in uxoribus non prægnantibus, etiam senibus, & sterilibus; in quo casu non est difficultas aut dissensus authorum in praxi, quia etiam nostra sententia in hoc casu non negat, licitum esse coitum, sed solum disputat de intentione habenda in tali coitu, an debeat ferri ad generationem prolis, etiam adhuc possibilem in senibus, aut hactenus sterilibus. Quæ quæstio magis forte est speculativa, quam practica: quia taliter coeuntes utique in praxi habent intentionem agendi illud, quod agit natura, quod formalissime est intentio generandi; sicut hæretici aut Judæi vel gentiles, dum rogati baptizant eo modo quo Christus instituit, & vera Ecclesia usurpat, censentur habere intentionem baptizandi & faciendi quod facit Ecclesia Catholica, quamvis non credant secuturum aliquem sanctificationis effectum in anima. Eodem ergo modo sic coeuntes, dum agunt quod agit natura, habent intentionem generandi; neque sunt ista duo inter se confundenda, *intentio*, & *motivum*. Nam motivum solemus nominare illud quod ut substans nostræ attentioni in dictamine practico ultimo movet voluntatem: & tale motivum in baptizante potest esse v. g pecunia, aut respectus humanus. Econtra *intentio* est nuda volitio aut explicita aut interpretativa cooperandi ad aliquem finem, quamvis hic finis sæpe sit tantum finis operis vel actionis, non ipsius operantis. Hinc Paludanus & S. Antoninus non traxerunt magnam partem Ecclesiæ ad praxin erroneam; sed alii authores, qui hanc doctrinam traduxerunt ad coitum cum prægnantibus etiam post conceptionem certam, ubi generatio novæ prolis aut est impossibilis, aut nociva prius conceptæ, hi errarunt enormiter; & hos cedere traditioni Ecclesiæ, æquum & necessarium est.

Objicitur 15. Ex una parte datur locus superfœtationi etiam in conceptu, ex altera parte periculum suffocandi priorem prolem non est tantum, ut conjuges cum periculo gravis ruinæ animæ & incontinentiæ subeundæ debeant privari jure suo ob alienum leve periculum prolis: ut enim Raynaudus de ortu infantium ex sectione cæsarea c. 11. n. 12. observat ex Jure civili *l. antiqui. ff. Si pars hæred. petat*: ostensa fuit Adriano mulier, simul enixa quatuor liberos, & post 40. dies quintum. Plinius l. 7. c. 11. mulierem memorat, quæ fœtum unum justo partu, alterum quinque mensium edidit. Scortia, eodem Reynaudo teste l. 1. de Nilo c. 6. narrat, se Genuæ novisse fœminam nobilissimam, quæ tertio mense post legitimum puerperium novum masculum enixa est.

Respondeo. Non negari locum superfœtationi in casu rarissimo; hoc tamen manifestum esse, in tali casu semper priorem fœtum post mensem quartum aut quintum, quo conceptio incipit fieri manifesta ac certa per motum, incurrere ex superfœtatione certum abortus, vitæ, aut defectus periculum, quod vix ullus evadit. Est autem juxta æsti-

matio-

mationem prudentum, ac Doctorum Eccleſiæ, prout patet ex traditione, contrarium rationi, diſcrimini committere alienam innocentis vitam, ut ſatisfiat ſollicitanti libidini, quæ aliis mediis poteſt & debet ſuperari in innumeris circumſtantiis. Accedit: quod in illo ipſo rariſſimo ſuperfœtationis poſt menſem quartum caſu nunquam nata ſit ſecunda proles in ſtatu perfecto. Cum ergo prorſus nulla ſpes ſit obtinendi alteram prolem perfectam, ſimpliciter verum eſt, talem coitum fieri non poſſe ex intentione obtinendæ prolis.

Objicitur 16. Scotus docet, actum conjugalem eſſe licitum cum prægnantibus; ergo cum Scoto adhæreat integra Schola Scotiſtica, accedente ſimul authoritate aliorum Theologorum & ſenſu communi & ſenſu fidelium habebitur authoritas ſufficiens, quæ opponatur authoritati veterum. *Antecedens probatur.* In 4. diſt. 31. quæſt. unic. num. 10. dicit: *Ubi eſt certa impoſſibilitas ad bonum prolis, non videtur actus ille conjugalis multum excuſari per iſtud bonum; niſi forte dicas, quod miraculoſe Deus daret fœcunditatem ſterili. Sed ſi nec illud eſt probabile, nec intentum ab iſtis utentibus tali actu, alia duo bona excuſant* (nempe fidei & ſacramenti) *& tunc matrimonium eſt ibi tantum ut in remedium, non autem ut in officium, de quo dictum eſt diſt. 26.*

Reſpondeo. Scotum probabilius non eſſe contrarium concluſioni. Ratio eſt 1. quia nunquam recedit a Magiſtro Sententiarum, cujus textum ſibi proponit commentario illuſtrandum, niſi ubi id expreſſe monet, & rationes recedendi indicat. Sed in hoc puncto, ubi agitur de uſu conjugali cum prægnantibus, neque oſtendit ſe recedere a litera, neque etiam dat rationem recedendi; ergo relinquit textum Magiſtri in ſuo vigore, dum illum uſum damnat peccati venialis. Id *confirmatur* ex eo, quia Scotus neque in Commentario in 4. Sent. neque in *Reportatis* uſpiam vel verbulo facit mentionem de coitu cum prægnantibus: quamvis alioquin agat de coitu cum ſterili, menſtruata, aut leproſa. Hæc ſilentii affectatio de coitu cum prægnantibus indicat, Scotum literam Lombardi velle approbare, aut ſaltem intactam relinquere. Ratio eſt 2. Quia in Reportatis diſt. 31. expreſſe remittit ad textum Auguſtini, & Magiſtri, in quo ille coitus damnatur peccati venialis. Ratio 3. eſt, quia Scotus univerſim ſimul cum remedio in petente debitum vult concurrere finem principalem matrimonii; etſi non concurrat, inſinuat, eatenus præciſe Deum diſpenſaſſe poſt lapſum Adami, ne talis actus ex parte petentis ſit peccatum mortale. Ad textum vero objectum reſpondeo, excuſari talem actum ex parte reddentis debitum, quia bonum fidei, per quod excuſatur, pertinet ad redditionem debiti, non ad petitionem. Bonum autem ſacramenti præciſe excuſat, ne imputetur ad peccatum mortale. Hæc omnia ex ipſis textibus Scoti manifeſtiora fient. Itaque

In *Reportatis*, quæ ſunt ſcripta poſt ejus Commentaria in libros Sententiarum, ad lib. 4. diſt. 31. & 32. conſtanter ſupponit, & etiam expreſſe aſſerit, in uſu conjugii cum motivo remedii concurrere debere motivum procreandæ prolis. Juxta editionem Lugdunenſem diſt. 28. quæſt. unic. bonitatem coitus conjugalis unice repetit ex intentione prolis, ſic ſcribit: *Concluſio* 1. Hominem velle procreare prolem eſt actus circumſtantiabilis certis circumſtantiis, (per quas videlicet poſſit fieri malus vel bonus). *Concluſio* 2. Quod prima circumſtantia ad faciendum aliquem actum bonum moraliter eſt circumſtantia finis. Ergo actus procreandi prolem ex hoc poteſt eſſe bonus moraliter, quia proles appetitur ad religioſe educandam ad cultum divinum. Num. 11. Ex his ſequitur, quod matrimonium eſt conjunctio determinati maris ad determinatam fœminam ordinata ad procreandam prolem & religioſe educandam; & ita patet, quod ille actus eſt bonus moraliter. N. 14. Septima concluſio ſequens ex iſtis, quod illa obligatio debet eſſe donationis

mutuæ, quantum ad translationem poteſtatis corporum. Nam hæc obligatio eſt in mutua translatione poteſtatum corporum, quantum ad jus & uſum mutuum corporum in ſe habendum, & hoc quoad illos actus tantum, qui aliquo modo reſpiciunt procreationem prolis, vel infirmitatem alterius conjugum. Ex quibus ſequitur, quod matrimonium eſt obligatio mutua quantum ad poteſtatem corporum ad procreandum prolem religioſe educandam. Ex his ſequitur, quod matrimonium ſit contractus ſecundum legem naturæ, tanquam ei conveniens. Num. 19. Ex his concludo, quod matrimonium eſt contractus rectus & honeſtus conjugum mutuo ſe obligantium ad mutuum jus, & poteſtatem habendum in ſuis corporibus quoad procreationem prolis religioſe educandæ. N. 24. Effectus & res hujus ſacramenti eſt duplex; ſcilicet gratioſa conjunctio contrahentium, & bonum prolis. Una tamen eſt totalis res hujus ſacramenti, ſcilicet unio conjugum inter ſe, & in prole, quam procreant. Num. 25. Ex his patet ſolutio ad primam quæſtionem, (an matrimonium fuerit immediate inſtitutum a Deo) ad quam dico, quod matrimonium ut eſt in officium procreandæ prolis, fuit immediate inſtitutum a Deo. De matrimonio, ut eſt in remedium concupiſcentiæ, nihil adhuc locutus ſum. Num. 28. Ad tertiam quæſtionem, utrum definitio matrimonii poſita a Magiſtro in litera ſit ſufficiens, apparet ex prædictis, quod ſic; paucis ſuppletis; poteſt enim matrimonium dici obligatio indiſſolubilis maris & fœminæ quantum ad poteſtatem corporum, ordinata ad procreationem prolis, religioſe educandæ & ad cultum Dei ampliandum.

Idem diſt. 31. de bonis matrimonii ſic ſcribit: Quæſtio. Utrum matrimonii ſint iſta tria bona, fides, proles, & ſacramentum? Videtur, quod proles non ſit bonum matrimonii, quia verum matrimonium contrahitur cum ſterili, ubi non eſt proles, nec bonum prolis. Contrarium vult Magiſter in litera. Cum hæc tria bona in aliquo conjugio concurrunt, valent ad excuſationem carnalis coitus. Num. 4. Dico ad quæſtionem, quod perfectio alicujus rei, ſicut & bonitas ejus eſt duplex, intrinſeca & extrinſeca. Perfectio autem rei intrinſeca eſt forma ejus. Extrinſeca vero perfectio rei eſt ejus finis, ad quem principaliter ordinatur. Ad propoſitum igitur dico; (quod) forma & perfectio intrinſeca talis obligationis (matrimonialis) eſt indiſſolubilitas illius; ſed hæc indiſſolubilitas eſt propter aliquam perfectionem extrinſecam, ut propter finem, quia ad hoc finaliter ordinatur, ut perſonæ perpetuo obligatæ procrearent prolem religioſe educandam ad cultum Dei applicandam; & iſte eſt finis matrimonii boni & perfecti. Sed procreatio prolis, quæ eſt finis principalis matrimonii, non ſequitur, nec haberi poteſt, niſi mediante quodam alio prævio ad hunc finem ſcilicet carnali copula maris & fœminæ. Iſta igitur obligatio (matrimonialis) indiſſolubilis habet duos ſubordinatos fines, ad quos quodam ordine ordinatur, quia ad procreationem prolis ut ad principalem finem & remotum; & ad carnalem copulam, ut finem minus principalem & propinquum. Una igitur forma & perfectio intrinſeca matrimonii, & duo fines ſubordinati, & perfectiones extrinſecæ; & ita ſunt tria bona matrimonii; *indiſſolubilitas* vinculi pro forma & *bono ſacramenti*; uſus illius vinculi, qui conſiſtit in bono fidei; & fructus talis uſus, qui eſt bonum prolis.

Quod autem proles ſit bonum principale matrimonii extrinſecum, patet, quia proles eſt finis principalis & proprius matrimonii. Patet per Auguſtinum q. ſuper Geneſin ad Literam circa medium, & Magiſtrum 5. diſtinct. ubi dicit, quod matrimonium ordinatur ad procreandam prolem religioſe educandam, & ad cultum Dei ampliandum.

Quod autem finis ſecundus & minus principalis, ſcilicet fides, ſit quoddam bonum, patet, quia fides vel fidelitas conjugum eſt quædam juſtitia, quæ conſiſtit

ſiſtit in duobus, in quodam poſitivo, & quodam privativo. Poſitivum quidem ad reddendum alteri conjugum, quod ſuum eſt; privatio autem ad non dandum alicui, quod non ſuum eſt, ſed alienum.

Tertium bonum matrimonii eſt bonum ſacramenti -- (quod) eſt indiſſolubilitas & perpetuitas obligationis mutuæ conjugum. Num. 7. Sed quomodo ſunt hæc tria bona in omni matrimonio? Reſpondeo, quod in omni matrimonio tantum eſt ultimum bonum neceſſarium abſolute, & non alia, niſi ſub conditione, quia nullus abſolute obligatur ad bonum prolis procreandæ de neceſſitate, ſed ſub conditione quantum eſt ex ſe, ſi non impediatur; multa autem ſunt impedientia procreationem prolis, ut negatio carnaliis copulæ, ad quam non ſe obligant conjuges, niſi ſub conditione, ſi ſcilicet debitum petatur. Bonum igitur prolis non eſt in matrimonio, niſi præſuppoſito bono fidei. Sed bonum fidei, ut dictum eſt, non ſemper de neceſſitate obligat ad carnalem copulam niſi petatur. Num. 12. Fides autem ordinatur ad prolem procreandam. Num. 16. Ad ſecundum argumentum in oppoſitum, quando arguitur de ſterili, & quod proles non eſt bonum matrimonii, dico, quod proles eſt bonum matrimonii, & ſemper ſequitur matrimonium, ſaltem tanquam in ſua cauſa ſub conditione, ita quod non debet impediri per venena ſterilitatis, vel alia extrinſeca facinora, ſi poſſet provenire ex fide, & carnali copula conjugum.

Ibidem diſt. 32. ad quæſt. Utrum neceſſe ſit in matrimonio reddere debitum petenti? ſic reſpondet. Dico, quod matrimonium duplici de cauſa diverſis temporibus inſtitutum eſt, quia ante lapſum & tempore innocentiæ inſtitutum fuit tantum in officium ad procreationem prolis religioſe educandæ, & cultui Dei applicandæ. Gen. 2. *Creſcite & multiplicamini*. Et inſtitutio fuit renovata propter hunc finem & hanc cauſam in officium, poſtquam Deus per aquas diluvii perdidit omnem carnem. Poſt lapſum vero primi hominis, & totaliter factus eſſet homo caro propter nimiam effrenationem & pronitatem ad peccatum inſtitutum eſt in remedium, & non tantum in officium, ut eſſet tantum cauſa prolis multiplicandæ, ſed etiam cauſa fornicationis inter conjuges fugiendæ ut excuſaretur pronitas, & concupiſcentia carnalis, ne tranſiret in peccatum mortale, quotieſcunque contingeret actus carnis, ubi inſtituit Deus, ut quilibet haberet ſuam tantum, & non aliam, nec incideret in peccatum mortale, ſi ſuam concupiſcentiam compleret cum non ſua. Per matrimonium igitur ut eſt in remedium excuſatur aliquis actus, ut ſit licitus, qui alias eſſet peccatum mortale & illicitus. Sequando fuit inſtitutum in remedium: Dico, quod ſtatim poſt lapſum, vel cito inſtituit Deus hoc ſacramentum in remedium, ita quod ante lapſum inſtitutum ſit in officium tantum; poſt lapſum vero in remedium & in officium; ſemper enim eſt, & fuit in officium, non tamen in remedium.

Num. 4. Applicando igitur ad propoſitum dico, quod reddere debitum eſt actus matrimonialis matrimonio accepto utroque modo; quia matrimonium utroque modo, ſive ſit in officium, ſive in remedium, reddit debitum conjugale; quia aliter nunquam proveniret procreatio prolis, quæ eſt per ſe finis ejus. Sed ut eſt in officium tantum, ordinatur ad bonum prolis tantum, ut per ſe finem; quia in ſtatu innocentiæ ſemper talem actum fuiſſet procreatio prolis conſecuta: & ideo tunc temporis non fuiſſet neceſſarium, reddere debitum, ſi non ſequeretur talis finis. Ut autem eſt in remedium, licet ordinetur principaliter ad illum finem ſub conditione quantum eſt ex ſe, ita quod non tenetur impedire ſi proveniat, ordinatur tamen neceſſario ad finem alium minus principalem, ſcilicet ad cuſtodiam caſtitatis conjugalis. Igitur quando non poſſet ſalvari caſtitatis conjugalis congruentia ſine hoc, quod redderetur debitum con-

jugale, necessario est tunc reddendum, quia justitia hoc requirit, ut reddat alteri quod suum est, & non tantum tenetur illud reddere propter finem principalem, ut bonum prolis, sed propter finem minus principalem ad salvandam castitatem conjugalem, ne fornicetur & faciat contra bonum fidei. Si igitur timeatur de infirmitate alterius conjugum, quod velit fornicari vel adulterari, reddendum est sibi quod petit: timetur autem hoc, quando petit jus suum. Igitur quando petit, reddendum est.

Num. 9. Obligatur tamen ad non reddendum debitum adstrictus fortiori vinculo in multis casibus, ut quando redditio debiti esset contra bonum prolis, sicut si esset tempore menstrui, & quando mulieres sunt vicinæ partui, quia tunc esset contra finem principalem. Nullus autem debet aliquid facere, nisi quod congruit fini suo proprio.

MOTIVA

Viduas ex priori marito gravidas arcendi uſque ad partum a ſecundis nuptiis.

MOTIVUM PRIMUM.

Ex conſuetudine Romana.

CERTUM eſt, in Urbe repelli uſque ad partum a ſecundis nuptiis viduas ex priori marito gravidas. Ita enim expreſſe anno præterito teſtatus eſt Reverendiſſimus D.D. de Roſſi, Vicegerens in Urbe, quem per amicum meum conſulueram, *Praxin eſſe in Urbe de non copulando, niſi poſt partum Sponſæ ex priori matrimonio gravidæ.*

Hanc conſuetudinem Romanam conſtanti obſervantia viguiſſe ab ipſis temporibus Apoſtolicis prudenter dubitari nequit. Nam inprimis certum eſt, ut infra monſtrabitur, ejuſmodi viduarum nuptias ante decimum ab obitu mariti menſem prohibitas fuiſſe a Legibus Romanis Civilibus jam ante Chriſtum natum, eamque prohibitionem poſt Evangelii promulgationem non ſolum perduraſſe, ſed etiam ab ipſis Chriſtianis Imperatoribus Sæculo IV. ex VI. auctam ac ſeveris pœnis in ſuo vigore conſtabilitam fuiſſe.

Cum ergo Chriſtiani legum imperialium, honeſtati & æquitati conformium, fuerint obſervantiſſimi, indubium eſt, conſuetudinem arcendi a nuptiis ex priori marito gravidas Romæ a temporibus Apoſtolicis uſque ad Sæculum VI. viguiſſe.

Ex eo tempore nulla unquam illius honeſtiſſimæ Legis in Urbe ſubiit aut oblivio, aut abolitio; abrogationem enim talium legum, habentium uſum continuum, ſi quando per non obſervantiam paucorum in publico omnium conſpectu incipit invehi; concomitantur plerumque plurium pro Lege zelantium querelæ ſtrepidæ; reſiſtunt ſubrepenti deſuetudini vigilantium paſtorum cohortationes aut comminationes ſeriæ; de quibus tamen nulla in Documentis Eccleſiaſticis circa vacillationem hujus Legis in Urbe extant veſtigia.

Denique, ſi ſupponeretur illa vetus obſervantia aliquando poſt Sæculum VI. extincta fuiſſe in Urbe, reductio ad vigorem priſtinum non potuiſſet facile in-

troduci sine positiva Constitutione Summi Pontificis aut Concilii. Cum ergo nulla ejusmodi extet Constitutio, præsumendum, eam, quæ nunc viget Romæ, hac in re consuetudinem, nulla unquam novatione introductam, sed ab antiquo continua observatione conservatam esse. Hoc

Confirmatur ex eo, quia Theodorus Archiepiscopus Cantuariensis in Anglia, qui scripsit Sæculo VII., in suo Pœnitentiali c. 11. tantum post annum luctus permittit mulieribus viduis novum conjugium. Cum ergo Angli Sæculo VI. exeunte suas Leges cum fide a D. Gregorio M. acceperint, signum est, etiam Romæ in Ecclesia Leges illas imperiales de servando annuo luctu viguisse.

Textum Theodori reperies Motivo VII. Jam vero, quantum ad dirigendas reliquas Orbis Ecclesias valeant Romanæ Consuetudines, repetitæ a temporibus Apostolicis, lucescit ex authenticis Romanorum Pontificum Decretalibus, in quibus variantes quoad Disciplinam Ecclesias ad uniformitatem dirigunt ex observantia antiqua Romanæ Ecclesiæ. Ut unum e multis seligam, illustre hujus Æconomiæ directivæ exemplum habemus in Epistola 1. Innocentii I. ad Decentium Eugubinum, ubi sic scribit:

Si instituta Ecclesiastica, ut sunt a Beatis Apostolis tradita, integra vellent servare Domini Sacerdotes, nulla diversitas, nulla varietas in ipsis Ordinibus & consecrationibus haberetur. Sed dum unusquisque, non quod traditum est, sed quod sibi visum fuerit, hoc æstimat esse tenendum, inde diversa in diversis locis vel Ecclesiis aut teneri aut celebrari videntur; ac fit scandalum populis, qui dum nesciunt traditiones antiquas, humana præsumptione corruptas, putant, sibi aut Ecclesias non convenire, aut ab Apostolis vel Apostolicis viris contrarietatem inductam. Quis enim nesciat, aut non advertat, id, quod a Principe Apostolorum, Petro Romanæ Ecclesiæ traditum est, ac nunc usque custoditur, ab omnibus debere servari, nec superinduci, aut introduci aliquid, quod aut authoritatem non habeat, aut aliunde videatur habere exemplum? Præsertim, cum sit manifestum, in omnem Italiam, Gallias, Hispanias, Africam, atque Siciliam, insulasque interjacentes, nullum instituisse Ecclesias, nisi eos, quos venerabilis Apostolus Petrus aut ejus Successores constituerunt Sacerdotes, aut legant, si in his Provinciis alius Apostolorum invenitur aut legitur docuisse. Quodsi non legunt, quia nusquam inveniunt, oportet eos hoc sequi, quod Ecclesia Romana custodit, a qua eos principium accepisse non dubium est, ne dum peregrinis assertionibus student, caput institutionum videantur omittere. Sæpe Dilectionem tuam ad Urbem venisse, ac nobiscum in Ecclesia convenisse, & quem morem vel in consecrandis mysteriis, vel in cæteris agendis arcanis teneat, cognovisse dubium non est. Quod sufficere ad informationem Ecclesiæ tuæ vel reformationem, si Prædecessores tui minus aliquid aut aliter tenuerint, satis certum haberem, nisi de aliquibus consulendos nos esse duxisses. Quibus idcirco respondemus, non, quod te aliqua ignorare credamus, sed ut majori authoritate vel tuos instituas, vel si qui a Romanæ Ecclesiæ institutionibus errant, aut commoneas, aut indicare non differas; ut scire valeamus, qui sint, qui aut novitates inducunt, aut alterius Ecclesiæ quam Romanæ existimant consuetudinem esse servandam. Ita Innocentius I.

Tota hæc commonitio congruit præsenti quæstioni in Ecclesiis Germaniæ, quæ & ipsa suos Ecclesiarum fundatores in Valentino Passavienſi, Ruperto Salisburgensi, Bonifacio Moguntino &c. &c. a Romana Sede accepit. Merito ergo revocandæ ad eas consuetudines antiquas, quas constat Romæ a temporibus Apostolicis jugiter fuisse custoditas, præsertim in iis materiis, in quibus periculum est, impingendi in Leges naturæ, & in bonum prolium, familiarum & gentium, prout contingit in præsenti, sicut infra monstrabitur.

MO-

MOTIVUM II.

Ex conſuetudine uniformi politiorum Urbium.

EAndem conſuetudinem, quæ in hoc puncto viget Romæ, deprehendi etiam vigere in bene inſtitutis urbibus, v. g. Venetiis in Italia, & Auguſtæ Vindelicorum in Germania.

Scripſi Venetias A. R. D. Danieli Concina, celebri Scriptori Ordinis Prædicatorum, rogans, ut me informaret de praxi Veneta. Reſcripſit, ſe multos conſuluiſſe ſuæ urbis Parochos; teſtabantur uniformiter, a ſe nullas ad contrahendum ante partum admitti viduas ex priori marito gravidas. Interrogavi Auguſtæ R. D. Pro-Vicarium Cathedralis parochiæ, quid moris in hac materia? Reſpondit, ſtupidum eſſe, has copulationes concedere; ſe jam per triginta quatuor annos in parochia Cathedrali obire parochialia munia; nullam tamen a ſe unquam ad ſecundas nuptias ante partum admiſſam eſſe prægnantem viduam, extare etiam in ſua urbe ſpecialem inhibitionem Magiſtratus Civilis, quamvis ex Lutheranis & Catholicis compoſiti, ne ante partum ad ſecundas nuptias reciperentur ejuſmodi viduæ. Adeo nempe vel ab ipſis hæreticis agnoſcitur, praxim contrariam repugnare honeſtati naturali, & bono publico.

Jam ex hac uniformitate liberrimarum alioquin urbium infero, obſervantiam, de qua hic agitur, non pertinere ad diſciplinam arbitrariam, ac mores cuivis genti aut Reipublicæ liberos, ſed ad legem naturalem aut divinam ab antiquo traditam. Ut enim recte obſervat Tertullianus: *De Præſcriptionibus adverſus hæreſes* c. 28.

„ *Ecquid veroſimile eſt, ut tot ac tantæ Eccleſiæ in unam fidem erraverint? Nullus inter multos eventus eſt unus exitus. Variaſſe debuerat error Doctrinæ Eccleſiarum. Quod apud multos unum invenitur, non eſt erratum, ſed traditum.*

Pari ergo ratione dicere licebit: Quod in tam diverſis, alioquin liberrimis, urbibus contrarium libertati civium naturali uniformiter, ac ſine motivo commodi temporalis nullo apparente veſtigio novæ legis ab antiquo cuſtoditur, *non eſt erratum, ſed traditum*, vel per principia omnibus lumine naturali indita honeſtatis naturalis, vel per majorum inſtitutionem.

MOTIVUM III.

Ex antiquis Romanis legibus.

COnſtat ex variis veterum Scriptorum teſtimoniis, Romanos jam ante Chriſtum interdixiſſe fœminis ſecundas nuptias, priuſquam complerentur decem menſes ab obitu defuncti conjugis. Hæc lex non ſolum in ſuo vigore uſque ad tempora Chriſtianorum Imperatorum perſtitit, ſed ab his etiam innovata, ſeveris pœnis communita, & adjectione duorum menſium aucta eſt. Determinata decem menſium præfixio oſtendit, legislatores reſpexiſſe ad certitudinem & incolumitatem prolium; atque ad maritorum ſecuritatem, ne adulteris uxoribus machinandi in maritorum mortem ex ſpe novorum feſtinatorum conjugiorum præberetur occaſio Verum quidem eſt, ſolam cauſam luctus, impendendi defuncto conjugi, pro cohoneſtanda ad populum lege prætenſam fuiſſe in publico, ſed circumſtantia ad decem menſes protenſi temporis, & inſolita legis ſeveritas oſtendit, ponderoſius fuiſſe motivum, quam indifferentem pro bono reipublicæ ſtatu luctus cœremoniam; nec aliud dignum tanta ſeveritate eſt aſſignabile motivum, niſi dicatur, ſecretiori motivo fuiſſe proſpectum bono prolium, maritorum, familiarum, & Reipublicæ.

Jam ex his ſic arguo: lex, quam ſic exigit bonum prolium, familiarum & conjugum, ut conſtanti judicio legislatorum, etiam Gentilium, cenſeatur jugiter urgenda ſeveris pœnis, nullo exinde redundante in legislatores commodo

do lucri aut gloriæ, cenſenda eſt Reipublicæ ad magnam communis utilitatis eximiæ partem neceſſaria; adeoque, ſi damnum boni communis ſimul concurrit cum periculo animarum & delictorum, etiam urgenda a Paſtoribus Eccleſiæ; ſed talis eſt lex arcendi uſque ad partum a ſecundis nuptiis viduas ex priori matrimonio gravidas, prout ex legibus Romanis bene perpenſis cuivis poteſt eſſe manifeſtum. Nam

Primo. Quod jam ante Chriſtum ea Romanorum lex viguerit, teſtatur Ovidius l. 1. *Faſtorum* his verſibus.

Tempora digereret cum conditor Urbis, in anno
Conſtituit menſes quinque bis eſſe ſuo.
Quod ſatis eſt utero matris, dum prodeat infans,
Hoc anno ſtatuit temporis eſſe ſatis.
Per totidem menſes a funere conjugis uxor
Suſtinet in vidua triſtia ſigna domo.

Secundo. Seneca l. *de Conſolatione*. Num. 192. Helviam viduam conſolaturus dicit: *Majores decem menſium ſpatium lugentibus viros dederunt.*

Tertio. In *Codice* l. 5. tit. 8. *De ſecundis nuptiis* extant ſequentes leges: Gratiani, Valentiniani, & Theodoſii Auguſtorum.

„ Si qua mulier nequaquam luctus
„ religionem priori viro nuptiarum feſtinatione præſtiterit, ex jure quidem
„ notiſſimo ſit infamis; præterea ſecundo viro ultra tertiam partem bo-
„ norum in dotem non det, neque ei
„ ex teſtamento plus quam tertiam partem relinquat. Omnium præterea hæ-
„ reditatum, Legatorum, Fideicommiſſorum, ſuprema voluntate relictorum,
„ mortis cauſa donationum ſit expers.
„ Hæc namque omnia ab hæredibus vel
„ cohæredibus, aut ab inteſtato ſuccedentibus vindicari jubemus, ne in his,
„ in quibus (NB.) correctionem morum induximus, Fiſci videamur habere rationem. — Eandem quoque mu-
„ lierem infamem redditam hæreditates
„ ab inteſtato vel legitimas, honora-
„ rias, non ultra tertium gradum finimus vindicare.

Iidem Auguſti ſtatim ſubſequente anno, nempe anno 381. ſcripſerunt aliam legem hujus tenoris: *Si qua ex fœminis perdito marito intra anni ſpatium alteri feſtinaverit nubere* (parvum enim tempus poſt decem menſes ſervandum adjicimus; tametſi idipſum exiguum putemus) *probroſis inuſta notis honeſtioris nobiliſque perſonæ decore ac jure privetur, atque omnia, quæ de prioris mariti bonis vel jure ſponſalium vel judicio defuncti conjugis conſecuta fuerat, amittat.*

Similiter Juſtinianus Imperator Collat. 4. Novella 22. c. 22. De ſecundis nuptiis anno 536. ſic decernit: *Si* (mariti poſt mortem uxorum) *ſine liberis manſerint ex prioribus, aut etiam ex ambabus nuptiis ſine filiis manſerint, nullæ perſcrutatio circa nuptias ſecundas eſt; ſed viri quidem ibunt omnino omni obſervatione liberi. Mulieribus autem ſolummodo imminebit metus, ut non ante annale tempus ad ſecundum veniant matrimonium: aut ſciant, ſi quid tale geſſerint, & immaturas contraxerint nuptias, ſubibunt pœnas, alias quidem ſi ſine filiis ex prioribus ſint matrimoniis; majores autem ſi & filii ſint, ſi enim non eſt ſoboles, infamia mox ſequetur, & erit omnino mulier propter nuptiarum feſtinationem infamis, & neque percipiet aliquid horum, quæ a priore relicta ſunt ei conſortio; neque fruetur ſponſalitia largitate; neque marito ſecundarum nuptiarum ultra tertiam ſuæ ſubſtantiæ offerat partem; ſed neque extrinſecus ſentiet largitatem; neque percipiet penitus ab ullo extraneorum, non hæreditatem, non fideicommiſſum, non legatum, non mortis cauſa donationem; ſed hæc veniant, aut maneant apud hæredes defuncti. Non enim Fiſcus hæc vindicabit, ne aliquo modo videamur talia corripientes Fiſci providere utilitati. Si vero ei fuerint filii cujuſcunque ſexus, licebit quidem ei Imperatori pro infamia ſupplicare, non tamen utilitatem aliquam & reſcriptorum habere.* —

Igi-

Igitur eminentes pœnæ ante luctus tempus nubentibus tales quodammodo ſunt, & tres pro his Conſtitutiones prius ſcriptas una quadam hac interpoſitione hæc nobis lex competenti protulit adjectione. Hucuſque leges Romanæ.

Cum ergo pateat, leges fuiſſe ſeveriſſimas, nec veroſimile ſit Imperatores Chriſtianos ſeveritatem veterem gentilium etiam exacuere voluiſſe præciſe in gratiam alicujus cæremoniæ inutilis, conſiſtentis in profano luctu, præſumendum eſt, eos pro motivo ante oculos habuiſſe urgens bonum prolium, maritorum, familiarum, & Reipublicæ; quod motivum, cum ſemper urgeat, urgenda eſt lex, ſaltem quoad ſubſtantiam, ab omnibus, a quibus poteſt urgeri; quia tuitio honeſtatis naturalis & boni communis omnium fidei commiſſa eſt.

MOTIVUM IV.

Ex Alcorano Mahometis.

TUrpe foret, majorem honeſtatem in Alcorano præcipi, quam urgeatur, aut curetur in Eccleſia Catholica. Jam vero conſtat, ab ipſomet Pſeudopropheta in ſuo *Alcorano* viduis ex priori marito gravidis prohiberi ſecundas nuptias, ſaltem ante lapſum quatuor menſium & decem dierum; quod voluptuarius ille non præciperet, niſi conſideraret generale periculum prolium, aut earum incertitudinem. Juxta editionem P. Maraccii Alcoranus Sura 2. Num. 235. ſic habet: *Qui defunguntur ex vobis, & relinquunt conjuges, expectabunt eædem conjuges in ſemetipſis ſine novis nuptiis quatuor menſes & decem dies, cumque pervenerint ad terminum ſuum, tranſacto hoc tempore, quo debent expectare, non erit piaculum ſuper vos, o Curatores earum, ob id, quod facient in ſemetipſis cum noto* (id eſt, adornando ſe &, quærendo novas nuptias convenienter & honeſte:) *Et non erit piaculum ſuper vos pro eo, quod manifeſtaveritis animum veſtrum de appetitione novi connubii mulierum, verum, ne perpromittatis eis, neque alloquamini eas occulte, niſi dicatis notum* (id eſt, niſi verbis honeſtis) *& ne decernatis nexum conjugii, donec perveniat Scriptura ad terminum ſuum* (id eſt, donec aſſolvantur quatuor menſes præſcripti.)

Quod Mahometes hac ſua lege quatuor menſium & decem dierum intendat bonum prolium, & cavere velit periculum generale abortuum colligitur ex eo, quia ut teſtatur Albertus Magnus in 4. ſent. diſt. 31. art. 32. in Reſponſione ad object. 20. matrix, quamvis in conceptione claudatur, aperitur tamen quandoque ob motum ex delectatione provenientem, & *præcipue ante primos quatuor menſes, antequam Embria radicentur.*

Si ergo nec Mahometes auſus eſt totaliter tollere legem Romanorum de annuo viduarum, luctu, non decet, ut permittatur liberrime, ſine ullo diſcrimine menſium, infringi privatorum audacia.

MOTIVUM V.

Ex conſuetudine animalium.

D. Ambroſius lib. 5. & 6. *Hexameron* fuſe & eleganter ab inductione oſtendit, varia, quæ in animalibus apparent: ingenia ſic a ſapientiſſimo Conditore eſſe ordinata, ut in iis, tanquam in obvio ſpeculo habeamus viva exempla virtutum, quas imitemur, ac vitiorum, quæ deteſtemur; connaturale enim eſt humano genio, ut ea, quæ in animalibus morum elegantia placent, ad imitationem commoveant atque incitent; ea vero, quæ ex exceſſu horridorum vitiorum horrorem inſitum movent, ab ipſis etiam vitiis quam longiſſime quaſi vi repellant. Ubi & illud obſervo, eos animalium mores, qui omnibus, aut fere omnibus communes ſunt, in genere inſitarum virtutum cenſendos; vitia autem, qua animalibus inſunt, non omnibus communia, ſed ad ſpectaculum horroris in individua diviſim diſpertita eſſe; ut proin ex hac ipſa re-

gu-

gula , quid ex animalibus diſcendum ad imitationem aut deteſtationem , dignoſci queat . Quod enim ab omnibus animalibus ſervatur , cenſendum eſt , pertinere ad conſtantes atque immutabiles honeſtatis a Deo inditæ leges; quod vero uni ſolum aut alteri ineſt, conſpicuam quamdam eminentiam virtutis aut vitii monſtrat: conſequenter , ubi non aperte virtutem refert, ad defectum vitii referendum eſt; natura namque non in omnibus aut in pleriſque , ſed tantum in paucis deficit . Hinc & Ulpianus ff. lib. 1. tit. 1. num. 3. dicit: *Jus naturale eſt , quod natura omnia animalia docuit ; nam jus iſtud non humani generis proprium , ſed omnium animalium , quæ in terra , quæ in mari naſcuntur , avium quoque commune eſt.*

Ac certe id non incongrue obſervat Ulpianus ; cum enim lex ſit ordinatio rationis ad bonum commune ; & ordo rationis neceſſario univoce aut analogice idem ſit in Sapientia Dei incommutabili, & in intellectu humano , & in artefactis Divina ſapientiæ, humanæ naturæ conſimilibus , nempe in animalibus, clarum eſt, legem naturalem congruentem naturæ animali in homine ex uniformi animalium conſuetudine diſci poſſe. Hoc ergo præſtabilito principio, dicendum, nuptias ſecundas fœminarum ex priori marito , aut alio viro gravidarum repugnare legi naturali, quia omnium ſcriptorum teſtimonio nullum animal, in quo non eſt locus ſuperfætationi , poſt ſemel impletum uterum admittit coitum fruſtraneum cum alio maſculo ſui generis , prout oſtendi ex inductione textuum in quæſtione; *an liceat coitus cum prægnantibus* ? Sola equa ab hac omnium reliquarum animalium obſervantia excipitur; ſed eo ipſo juxta ſuperius datam regulam , hoc in vitio deputandum, quia uni ſoli animalium ſpeciei ineſt, non ad apertam commendationem virtutis : ergo in ſpectaculum horroris ; ob quod & Scriptura eo intendens dicit : *Nolite fieri ſicut equus & mulus , quibus non eſt intellectus .* Pſalm. 31. & Tobiæ c. 6.

De conſuetudine autem animalium , ut unum vel alterum Scriptorum teſtimonium afferam, teſtantur 1. *Origenes* in Geneſin Homil. 5. *Et pecora ſciunt, cum conceperint, ultra non indulgere maribus copiam ſui.*

2. *Lactantius* lib. 6. Inſtit. c. 23. *Cum Deus cæteras animantes ſuſcepto fœtu maribus repugnare voluiſſet, ſolam omnium mulierem patientem viri fecit.*

3. D. *Hieronymus* lib. 2. contra Jovin. cap. 30. *Imitentur ſaltem pecudes , & poſtquam uxorum venter intumuerit , non perdant filios , nec amatores uxoribus ſe exhibeant , ſed maritos .* Et in Epiſt. ad Titum. cap. 2. *Quod in animalibus & beſtiis ipſo naturæ jure præſcriptum eſt, ut prægnantes ad partum uſque non coeant &c.*

4. D. *Ambroſius* in Luc. cap. 1. *Pecudes quoque, uti ſemel ſenſerint genitali alvo ſemen receptum , jam nec concubitui indulgent , nec laſciviam amantis , ſed curam parentis aſſumunt.*

MOTIVUM VI.

Ex praxi veteris Eccleſiæ, prohibentis , & in Sacramento pœnitentiæ punientis coitum cum uxore gravida.

SI vetus Eccleſia ne quidem ipſis maritis permiſit coitum cum uxoribus manifeſte gravidis , multo minus indulſerit nuptias de novo contrahendas cum viduis gravidis: difficilius namque eſt arceri a jure quæſito , quam repelli a jure noviter quærendo . Quod autem vetus Eccleſia , ſaltem ſæculo 7. 8. 9. & 10. in Sacro Tribunali pœnitentiæ caſtigaverit coitum cum uxoribus manifeſte gravidis, ſaltem poſt motum infantis in utero , ac tribus ultimis ante partum menſibus , patet ex variis Pœnitentialibus , quorum textus retuli Quæſtione , *De uſu conjugii cum uxoribus gravidis* Probatione 1. §. 3. num. 11.

MO-

MOTIVUM VII.

Ex Decretis Eccleſiaſticis.

QUod leges Imperiales Juris Romani de non contrahendo intra annum luctus matrimonio receptæ, atque ad obſervantiam traductæ fuerint uſu Eccleſiaſtico, probatur ex Pœnitentiali Theodori Archiepiſcopi Cantuarienſis ſæculo VII exeunte, ubi c. 11. *De quæſtionibus conjugiorum* ſic habetur: *Muliere mortua licet viro poſt menſem alteram accipere; mortuo viro poſt annum licet mulieri alterum tollere virum.*

MOTIVUM VIII.

Ex ratione.

SI Eccleſia conſiliat matrimonium gravidarum viduarum cum novis maritis, ſequuntur quinque inconvenientia, quorum complexum majus generi humano & Eccleſiæ invehit malum ex permiſſione, quam eſt bonum ex prohibitione earum nuptiarum; ergo hæ nuptiæ per leges prudentiæ legislativæ ſunt prohibendæ; quia ſine dubio prudentiæ eſt, eligere minus malum, ſi exceſſus mali majoris non compenſetur eminenter majoribus bonis. *Antecedens probatur.* Nam ſequitur

Primo. Incertitudo prolis, ſi contrahatur cum vidua primis quatuor poſt obitum mariti menſibus. Nam, prout Panormitanus in c. *Cum ſecundum Apoſtolum*, *De ſecundis nuptiis*, cum aliis Doctoribus obſervat, ſi talis vidua contractis ſecundis nuptiis pariat undecimo menſe poſt obitum prioris mariti, infans poterit adhuc eſſe prioris mariti; & viciſſim, ſi pariat ſeptimo menſe poſt contractas novas nuptias, poterit infans adhuc eſſe ſecundi mariti; cum mulieres perfectum fœtum poſſint eniti ſeptimo, nono, & etiam adhuc undecimo menſe. Et hinc ipſe Panormitanus fatetur, in praxi ſic judicandum eſſe, ut talis vidua nubens intra annum luctus incurrat pœnas ſtatutas in favorem liberorum (utique etiam incertorum) ex priore matrimonio.

Communiter, inquit, *Doctores ſic diſtinguunt, quod pœnæ impoſitæ in odium ſecundi matrimonii propter feſtinationem, quia voluit contrahere intra annum luctus, ſint ſublatæ; ſed bene appoſitæ favore filiorum non ſunt hodie ſublatæ. Et cum hac opinione videtur tranſire Bartolus & Gloſſa. Reperio Baldum referentem, quod Rainerius de Forlivio ſolemnis legis Doctor, & Paulus de Leaza, Doctor decretorum ſatis famoſus conſuluerunt, quod ſi oritur incertitudo prolis, habent locum omnes pœnæ legales, ut quia mulier peperit undecimo menſe poſt mortem mariti, nam poteſt tribui primo & ſecundo, quia in nono & ſeptimo poteſt mulier producere fœtum completum, & ſic mulier volens evitare illas pœnas, debet ſaltem differre per tres menſes. Eam opinionem ſequitur Petrus de Ancharo, & videtur prima fronte hæc opinio multum probabilis. Nam ex cauſa interdicitur ad tempus uſus matrimonii contracti: fortius (ergo) ex cauſa poteſt matrimonium contrahendum impediri. Sed judicio meo iſta litera multum obſtat. -- In judicando tamen vel conſulendo grave eſſet recedere a communi opinione Doctorum, quam non reperio in hoc per aliquem violatam; & ideo non attentarem venire contra opinionem Doctorum tantorum.*

Hucuſque Panormitanus, qui ſcripſit ſæculo XV. ex quo ſequitur, ſaltem tribus poſt obitum mariti menſibus conſtanter uſque ad ſæculum XV. fuiſſe praxin, arcendi tales viduas a ſecundis nuptiis.

Secundo. Sequitur periculum abortuum multiplicium, nam, ut habet Albertus Magnus, in 4. diſt. 31. art. 3. ex coitu etiam conſueto maritorum cum conjuge prægnante oriuntur frequenter abortus. Quanto ergo facilius orientur ex novo coitu cum novo marito, ubi delectatio eſt major, & ſpirituum in matricem tranſpiratorum commixtio facilius movet novam affectionem aut ſenſationem peregrinam in Embrione. *Dicendum*, inquit, *videtur, ſicut dixit Avicena in l. de naturalibus, quod motus matricis cauſatur ex de-*

delectatione in coitu ; motus autem & delectatio simul faciunt matricis dilationem & apertionem ; & tunc frequenter effunduntur semina & Embria concepta.

Jam si ex centum matribus tantum una ob eam causam patiatur abortum, quod facile contingit, & non est alienum ab experientia, prodeunt singulis annis multa Embrionum millia, æternum excluſa a regno Dei.

Tertio. Licentia festinandi ad novas nuptias uxoribus lascivis addit incitamentum adulterandi, & machinandi in mortem maritorum. Eadem occasio redditur pronior adulteris viris spe contrahendi sine strepitu & rumore cum uxore imprægnata alterius mariti. Si enim viduæ gravidæ coguntur expectare usque ad partum ut admittantur ad novas nuptias, facilius utique reteguntur earum adulteria, aut machinationes in necem maritorum.

Quarto. In iis regionibus, ubi pactis nuptialibus solet inferi, ut si maritus decedat sine hærede, dimidium dotis restituatur propinquis defuncti, prout moris est in Bavaria, viduæ relictæ facile eluderent onus restituendi dimidium dotis, contrahendo celeriter novas nuptias, & asserendo se esse gravidas ex primo marito, cum tamen sint gravidæ ex secundo. Mihi ipsi hic casus contigit : cum enim assisterem in morte cuidam viro probo, diu assueto sequi meam directionem quoad conscientiam, is me monuit, ab uxore dimidium suæ dotis restituendum esse suis propinquis ; se enim certo scire, eam non esse ex se gravidam ; obiit post duos dies : vidua relicta statim dixit, se ex defuncto marito esse gravidam, & ferme intra bimestre contraxit novas nuptias.

Quinto. Si licet contrahere matrimonium cum gravida ex alio marito vel amasio, etiam licitus erit absque peccato veniali coitus cum gravida ; immo illa sententia, quod coitus mariti cum uxore gravida causa incontinentiæ careat culpa veniali, tacite approbabitur hac ipsa notoria praxi Ecclesiastica copulandi gravidas : Sed hoc dici nequit, ut patet ex quæstione : *De usu matrimonii cum uxore gravida*. Major autem probatur ex communi sensu taliter contrahentium & copulantium, nam hi non prohibent sic copulatis usum matrimonii usque ad partum, & illi eo animo contrahunt, quo putent sibi statim post contractum solemnem nuptialem esse licitum usum matrimonii.

Hæc igitur sunt mala, quæ facile sequuntur ex permissione ejusmodi conjugiorum. Econtra non possunt assignari bona gravis momenti, ex his nuptiis consequentia, ac Reipublicæ vel saluti animarum valde proficua, quibus compensentur illa mala, prout liquebit ex solutione objectionum.

Dices 1. Canonistæ jam a quinque sæculis passim permittunt secundas nuptias uxoribus viduis sine ulla distinctione mensium ad obitu mariti, aut gestationis uteri : Ergo, cum Canonistæ repræsentent praxin Ecclesiæ, secundæ nuptiæ mulieribus viduis sine ulla exceptione mensium aut status ex gestatione prolis admittendæ sunt.

Idem confirmatur ex simili indistincta indulgentia Summistarum, seu Theologorum moralium a quinque sæculis.

Item ex Concilio Beneventano Provinciali Sexto, celebrato anno 1374., ubi tit. 10. De Sacramento matrimonii c. 70. dicitur : *Uxor non potest cum alio contrahere, donec sit certa de morte mariti, & post probationes nubere potest etiam infra tempus luctus, & absque nota infamiæ.*

Respondeo, Canonistas permittere ejusmodi nuptias, ut possint contrahi impune in foro externo ; non autem, ut possint contrahi licite in foro interno ; de hoc enim foro agere non est eorum fori. Quod si aliquando respicerent ad forum internum, loquuntur de viduis non gravidis ex primo marito, aut si loquuntur etiam de his, non consentiunt inter se prout patet ex Panormitano ; aut ubi consentiunt etiam de gravidis, solum docent, ejusmodi matrimonia posse contrahi valide sine peccato mortali, scilicet per *indulgentiam Apostolicam*,

eam, quamvis non ſine veniali: Et hic potiſſimum erat ſtatus Quæſtionis ante Tridentinum.

Cæterum, quod permiſſio ejuſmodi nuptiarum facta non fuerit tunc temporis cum intentione contrahentes eximendi a peccato veniali, colligitur ex ipſo Concilio Beneventano, dum uſum matrimonii cum gravida non eximit a peccato veniali: nam Tit. 10. cap. 31. de actu conjugali ſic habet: *Aliquando commiſcentur conjuges cauſa prolis ſuſcipiendæ, aliquando cauſa reddendi debitum, aliquando cauſa incontinentiæ, ſive vitandæ fornicationis, aliquando cauſa exſaturandæ libidinis. In primo & ſecundo caſu nullum eſt peccatum; in tertio eſt veniale; in quanto mortale. Sed nec propter ſanitatem corporalem cognoſcenda eſt uxor; immo eſt peccatum, quia quæreretur ſanitas per id, quod ad id non eſt ordinatum. Tempore imprægnationis, ſi ſine periculo abortus fieri poſſit, & poteſt debitum a gravida reddi, & etiam exigi ſine peccato mortali, alias non.* Ita Concilium, ſeu potius liber Synodalis in Concilio præſcriptus.

Igitur, ſicut in hoc Concilio permittuntur viduis mulieribus ſæcundæ nuptiæ intra annum luctus, quin ſic contrahentes uti poſſint matrimonio licite uſque ad partum prolis ex priore marito, ita etiam reliquis Canoniſtis, ſaltem probatioribus, eundem fuiſſe animum, cenſendum eſt.

Dices 2. Obtinet univerſim praxis Eccleſiæ, ut defloratæ geſtantes uterum permittantur contrahere cum deflorante, non expectato partu: ergo eadem licentia tribuenda eſt viduis gravidis ex priore marito; quia non minus matrimonium defloratæ gravidæ cum deflorante eſt occaſio ad novos coitus venialiter illicitos, quam copulatio viduarum prægnantium; neque eſt ratio, cur Eccleſia minus cenſeatur per copulationem approbare ejuſmodi connaturales ſequelas in conjugio viduarum prægnantium, quam per copulationem defloratarum prægnantium?

Reſpondeo tranſmiſſo antecedente, quod tamen credo eſſe falſum, nullam exinde trahendam eſſe conſequentiam ad conjugia viduarum prægnantium, quia in conjugio defloratarum non concurrit complexum tot malorum, quod concurrit in conjugio viduarum. Neque enim concurrit in illo *incertitudo prolis*, neque *tantum periculum abortus* ex commixtione ſeminum & ſpirituum habentium diverſas qualitates ſpecificas, idoneas ad alterandam ſobolem, & commovendam vel aperiendam matricem, neque *periculum machinandi in necem* prioris mariti, neque *periculum defraudandi propinquos* defuncti mariti reſtitutione Dotis. Itaque etiamſi in nonnullis locis ad cavenda majora mala conjungantur defloratæ gravidæ cum deflorantibus, relinquendo eorum conſcientiæ, an cenſeant continentiam ſervandam uſque ad partum; id tamen in viduis prægnantibus admittendum non eſt, in quibus, ſi differantur uſque ad partum, non timentur illa majora mala defloratarum, *ſuffocatio fœtus*, ex timore proſtitutionis, *derelictio aut fuga* deflorantis, *fornicationum frequentatio*, *familiarum in* domo paterna perturbatio perpetua &c. Sed potius ſi non differantur, timentur gravia mala, prout oſtenſum eſt.

Dices 3. Apoſtolus 1. Cor. 7. & Rom. 7. permittit viduis nubere ſine exceptione loci, temporis, ſtatus, aut alterius circumſtantiæ: Ergo ſtatim poſſunt nubere etſi fuerint gravidæ.

Reſpondeo, Apoſtolum dare licentiam ſuppoſitis ſupponendis, id eſt, nullo alio interveniente impedimento juris naturalis vel poſitivi. Ejuſmodi enim conditiones per ſe inexiſtentes in lege rationabili cenſentur eſſe tacite imbibitæ in omni lege. Sic & Apoſtolus non exprimit conditionem temporis jure poſitivo requiſitam, cum utique non liceat contrahere tempore prohibito; neque excipit alia impedimenta, impedientia aut dirimentia, quia inferri queat, viduas per licentiam apoſtolicam volare poſſe ad ſecundas nuptias non attentis illis impedimentis.

Di-

Dices 4. Quod nullo jure reperitur prohibitum, licet: Sed nullus adduci poteſt Canon: aut Conſtitutio prohibens ejuſmodi viduarum gravidarum nuptias.

Reſpondeo, in iis, quæ prohibentur legibus civilibus, ab Eccleſia uſu receptis, non eſſe conſuetudinis Eccleſiaſticæ, ſpeciali Canone eadem inculcare, niſi urgeat tranſgreſſionum frequentia. In præſenti autem oſtenſum eſt, antiquas leges civiles, repellentes a ſecundis nuptiis viduas intra annum luctus, fuiſſe ab Eccleſia obſervatas primis ſæculis, ac dein conſuetudine cuſtoditas in bene moratis urbibus; ea ergo ipſa conſuetudo, præſertim Romana pro lege ſervire debuerat parti minori & ignobiliori Eccleſiæ Catholicæ; cum utique conſuetudinis robur a prædominante & majori parte Provinciæ aut communitatis deſumendum ſit.

Dices 5. Si viduis gravidis prohibetur liber tranſitus ad ſecundas nuptias uſque ad partum, ſequuntur magna mala.

Reſpondeo; Hæc mala tam magna non eſſe, ut attentione digna ſint, demonſtrat conſuetudo Romana, Veneta, Auguſtana &c. & totius veteris Eccleſiæ uſque ad Sæculum XIII., quo forte ex laxitate unius & alterius Canoniſtæ, vel Summiſtæ irrepſit in particularibus locis vel actibus contraria obſervantia.

Itaque de his malis ob evidentiam experientiæ ne quidem diſputandum eſt.

IDEA
DIVINI AMORIS,

SEU

EXPOSITIO DISTINCTA
PRIMI AC MAXIMI MANDATI

UBI OSTENDITUR

I. Falsam esse vulgatam persuasionem existimantium, quod perfectus amor Dei excludat, aut omnino excludere possit desiderium propriæ Beatitudinis.

II. Amorem Dei in Scriptura præceptum consistere in affectu Amicitiæ, mixto *ex actu Benevolentiæ*, quo volumus Deo omnia Bona; & *ex actu concupiscentiæ*, quo volumus fruitionem Dei, tanquam nostri summi Boni.

III. Sine hoc Amore Dei neminem justificari.

IV. Amorem in Scriptura præceptum essentialiter involvere serium propositum eliciendi actus amoris practicos, seu placendi Deo per studium bonorum operum.

AD LECTOREM.

UT de ſtatuenda genuina divini Amoris Idea conſilium caperem, ea me potiſſimum ratio impulit, quod viderem, plurimos in explicando plebi primo ac maximo mandato vehementer hallucinari. Error eorum non unus eſt.

Primo enim errant, quod Amorem Dei in Scriptura præceptum conſtituant præciſe in aliquo actu Benevolentiæ erga Deum, excludendo deſiderium propriæ Beatitudinis.

Secundo errant, quod eundem Amorem potius conſtituant in aliquo actu Benevolentiæ ſpeculativo, quam practico involvente ſerium propoſitum placendi Deo per ſtudium bonorum operum, & perfectionis cujusvis ſtatui congruæ.

Tertio errant, quod negent ad juſtificationem requiri Amorem DEI, ſed doceant, ſufficere propoſitum eliciendi ſuo tempore, quo urget præceptum, actum amoris Dei.

Ut his erroribus irem obviam, oſtendo 1. Amorem in Scriptura præceptum conſiſtere in affectu amicitiæ, quo non ſolum volumus ſerio Deo omnia Bona tam intrinſeca, & extrinſeca cum efficaci propoſito cooperandi ad hoc per actus amoris practicos, & ſtudium bonorum operum, ſed etiam appetimus fruitionem ipſius Dei tanquam noſtri ſummi Boni, & finis ultimi. Quod enim amor amicitiæ mixtus ſit ex actu benevolentiæ & concupiſcentiæ, teſtatur D. Thomas in 3. d. 27. q. 2. art. 1. ad 1. ubi ait: *Quælibet amicitia concupiſcentiam ſeu deſiderium includit, & aliquid ſuper eam addit*; & 2. 2. q. 26. art. 3. ad 3. *Quod aliquis velit frui Deo, pertinet ad amorem, quo Deus amatur amore Concupiſcentiæ, magis autem amamus DEUM amore amicitiæ &c.* Oſtendo 2. hunc Amorem eſſe neceſſarium ad juſtificationem. Quamvis enim negem, in Sacramento Pœnitentiæ requiri, ut dolor procedat ex motivo amoris Dei, requiritur tamen, ut attritionem concomitetur vel ſubſequatur ſerium propoſitum ſe ſalvandi, & placendi Deo per actus amoris practicos, eliciendos ſuo tempore, quod propoſitum, cum ſit actualis voluntas fruendi DEO, & eidem procurandi gloriam extrinſecam, eſt actualis amor Dei, ſeu affectus amicitiæ, mixtus ex actu concupiſcentiæ & benevolentiæ. Qua doctrina ſic contemperari poterunt Authorum de ſufficientia Attritionis vel neceſſitate contritionis in Sacramento ſententiæ, ut dicatur; in Sacramento Pœnitentiæ ad juſtificationem hominis in peccato mortali conſtituti requiri quidem actualem dilectionem Dei, ſed incluſam in propoſito, attritionem concomitante vel ſubſequente; quin neceſſario præcedat dolorem per modum motivi, aut per modum actus imperantis: Cæterum, ſi actualis amor Dei abſit etiam ex parte propoſiti, confeſſionem fore ſaltem informem in homine, qui ex ignorantia vel inadvertentia invincibili hic & nunc non cogitat de obligatione amandi Deum, id eſt, in Deo conſtituendi ſuum finem ultimum, ac beatitudinem, eique placendi per ſtudium bonorum operum; qui tamen actus amoris non requiratur ſub his formalitatibus explicite ac reflexe, ſed ſufficit ſi ponatur exercite per ſeriam voluntatem *ſe ſalvandi, & inſtituendi vitam vere Chriſtianam*, non ſolum abſtinendo a malo, ſed etiam operando bonum. Hic ſcopus eſt præſentis laboris, in quem ipſiſſimum collimat R. P. Antoninus Maſſouliè, Qualificator S. Officii Romæ, & Vicarius Generalis totius Ordinis S. Dominici in ſuo præclaro *Tractatu de Amore Dei*, edito in lingua Gallica, Italica, & Germanica, ut omnes intelligant, ſententiam, quam tuendam ſuſcipio, non tam communem eſſe, quam certam. Vale.

INDEX

CAP. I. *Explicatur ſtatus quæſtionis; an videlicet Deus ſit neceſſario diligendus abſque intuitu ullius mercedis?*
CAP. II. *Oſtenditur, in omni actu voluntatis includi appetitum propriæ felicitatis.*
CAP. III. *Oſtenditur, ab Eccleſia tam doctrinam fuiſſe damnatam, quæ docet; perfectum amorem DEI conſiſtere in amore pure benevolo deſintereſſato.*
CAP. IV. *Talem amorem deſintereſſatum nec habuerunt Sancti.*
CAP. V. *Nec illum docuit Scriptura.*
CAP. VI. *Nec S. Auguſtinus.*
CAP. VII. *Nec alii Patres.*
CAP. VIII. *Solvuntur Objectiones, & traditur Syſtema Theologiæ Myſticæ.*
CAP. IX. *Traduntur Regulæ amoris practici.*
CAP. X. *Oſtenditur hujus amoris practici neceſſitas.*

REGULÆ AMORIS PRACTICI.

1. *Miſſa ſollicitudine objectorum inanium in omnibus actionibus inquirit beneplacitum Dei.*
2. *Semper habet conjunctum zelum in corrigendis, aut puniendis peccatis.*
3. *Agit, quæ ſcit placere Deo.*
4. *Non conſiſtit cum tempore in ſunctionibus ſacris.*
5. *Non delectatur vanis ſpectaculis.*
6. *Habet vehementem zelum promovendi divinum honorem.*
7. *Non quærit, quid præceptum ſit, ſed quid ſit gratum Deo.*
8. *Talis eſt erga Deum, qualis eſt erga amicum in rebus humanis.*
9. *Non eſt minus activus, quam amor pecuniarum.*
10. *Curat utilitatem proximi, & commune commodum.*
11. *Omnia perfert pro gloria Dei.*
12. *Sollicitus eſt pro converſione totius mundi.*
13. *Eſt tolerantior amore Jacobi erga dilectam.*
14. *Servat ordinem in diligendo, omnia reducendo ad Deum.*
15. *Tendit ad amorem perfectiſſimum.*
16. *Nunquam in ulla materia optat, non dari legem.*
17. *Non conſiſtit cum amore terrenorum pure terreno.*
18. *Tendit ad contemplationem.*
19. *Reddit animam conformem Deo quoad omnes affectus.*
20. *Utitur omnibus creaturis ad laudem Dei.*
21. *In nulla creatura quærit voluptatem, niſi inquantum eſt medium ad Deum.*
22. *Delectatur in ſolo Deo.*
23. *Facit, quod Deus amat; & amat, quod Deus facit.*
24. *Eſt amor totius Juſtitiæ.*
25. *In omnibus actionibus procurat gloriam Dei.*
26. *Talis eſt erga Deum, qualis erga parentem.*
27. *Studet imitari Deum.*
28. *Habet omnia cum Deo communia, etiam affectus & ſenſus animi.*
29. *Non conſiſtit cum delectationibus vanis circa res terrenas.*
30. *Semper operatur magna.*
31. *Aliam ſui menſuram non agnoſcit, niſi ut agat, quantum poteſt.*
32. *Omnes affectiones animi præparat Deo.*

IDEÆ

IDEÆ
DIVINI AMORIS

CAPUT I.

Explicatur Status Quæſtionis.

QUæſtio in eo verſatur, an dilectio Dei, quam Scriptura præcipit, & in qua Chriſtiana perfectio conſiſtit, debeat eſſe actus *puræ benevolentiæ* erga Deum; an vero conſiſtat in *actu amicitiæ*, mixto ex actu benevolentiæ, & concupiſcentiæ? Ad hoc intelligendum explicari debent hi termini. Primo. Actus *benevolentiæ*. 2. Actus *benevolentiæ puræ*, *& deſintereſſatæ* 3. Actus *concupiſcentiæ*. 4. Actus *amicitiæ*.

Actus benevolentiæ eſt, quo volumus alteri bonum, abſtrahendo quoad motivum explicitum, an ſit nobis bonum. v. g. ſi dico: *Bone Deus, quia dignus es omni amore ac veneratione, opto, ut ameris & colaris ab omnibus hominibus &c.* In hoc actu motivum formale, immediatum, ac explicitum eſt ſola Excellentia Dei; nec dubium eſt, eundem actum eſſe valde bonum. Ita D. Thomas 2. 2. q. 28. art. 1. ubi ait: *Per amorem benevolentiæ aliquis gaudet de bono divino.*

Actus puræ benevolentiæ, ac deſintereſſatæ eſt, quo ſic volumus alteri bonum, ut ne quidem tacite & implicite per hoc appetamus noſtrum bonum. Diſcrimen proin hujus *puræ benevolentiæ* a ſimplici *actu benevolentiæ* eſt, quod in actu benevolentiæ quoad motivum explicitum abſtrahamus a commodo ac intereſſe proprio, licet tacite ac inadvertenter poſſit intervenire. In actu autem *puræ benevolentiæ* non ſolum abſtrahitur quoad motivum explicitum ab omni commodo ac intereſſe proprio, ſed iſtud etiam poſitive excluditur, ſic ut nec tacite ac implicite velit illud intervenire. Formula talis amoris *pure benevoli ac deſintereſſati eſt*, ſi v. g. dico: *O Deus, ego amo te, non ideo ut ſalves me; nec ideo, quia es meum ſummum bonum, mea unica felicitas, ac ſpes; ſed ideo ſolum amo te, quia es in te ipſo ſummum bonum, & quia ob infinitas tuas perfectiones dignus es, ut omnes te colant, & ament abſque intuitu ullius mercedis.*

Actus concupiſcentiæ eſt, quo appetimus aliquod bonum, quatenus eſt nobis bonum, v. g. ſi dico: *Deus meus & omnia, ad te ſuſpiro, quia es mea unica felicitas.* Ita D. Thomas 2. 2. q. 26. art. 3.

ad 3. prout ostensum est in Præfatione.

Actus amicitiæ est, quo volumus simul amico, & simul nobis bonum; quia juxta D. Thomam amicitia consistit in mutua communicatione bonorum. 1. 2. q. 65. art. 5. & 2. 2. q. 23. art. 1. sic habet: *Charitas non solum significat amorem Dei, sed etiam amicitiam, quæ super amorem addit mutuam redamationem cum quadam communicatione mutua.* Et 2. 2. q. 23. art. ult. ait: *Amicitia Charitatis fundatur in communicatione Beatitudinis.* Itaque actus amicitiæ mixtus est ex actu benevolentiæ, & ex actu concupiscentiæ; ex actu benevolentiæ qurdem, quia per affectum amicitiæ volumus alteri bonum; ex actu concupiscentiæ vero, quia per communicationem cum amico volumus nobis bonum. Formula talis amoris amicitiæ est v. g. hæc: *O Deus meus, tu es meum summum bonum, mea unica felicitas, finis ultimus omnium meorum desideriorum, mea immensa ac æterna voluptas, verbo, Deus meus & omnia. Te æstimo, ac præfero omnibus aliis bonis creatis, honoribus, divitiis, & voluptatibus. Te unicum his omnibus contemptis ambio; te unum quæro; & inquietum est cor meum, donec requiescat in te. Felix esse cupio; beatitudinem ac vitam æternam quæro; sed hanc beatitudinem in te quæro; & ideo, ut fruar te, servio tibi. Servabo mandata tua, quia merces mea es magna nimis. Te mihi solum dona, & sufficit mihi &c.* In hac amoris formula amatur Deus *propter seipsum*, quia non amatur propter aliud bonum quærendum v. g. propter divitias, honores, aut voluptates terrenas, sed ob ipsum Deum. In hac etiam formula solus Deus est finis ultimus, *qui*, id est, qui appetitur; quamvis homo ipse sit finis *cui*, id est, cui illud summum appetitur.

His ita explicatis Quæstio jam est, an præceptum dilectionis Dei obliget ad actum puræ benevolentiæ, an vero ad actum amicitiæ? & utrum Christiana perfectio in illo consistat?

CAPUT II.

Utrum omnis actus voluntatis sit saltem tacite appetitus propriæ felicitatis?

EX hujus quæstionis resolutione magna ex parte dependet Controversiæ præsentis resolutio. Si enim voluntas nihil potest velle, nisi tacite ac implicite id fiat ex appetitu propriæ felicitatis, clarum est, in actu ipso benevolentiæ occultum motivum commodi ac interesse proprii positive excludi non posse; adeoque actum *puræ benevolentiæ prorsus desinteressatæ* esse impossibilem. Quod si homo ex abundantia pietatis ac benevolentiæ erga Deum ita absorbeatur in motivis explicitis benevolentiæ, ut credat se ex illis solis moveri, & se abdicare omne commodum proprium; erit quidem hic actus valde bonus; & erit actus *benevolentiæ puræ*, saltem affective, quia actus voluntatis suam denominationem sumunt ex motivo formali explicito; non tamen erit actus *puræ benevolentiæ* effective, quia tacite ac inadvertenter intervenit motivum commodi proprii, quod sequentibus authoritatibus probo.

Primus pro genuino amore Dei militet divinus Plato. Is docet, voluntatem nihil velle, nisi bonum, ac sibi bonum. In dialogo *de Amore* sic habet: *Qui amat bona, quid appetit? adesse, inquam. Quid huic erit, cui bona aderunt? felix, inquam, erit. Possessione sane bonorum beati sunt, quicunque beati, neque requirere ulterius opus est, ad quid felix esse velit, qui felicitatem optat, sed finem jam habere responsio videtur? vera loqueris, inquam. Nunquid hanc voluntatem amoremque cunctis censes hominibus esse communem, omnesque velle, bona sibi semper adesse? communem plane, inquam.* Sic Plato, qui si quæsiisset ex adversariis nostris, cur felices esse velint, non jam finem haberet responsio, sed responderent, se ideo felices esse velle, quia, ut hoc velint, placet Deo. Quod si quæreret Plato, cur velint placere Deo, hic demum juberent novi Aplatones quiescere.

ſcere. Verum pergat divinus noſter in eodem dialogo, ubi, cum quæſiiſſet, quinam veri amatores nuncupandi ſint, an ii, qui dum amicum quærunt, dimidium ſui perquirere dicuntur, ſic reſpondet: *Ego autem nec dimidii nec totius amorem aſſero, niſi aliquo pacto ſit bonum: quandoquidem & manus & pedes, ſi videantur mala homini ac pernities eſſe, vel a ſeipſis homines abſcindere volunt. Non enim ſuum quiſque diligit, niſi forte quiſpiam, quod bonum eſt, ſuum vocet; quod vero malum, potius alienum; quippe cum nihil aliud præter bonum homines ament. Simpliciter ergo dicendum, homines bonum amare, nec adeſſe ſolum bonum, ſed & ſemper adeſſe velle: eſt igitur amor appetitio, qua bonum ſibi ſemper eſſe quis cupit.* Plato, qui invenit artem definiendi, haud dubie hic voluit ſuam definitionem convenire omni amori, etiam perfectiſſimo. Idem in dialogo *de ſummo bono* docet, hanc eſſe boni naturam, ut appetatur ab omnibus, & nihil aliud appetatur, aut curetur, quod adverſarii non admitterent, cum docent, perfectum amorem nihil aliud velle aut curare ultimato, niſi ſolum beneplacitum divinum. Sic habet: Socrates: *Ipſius boni conditionem perfectum eſſe, aut imperfectum, neceſſe ſit.* Protagoras: *Omnium, o Socrates, perfectiſſimum.* Socr. *Quid vero, ſufficienſne bonum eſt?* Protag. *Quidni? & in hoc ipſo ab omnibus, quæ ſunt, differre neceſſe eſt, cunctiſque præſtare.* Socr. *Hoc quoque de illo maximo, ut arbitror, neceſſarium eſt aſſerere, quod omne cognoſcens venatur idipſum, & appetit apprehendere cupiens, & circa ſe habere, cæterorumque nihil curat, præterquam quæ una cum bonis perficiuntur.* Protag. *His repugnari non poteſt.*

Secundus a Platone Ariſtoteles conſiſtat. Lib. 1. Ethic. c. 1. ſic exorditur: *Omnis ars, omniſque diſcendi via, actio item, atque electio bonum quoddam expetere videtur: quapropter bene id bonum eſſe aſſeruerunt, quod omnia expetunt.* Et c. 2. *Si igitur agendarum rerum finis aliquis eſt, quem propter ipſum, & propter quem alia volumus, neque omnia ob aliud eligimus (in infinitum enim fieret progreſſus, vanuſque & inanis appetitus noſter eſſet) perſpicuum eſt, eum ſummum bonum, atque optimum fore.* Hic oſtendit Ariſtoteles, quod bonum propter ſeipſum expetatur, non ob aliud, nempe ut placeamus Deo; placere enim Deo & implere ejus beneplacitum non eſt ipſum bonum, ſeu ipſa felicitas noſtra, ut ratione ſui expetatur, ſed eſt medium ad felicitatem ac poſſeſſionem ſummi boni: felicitas enim noſtra eſt finis ac terminus ac primum & ultimum motivum humani appetitus. Id Ariſtoteles cap. 4. ulterius ſic declarat: *Nunc jam repetita oratione dicamus, quoniam omnis cognitio, omniſque electio bonum quoddam appetit.* Et cap. 7. *Quid igitur unicuique bonum eſt, an id, cujus gratia cætera aguntur? hoc autem eſt in medicina ſanitas, in arte militari victoria, in ædificatoria domus, in omni denique actione & electione finis ipſe, cujus gratia reliqua omnia omnes agunt. At optimus finis perfectum quid eſſe videtur, quod ſemper per ſe, nunquam ob aliud expetendum eſt: ejuſmodi autem videtur felicitas maxime eſſe; hanc enim propter ſeipſam ſemper, & nunquam ob aliud expetimus: at honorem, voluptatem, mentem ac virtutem omnem etiam ipſa felicitatis cauſa expetimus, ex his felices nos futuros exiſtimantes.* Veriſſima dicit Ariſtoteles, quod nemo eligat virtutem, aut velit placere Deo, niſi hoc conſideret tanquam medium ad felicitatem, aut tanquam ipſam felicitatem hominis, quod foret ſceleſtiſſimum.

Quod vero voluntas humana neceſſitetur ad appetitum ſuæ felicitatis ulterius, Ariſtoteles ſic declarat l. 3. Ethic. c. 2. ait: *Voluntas finis magis eſt, electio vero eorum, quæ ſunt ad finem. Sic felices eſſe volumus, atque ita dicimus; dicere vero, eligimus felices eſſe, minime convenit.* Et l. 1. de arte Rhet. c. 5. ait: *Unicuique privatim & publice omnibus finis quidam eſt, ad quem collimantes alia perſequuntur, alia fugiunt; is vero, ut uno verbo dicam, felicitas aut ejus pars aliqua eſt.* Et l. 7. Magnor. Moral. c. 17. *Naturalis eſt per cupiditatem jucundæ rei appetitus, & naturæ omnia ad bonum feſtinant.*

Tertio Boethius *de conſolat. Philoſophiæ* l. 3. proſa 2. ſic habet: *Omnis mortalium cura, quam multiplicium ſtudiorum labor exercet, diverſo quidem calle procedit, ſed ad unum tamen beatitudinis finem nititur pervenire, id autem eſt bonum, quo quis adepto nihil ulterius deſiderare queat; quod quidem eſt omnium ſummum bonorum, cunctaque intra ſe continens bona. Liquet igitur eſſe beatitudinem ſtatum bonorum omnium congregatione perfectum: hunc, uti diximus, diverſo tramite mortales omnes conantur adipiſci: eſt enim mentibus hominum veri boni naturaliter inſerta cupiditas -- bonum eſt igitur, quod tam diverſis ſtudiis homines petunt: in quo quanta ſit naturæ vis, facile monſtratur, cum, licet variæ ſint ſententiæ, tamen in diligendo boni finem conſentiant.*

Quarto S. Auguſtinus l. 10. Confeſſ. c. 20. *Cum te Deum meum quæro, vitam beatam quæro: nonne ipſa eſt beata vita, quam omnes quærunt, & omnino, qui nolit eam, nemo eſt.* C. 21. *Ubi expertus ſum vitam beatam, ut amem eam & deſiderem? nec ego tantum, aut cum paucis, ſed beati prorſus omnes eſſe volumus: ſi quæratur a duobus, utrum militare velint, fieri poterit, ut alter, velle ſe, alter, nolle, reſpondeat, ſi autem ab eis quæratur, utrum beati eſſe velint, uterque ſtatim ſe ſine ulla dubitatione dicet optare, nec ob aliud ille vellet militare, iſte nollet, niſi ut beati ſint; ita omnes ſe beatos eſſe velle conſonant.* Soli deſintereſſati myſtici, ſi ita diis placet, nec ſuam beatitudinem expetunt lib. 1. de libero arb. c. 14. ait: Auguſtinus. *Cenſeſne quemquam hominum non omnibus modis velle, atque optare vitam beatam?* Evodius. *Quis dubitat omnem hominem velle?* & lib. 2. de lib. arbit. c. 9. *Omnes diverſæ ſectantes bonum appetunt; ſed propterea diverſa ſectantur, quod aliud alii videtur bonum: in quantum homines appetunt vitam beatam, non errant; in quantum autem unuſquiſque non eam tenet vitæ viam, quæ ducit ad beatitudinem, cum ſe fateatur nolle, niſi ad beatitudinem pervenire, in tantum errat. Summo autem bono aſſecuto beatus quiſque ſit, quod omnes ſine controverſia volumus.* Divus Auguſtinus nihil adhuc ſcivit de ſecta deſintereſſatorum id unum ſectantium, ut placeant Deo, nihil præterea deſiderantium. Lib. 1. de moribus Eccleſ. cap. 3. ait: *Beate certe vivere omnes volumus, nec quiſquam eſt in hominum genere, qui non huic ſententiæ conſentiat; beatus autem neque ille dici poteſt, qui non habet quod amat, neque qui habet, quod amat, ſi noxium ſit. Beata vita inveniri poteſt, cum id, quod eſt hominis optimum, & amatur & habetur; quid enim eſt aliud frui, niſi præſto habere, quod diligis? præſto ergo nobis debet eſſe optimum, ſi beate vivere cogitamus.* Lib. 10. de Civit. cap. 1. *Omnium certa ſententia eſt, beatos eſſe omnes homines velle. Platonici tamen illico, quod omnes appetunt, id eſt, beatam vitam, quemquam aſſecuturum negant, qui non illi uni optimo, qui eſt Deus, puritate caſti amoris adhæſerit.* Et lib. 14. de Civit. cap. 4. *Homo beatus vult eſſe, etiam non ſic vivendo, ut poſſit eſſe; non enim fit peccatum, niſi ea voluntate, qua volumus, ut bene ſit nobis.* De Trinit. lib. 13. cap. 4. 5. 6. 7. 8. ait: *Cicero, cum in Hortenſio de aliqua re certa ſumere vellet exordium; beati certe, inquit, omnes eſſe volumus, abſit, ut hoc falſum eſſe dicamus. Quapropter verum eſt, quod omnes homines eſſe beati velint, idque unum ardentiſſimo amore expetant, & propter hoc cætera quæcunque appetunt.* Deſintereſſati unum aliquid non propter beatitudinem appetunt, nempe virtutem ac placere Deo. Hoc tamen ipſum retundit S. Auguſtinus lib. cit. c. 8. his verbis: *Forte virtutes, quas propter ſolam beatitudinem amamus, perſuadere nobis audent, ut ipſam beatitudinem non amemus? quod ſi faciunt, etiam ipſas utique amare deſiſtimus, quando illam, propter quam ſolam iſtas amavimus, non amamus.* In Pſalm. 32. ad illud: *beata gens*, ſic ſcribit: *Omnes beatitudinem amant; etiam qui male faciunt, beati ſemper eſſe volunt; furtum quis facit: quæris, quare? propter famem depellendæ ergo miſeriæ cauſa, & aquirendæ beatitudinis cauſa faciunt omnes homines, quidquid vel*

boni

boni faciunt vel mali. Itaque deſintereſſati inter omnes homines numerandi non ſunt, qui aliquid agunt, idque perfectiſſimum, actum puræ benevolentiæ, eumque non cauſa aquirendæ beatitudinis, nec depellendæ miſeriæ.

Quinto S. Thomas tria oſtendit. 1. objectum ac finem voluntatis eſſe bonum quoddam univerſale. 2. Voluntatem in illud bonum neceſſario ferri. 3. Nullam dari volitionem niſi ex appetitu illius boni, finis, ſeu beatitudinis.

1. p. q. 20. a. 1. C. *Primus motus voluntatis & cujuslibet appetitivæ virtutis eſt amor; amor autem reſpicit bonum in communi.*

1. 103. a. 2. C. *Finis univerſalis rerum omnium eſt quoddam bonum univerſale; bonum autem univerſale eſt, quod eſt per ſe, & per ſuam eſſentiam bonum, quod eſt ipſa eſſentia bonitatis.*

1. 2. q. 1. a. 2. ad 3. *Objectum voluntatis eſt finis & bonum in univerſali.* Finis enim & bonum convertuntur. Bonum enim eſt, quod omnes appetunt, & finis eſt, ad quem terminatur appetitus.

1. 2. q. 10. a. 1. C. *Principium motuum voluntariorum eſt aliquid naturaliter volitum; hoc autem eſt bonum in communi, in quod voluntas naturaliter tendit.*

1. 2. q. 9. a. 1. C. *Bonum in communi, quod habet rationem finis, eſt objectum voluntatis.*

1. 2. q. 1. a. 6. C. *Quidquid homo appetit, appetit ſub ratione boni, quod quidem ſi non appetitur ut bonum perfectum, quod eſt ultimus finis, neceſſe eſt, ut appetatur ut tendens in bonum perfectum.*

1. 2. q. 1. a. 5. C. *Cum unumquodque appetat ſuam perfectionem, illud appetit aliquis ut ultimum finem, quod appetit, ut bonum perfectum, ac completivum ſui ipſius.*

1. 2. q. 1. a. 7. C. *Quantum ad rationem finis ultimi omnes conveniunt in appetitu finis ultimi, quia omnes appetunt ſuam perfectionem adimpleri, quæ eſt ratio finis ultimi.*

1. 2. q. 10. a. 2. ad 3. *Finis ultimus ex neceſſitate movet voluntatem, quia eſt bonum perfectum.*

1. q. 83. a. 1. ad 5. *Homo naturaliter appetit ultimum finem ſcilicet beatitudinem, qui appetitus naturalis eſt, nec ſubjacet libero arbitrio.*

In 4. diſt. 49. q. 1. a. 3. qq. 2. a. 1. *Voluntas non poteſt in oppoſitum ejus, ad quod ex divina impreſſione determinatur, ſcilicet ad oppoſitum finis ultimi.*

1. q. 19. a. 3. ad 5. *Voluntas, quæ ex ſe non eſt contingens, ex ſe neceſſitatem habet & habitudinem ad ſuum objectum.* Et in C. *Voluntas noſtra ex neceſſitate vult beatitudinem.*

1. 2. q. 109. a. 1. C. *Quantumcunque ponatur natura aliqua perfecta, non poteſt in ſuum actum procedere, niſi moveatur a Deo: hoc manet verum in appetitu finis ultimi: cum enim voluntas nihil poſſit velle, niſi incipiat ab appetitu finis ultimi; ſolus autem Deus voluntatem ad illum actum moveat & applicet, voluntas non poteſt in illum ſuum actum exire, niſi Deus illam prius ad volendum ultimum finem moveat & applicet.*

1. q. 205. a. 4. C. *Velle nihil aliud eſt, quam inclinatio quædam in objectum voluntatis, quod eſt bonum univerſale.*

1. 2. q. 9. a. 6. ad 3. *Deus movet voluntatem hominis ſi ut univerſalis motor ad univerſale objectum voluntatis, quod eſt bonum, & ſine hac univerſali motione* (ad bonum univerſale) *homo non poteſt aliquid velle.*

1. 2. q. 101. a. 9. ad 2. *A voluntate finis naturaliter deſiderati derivatur electio eorum, quæ ſunt ad finem.*

1. 2. q. 8. a 2. C. *Voluntas in ea, quæ ſunt ad finem, non fertur, niſi quatenus fertur in finem, unde hocipſum, quod in eis vult, eſt finis.*

1. 2. q. 10. a. 2. C. *Voluntas naturaliter tendit in ſuum finem ultimum; omnis enim homo vult naturaliter beatitudinem, & ex hac naturali voluntate cauſantur omnes aliæ voluntates, cum quidquid homo vult, veltt propter finem. Dilectio igitur boni, quod homo naturaliter vult ſicut finem, eſt dilectio naturalis; dilectio autem ab hac derivata, quæ eſt boni, quod diligitur propter finem, eſt dilectio electiva.*

1. 2. q. 1. a. 6. C. *Ultimus finis hoc modo ſe habet in movendo appetitum, ſicut ſe habet in aliis motionibus primum movens:*

ma-

manifeſtum eſt autem, quod cauſæ ſecundæ moventes non movent, niſi ſecundum quod moventur a primo movente; unde ſecunda appetibilia non movent appetitum, niſi in ordine ad primum appetibile, quod eſt ultimus finis.

1. q. 63. a. 4. C. *Voluntas dicitur de fine, qui propter ſe appetitur, eligere autem eſt appetere aliquid propter alterum conſequendum; unde proprie eſt eorum, quæ ſunt ad finem.*

1. 2. q. 9. a. 3. C. *Voluntas per hoc, quod vult finem, movet ſeipſam ad volendum ea, quæ ſunt ad finem;* & ad 1. *Voluntas in quantum actu vult finem, reducit ſe de potentia ad actum reſpectu eorum, quæ ſunt ad finem, ut ſcilicet ea actu velit.*

1. 2. q. 1. a. 6. ad 3. *Virtus primæ intentionis, quæ eſt reſpectu ultimi finis, manet in quolibet appetitu cujuslibet rei.*

Ex his & aliis innumeris ſimilibus D. Thomæ textibus abunde patet, omnem actum voluntatis procedere ex actuali appetitu beatitudinis ſeu finis ultimi, in quantum ex tali appetitu naturali ac indito excitatur ad eligenda ac volenda ea objecta, quæ ſunt ex ejus opinione aut pars illius beatitudinis, aut medium.

Objicitur 1. Datur vera amicitia inter duos amicos, qua amicus non diligitur ob aliquod commodum, aut utilitatem, quia, ut Cicero de Officiis ſcribit, amicitia non quærit ſua, nec propter indigentiam inventa eſt: ergo datur actus puræ benevolentiæ deſintereſſatæ ſine appetitu propriæ felicitatis. *Reſpondeo*, Amicos mutuam ſibi exhibentes benevolentiam ſine ſpe ullius lucri temporalis trahi ad hos actus benevolentiæ ab ipſa ſuavitate ac voluptate in iis amicitiæ actibus reperibili; niſi enim iis ſuave videretur amare & amari, nunquam ſociarent amicitiæ nexus; eam ſuavitatem hujus virtutis amicitiæ conſiderant tanquam partem propriæ felicitatis, aut tanquam præguſtum ſummæ felicitatis, & ideo ex appetitu propriæ felicitatis ad ipſos ſuaviſſimos benevolentiæ mutuæ actus exſiliunt. Sic Reſpondet ipſe Cicero his verbis: *Amicitiam non ſpe mercedis adducti, ſed quod omnis ejus fructus in ipſo amore ineſt, expetendam putamus -- ſi quos inter ſocietas aut eſt, aut fuit, aut futura eſt, eorum eſt habendus ad ſummum naturæ bonum optimus beatiſſimuſque comitatus: hæc eſt ſocietas, in qua omnia inſunt, quæ putant homines expetenda, honeſtas, gloria, tranquillitas animi, atque jucunditas, ut, cum hæc adſint, beata vita ſit, & ſine his eſſe non poſſit; quod cum optimum, maximumque ſit, ſi id volumus adipiſci, virtuti opera danda eſt. Omnino eſt amans ſui virtus; optime enim ſe ipſa novit, quamque amabilis ſit, intelligit.* Ita Cicero. Ex quo colligitur, eos, qui Deo ſervire volunt, non ut potiantur Deo, ſed præciſe ut placeant, tacite in ſuavitate hujus virtutis tanquam ſuo ultimo fine quieſcere, ſicque accedere ad ſceleſtiſſimum errorem Stoicorum, & Ariſtotelis, qui ſummum bonum ac beatitudinem hominis in ipſa virtute conſtituerunt.

Objicitur 2. Dantur actus benevolentiæ erga homines, quibus nullo amicitiæ vinculo jungimur v. g. dum legimus opera ac vitam Senecæ, dolemus miſeram illius in morte ſortem, optantes meliorem exitum; idem contingit circa alios viros armis aut virtute celebres, quos nunquam vidimus. Poterit itaque etiam erga Deum elici talis amor benevolentiæ, ſine appetitu proprii commodi. *Reſpondeo* dum amamus viros illuſtres amore benevolentiæ, haud dubie illos amamus propter egregiam aliquam virtutem iis inſitam, neceſſe eſt itaque, ut magis amemus ipſam virtutem; quia propter quod unumquodque tale illud magis tale; ſi amamus divitias propter voluptatem aut gloriam comparandam, magis amamus ipſam voluptatem aut gloriam, quam ipſas divitias, immo proprie loquendo non amantur divitiæ, ſed voluptas, ſicut proprie non amatur medicina ſed ſanitas, ob quam amatur medicina. Revera autem magis amari virtutem in talibus actibus benevolentiæ, patet ex eo, quia ſi quis verbi gratia non amet ſcientias, non exhibebit benevolentiam erga doctos, aut ſi non æſtimet ac amet virtutem,

tem, non habebit benevolentiam erga pios. Si ergo in talibus actibus benevolentiæ principaliter amatur virtus, ea amatur haud dubie ob pulchritudinem ſuam, ob claritatem ſuam, ob voluptatem ac ſuavitatem ſuam; appetitur ergo, & optatur, tanquam pars felicitatis noſtræ. Aut certe, ſi ea virtus, v. g. magnanimitas non videtur nobis a nobis obtinibilis, favemus tamen virtuti huic, eamque habentibus, quia ſic æquum juſtumque nobis videtur; ratio itaque favendi ac motivum eſt juſtitia; hanc juſtitiam amamus ut virtutem nobis inſitam, cujus converſatio nobis ſine ullo tædio æternum ſuavis eſt; nec eam amare fruendo poſſumus ac tenendo, niſi velimus eam eſſe quam perfectiſſimam, invictiſſimam, diffuſiſſimam; intereſt quippe noſtrum ac felicitatis noſtræ, ut bonum animi, quo delectabiliter fruimur, ſit, quam fieri poteſt, diffuſum, adeoque cum omni bonorum genere quaquaverſus connexum.

Hunc affectum & amorem virtutis felicitatiſque propriæ radicem eſſe omnium actuum benevolentiæ S. Auguſtinus non uno loco demonſtrat.

Lib. 8. de Trinit. cap. 9. ſic ait: *Quid eſt, quæſo, quod exardeſcimus, cum audimus, & legimus: Nullam dantes offenſionem, ſed exhibentes nos ut Dei miniſtros in multa patientia, in tribulationibus &c. &c. Quid eſt, quod accendimur in dilectionem Pauli Apoſtoli, cum iſta legimus, niſi quod credimus, eum ita vixiſſe? vivendum autem ſic eſſe Dei miniſtris, non de aliquibus auditum credimus, ſed intus apud nos, vel potius ſupra nos in ipſa veritate conſpicimus. Illum ergo, quem ſic vixiſſe credimus, ex hoc, quod videmus, diligimus; & niſi hanc formam, quam ſemper ſtabilem atque incommutabilem cernimus, præcipue diligeremus, non ideo diligeremus illum, quia ejus vitam huic formæ coaptatam & congruentem fuiſſe fide retinemus. Sed neſcio, quomodo & in ipſius formæ charitatem excitamur per fidem, qua credimus aliquem ſic vixiſſe, & ſpem, qua nos quoque ita poſſe vivere minime deſperamus, ut hoc & deſideremus ardentius, & fidentius precemur. Ita & ipſorum vitam facit a nobis diligi formæ illius dilectio, ſecundum quam vixiſſe creduntur, & illorum vita credita in eandam formam flagrantiorem excitat charitatem: ut quanto flagrantius diligimus Deum, tanto certius ſereniuſque videamus, quia in Deo conſpicimus incommutabilem formam juſtitiæ, ſecundum quam hominem vivere oportere judicamus.*

Et lib. 9. de Trinit. cap. 5. & 6. *Cum ſe novit mens, & amat ſe, manet trininas, mens, amor, notitia. Amor, quamvis referatur ad mentem amantem, tamen & ad ſeipſum eſt amor; quia & amor amatur, nec alio niſi amore amari poteſt, id eſt, ſeipſo. Sed cum novit humana mens ſeipſam, & amat ſeipſam, non aliquid incommutabile novit & amat. Aliterque unuſquiſque homo mentem ſuam enuntiat, aliter humanam mentem generali cognitione definit. Unde manifeſtum eſt, aliud unumquemque videre in ſe* (nempe, mentem ut ſic) *in ipſa veritate. Nam unde in me fraterni amoris inflammatur ardor, cum audio virum aliquem pro fidei pulchritudine & firmitate acria tormenta toleraſſe, & ſi mihi digito oſtendatur ille homo, ſtudeo mihi conjungere, notum facere, amicitia colligare. Itaque ſi facultas datur, accedo, alloquor, ſermonem confero, affectum in illum, quibus verbis poſſum, exprimo, viciſſimque in eo, quem in me habeat, exprimi volo, ſpiritalemque complexum, credendo molior, quia perveſtigare tam cito ejus interiora non poſſum. Amo itaque fidelem & fortem virum amore caſto atque germano, quod ſi mihi fateatur, quod de Deo credat incongrua, & pro tali errore illa pertulerit, ſtatim amor ille, quo in eum ferebar, offenſus, & quaſi repercuſſus atque ab indigno homine ablatus in ea forma permanet, ex qua eum talem credens amaveram. Ipſa vero forma inconcuſſa ac ſtabilis veritatis, in qua fruerer homine bonum illum credens, eadem luce incorruptibilis rationis meæ mentis aſpectum perfundit.*

CA-

CAPUT III.

Amor Dei perfectus non eſt amor puræ benevolentiæ deſintereſſatus.

HÆc veritas liquet ex Bulla Innocentii XII. damnantis doctrinam Fenelonii Archiepiſcopi Cameracenſis, aſſerentis, amorem Dei perfectum conſiſtere in amore puræ benevolentiæ deſintereſſato. Bulla ſic habet: *Innocentius XII. Cum ad noſtri notitiam pervenerit, in lucem prodiiſſe librum, cui titulus: Explication des maximes des Saints. Par M. de Fenelon &c. Librum præfatum quocunque idiomate imprimendum damnamus. Propoſitiones, quas configendas duximus, ſunt tenoris qui ſequitur:* 1. *Datur habitualis ſtatus amoris Dei, qui eſt charitas pura, & ſine ulla mixtione motivi proprii intereſſe: neque timor pœnarum, neque deſiderium remunerationum habent amplius in eo partem, non amatur amplius Deus propter meritum, neque propter perfectionem, neque propter felicitatem in eo amando inveniendum.* 2. *In ſtatu vitæ contemplativæ ſeu unitivæ amittitur omne motivum intereſſatum timoris & ſpei.* 3. *Id quod eſt eſſentiale in directione animæ, eſt non aliud facere, quam ſequi pedetentim gratiam cum infinita patientia, præcautione, & ſubtilitate oportet nunquam ad purum amorem ducere, niſi quando Deus incipit aperire cor huic verbo, quod tam durum eſt animabus ſibimet affixis, & adeo poteſt illas ſcandalizare.* 4. *In ſtatu ſanctæ indifferentiæ anima non amplius habet deſideria voluntaria & deliberata propter ſuum intereſſe, exceptis iis occaſionibus, in quibus toti ſuæ gratiæ fideliter non cooperatur.* 5. *In eodem ſanctæ indifferentiæ ſtatu nihil nobis, omnia Deo volumus, nihil volumus, ut ſimus perfecti, & beati propter intereſſe proprium; ſed omnem perfectionem, ac beatitudinem volumus in quantum Deo placet efficere, ut velimus res iſtas impreſſione ſuæ gratiæ.* 6. *In hoc ſanctæ indifferentiæ ſtatu nolumus amplius ſalutem, ut ſalutem propriam, ut liberationem æternam, ut mercedem noſtrorum meritorum, ut noſtrum intereſſe omnium maximum, ſed eam voluntatem voluntate plena, ut gloriam & beneplacitum Dei, ut rem quam ipſe vult, quam nos vult velle propter ipſum &c.* 8. *Omnia ſacrificia, quæ fieri ſolent ab animabus quam maxime deſintereſſatis, circa earum æternam beatitudinem, ſunt conditionalia. In uno extremarum probationum caſu hoc ſacrificium fit aliquo modo abſolutum.* 18. *In ſtatu paſſivo exercentur omnes virtutes diſtinctæ, non cogitando, quod ſint virtutes; in quolibet momento aliud non cogitatur, quam facere id, quod Deus vult, & amor zelotypus ſimul efficit, ne quis amplius ſibi virtutem velit.* 19. *Poteſt dici in hoc ſenſu, quod anima paſſiva & deſintereſſata nec ipſum amorem vult amplius, quatenus eſt ſua perfectio, & ſua felicitas, ſed ſolum quatenus eſt id, quod Deus a nobis vult.* 20 *In confitendo debent animæ transformatæ ſua peccata deteſtari & condemnare ſe, & deſiderare remiſſionem ſuorum peccatorum, non ut propriam purificationem, & liberationem, ſed ut rem, quam Deus vult, & vult nos velle propter ſuam gloriam &c. &c. Datum Romæ* 1699. Hucuſque Bulla. Jam ſic:

Si amor Dei perfectus conſiſteret in amore puræ benevolentiæ deſintereſſato, tunc neceſſaria connexione legitime inferretur veritas talium propoſitionum damnatarum; ſed hoc dici nequit: ergo nec prius. Major probatur ab inductione. Sic enim ſequeretur 1. dari quendam ſtatum habitualem amoris benevoli, in quo homo nihil faciat ex motivo pœnarum aut præmii, ſed ex ſolo ſtudio placendi Deo, implendi ejus voluntatem, & ipſius honori omnia ſacrificandi: aut ſi homo in tali ſtatu metueret pœnas, aut vellet remunerationem, id ipſum præciſe vellet, quia, ut hoc velit, placet Deo; adeoque in illo ipſo actu timoris aut ſpei non interveniret motivum timoris aut ſpei, ſed amoris benevoli tantum; ſicut fieri poteſt, quod actus eleemoſynæ non procedat ex motivo miſericordiæ, ſed charitatis; adeoque in tali ſtatu revera poſſet amitti motivum timoris & ſpei. Dicit quidem P. la Croyx, propoſitionem damnatam loqui de eo ſtatu, in quo

quis

quis non amplius metuat pœnas, aut ſperet beatitudinem, ſed hæc reſponſio evidenter ſubvertitur per ipſa verba propoſitionum damnatarum, in quibus expreſſe dicitur, quod talis amans velit adhuc ſuam beatitudinem, ſed præciſe ideo, quia ſic ſe velle vult Deus, & ipſe Author RR. Fenelonius in iteratis ſuis apologiis, quas legi, ſatis oſtendit, ſe noluiſſe unquam a ſtatu ſui perfecti amoris excludere voluntatem ac ſpem beatitudinis, ſed tantum motivum ſpei, id eſt, motivum felicitatis propriæ tanquam propriæ. Quid enim aliud dicit propoſitio 5. his verbis? *In eodem ſtatu indifferentiæ -- beatitudinem volumus, in quantum Deo placet efficere, ut velimus res iſtas*, & propoſitio 6. *In hoc ſanctæ indifferentiæ ſtatu nolumus amplius ſalutem, ut ſalutem propriam, ſed eam volumus, ut beneplacitum Dei, ut rem, quam ipſe vult.*

Sequeretur proin 2. In ſtatu vitæ unitivæ omitti motivum timoris & ſpei, quia nihil timeremus aut ſperaremus ut nobis malum aut bonum, ſed ex ſolo motivo beneplaciti divini.

Sequeretur 3. Non omnes animas ſtatim obligandas fore ad talem amorem purum, ex metu, ne ob difficultatem actus detrectent amare Deum amore puro per actum detrectationis poſitivum, ſicque peccent; cum enim connaturale ſit homini, omnia agere ex deſiderio beatæ vitæ, & tales actus benevolentiæ prærequirant profundam contemplationem perfectionum divinarum, pauciſſimi poſſent pertrahi ad amorem Dei perfectum ob difficultatem moraliter inſuperabilem.

Sequeretur 4. Dari poſſe ſtatum quendam ſanctæ indifferentiæ, in quo homo nihil amplius deliberate velit propter ſuum intereſſe ſeu commodum etiam vitæ æternæ; quia licet actu vellet beatitudinem, deberet tamen vi ſui motivi principalis placendi Deo ad eam recipiendam aut abjiciendam eſſe indifferens, ſaltem conditionate, ſi ita placeret Deo; quia intentio primaria placendi Deo formaliter nondum exprimit intentionem beatitudinis aut virtutis, adeoque ea primaria intentio & ſtatus animæ exinde conſequens eſt adhuc formaliter indifferens ad beatitudinem abjiciendam.

Sequeretur 5. Nos nihil velle ut bonum proprium nec ipſas virtutes, aut ipſum amorem purum, aut juſtificationem; quia omnia hæc vellemus ex ſtudio unico placendi Deo.

Cum itaque hæ conſequentiæ damnatæ ſint, damnata quoque erit doctrina de amore puræ benevolentiæ, ex qua illæ propoſitiones damnatæ neceſſaria connexione fluunt.

Addi poſſent pro confirmatione plura alia argumenta, quæ hic breviter attingo, quia loquente Chriſti Vicario e Cathedra ſupervacaneum eſt immorari humano ingenio.

Argumentum I.

Amor Dei, quem habuerunt Sancti, non erat amor puræ benevolentiæ; itaque, cum hi Sancti ſine dubio conati fuerint tendere ad perfectionem, & maxime in articulo mortis elicere actus amoris perfectiſſimos, perfectio amoris non poteſt conſiſtere in actibus puræ benevolentiæ. Ant. Prob. ex Cap. 4. 5. & 6.

Argumentum II.

Amor Dei, quem inculcat Scriptura, & SS. Patres, non eſt amor puræ benevolentiæ, ut patet ex Cap. 5. 6. & 7. ergo cum Scriptura & Patres nobis monſtrent perfectionem vitæ Chriſtianæ, ea non conſiſtet in illo amore præciſe benevolo.

Argumentum III.

Datur in omnibus hominibus naturalis inclinatio ad appetendam propriam beatitudinem, & ad agendum omnia ex appetitu hujus beatitudinis, ut patet ex Cap. 2. ille inſtinctus non eſt motus naturæ corruptæ, ſed eſt inſtinctus

ctus naturæ; integræ, impreſſus a Deo authoræ naturæ, ergo ille inſtinctus movet ad actus naturæ humanæ congruos, & ſervientes ad finem hominis; ergo nequit dari aliqua lex naturalis, quæ jubeat ſupprimi omnes iſtos actus per amorem puræ benevolentiæ tanquam perfectum cultum Dei.

CAPUT IV.

Amor Dei, quem habuerunt Sancti, non fuit amor benevolentiæ deſintereſſatus.

I.

SAnctus erat David, ac Sanctorum omnium ſubſequentium forma. Is Pſalmo 41. formulam divini amoris prodidit, perfectam utique, ac Patrum adhortatione imitandam omnibus. Actus amoris æſtu his verbis exclamat: *Sitivit anima mea ad Deum fortem vivum; quando veniam & apparebo ante faciem Dei? fuerunt mihi lachrimæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi, ubi eſt Deus tuus.* Hæc verba S. Chryſoſtomus, Baſilius, & Auguſtinus de actu perfecti amoris exponunt. Chryſoſtomus hom. 22. ad pop. Antioch. de pœnit. ſic ait: *Amare convenit Dominum & tanquam pulchrum & tanquam benefactorem, & tanquam ſibi legitime ſervientes diligentem: etenim & nos propterea quemque diligimus propter hæc tria, vel propter pulchritudinem, vel propter beneficium, vel ſiquis nos amet. Quid igitur Chriſto Domino pulchrius, ſicut David inquit, ſpecioſus forma præ filiis hominum? quis vero tantus benefactor, ut paret diligentibus ſe, quæ oculus non vidit, & auris non audivit, quæque in cor hominis non aſcenderunt? quis vero ſic unquam nos amavit, ut qui tanquam pater pius clamat; nunquid obliviſcetur mulier filios ſuos? - - Hunc amans David conſpicere cupiebat, dicens: Quando veniam & apparebo ante faciem Dei? non enim dilationem tolerabat, ſed hinc migrare ardebat, concupitum cernere Chriſtum feſtinans. O animæ Deum amantis propoſitum! & ad ſuperna pennis ſubvectæ! hæc & tu anima concupiſce, cuncta, quæ videntur, prætercurrens, & ſemper reminiſcens æternæ vitæ; luceat lampas quotidie, paratus ſis in ſponſi occurſum.* Idem in Pſalmum 41. ſic habet: *Age, ipſum hujus Pſalmi proemium in medium adducamus. Quod eſt ergo proemium? quemadmodum deſiderat cervus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus. Hic eſt mos amantium, amorem non celare, ſed enuntiare vicinis, & dicere ſe amare; ardens enim res eſt natura dilectionis, nec poteſt anima ſuſtinere, ut eam ſilentio teneat; ita & hic Beatus Deum amans & ardens in amore non poteſt in animum inducere, ut taceat; ſed aliquando quidem dicit; quemadmodum deſiderat cervus ad fontes aquarum; ita deſiderat anima mea ad te Deus. Aliquando autem: Deus Deus meus ad te de luce vigilo; ſitivit anima mea, ſicut terra ſine aqua. Quoniam enim non poteſt oratione amorem oſtendere, huc & illuc obit, quærens exemplum, ut vel ea ratione nobis ſuum amorem indicet, & amoris nos faciat participes, ei ergo credamus, & ſic amare addiſcamus; nihil amemus, quæ ad hanc vitam pertinent, ut amor ille nobis purus maneat ac integer.* Addit eo loco Chryſoſtomus, *amorem non tantum eſſe cum ſiti, ſed ipſam ſitim fruendi Deo*, amorem utique illum, quem vocat *purum*.

D. Baſilius in *Regulis ſuſius diſputatis* Interrog. 2. ſimilem affert explicationem his verbis: *Interrogatio de charitate erga Deum. Age igitur, de charitate nobis ediſſere, quæ eſt erga Deum; nam quod charitas haberi debeat, id jam audivimus; at quonam pacto eam aſſequi, & legitime præſtare poſſimus, hoc vero ex te ſcire deſideramus. Reſponſio. Cum præceptum nobis ſit, ut charitatem in Deum habeamus, in ipſo confeſtim ortus noſtri initio vim quandam nanciſcimur, per quam noſtrapte ſponte ad ipſum diligendum impellimur. Nam & rerum pulchrarum natura appetentes ſumus. Verum quid eſt quæſo pulchritudine divina admirabilius? quæ notio Dei majeſtate excogitari*

gra-

gratioſior poteſt? quod ejuſmodi deſiderium quis ſecum comminiſci queat, quale eſt illud, quod animæ vitiis expurgatæ divinitus ingeneratur? adeo vehemens, adeove intolerandum? quæ vere ſincereque dicere illud poſſit; ego amore langueo; & vulnerata charitate ego ſum. Inexplicabiles prorſus, nec ulli pro dignitate enarrabiles, quæ e fulgurantiſſimo fonte illo divinæ pulchritudinis itermicant ac proſiliunt fulgetræ. Ea pulchritudo, ſiquando ſanctorum virorum quempiam circumſulſit, intolerabilem in animis defixum deſiderii aculeum reliquit; quippe qui cum vehementer eos vitæ hujus tæderet, in voces illas erumpere ſoliti eſſent: Hei mihi! quia incolatus meus prolongatus eſt! & : Quando veniam & apparebo ante faciem Dei? & : diſſolvi & eſſe cum Chriſto longe melius eſt. Et: ſitivit anima mea ad Deum fortem vivum. Et: Nunc dimittis ſervum tuum Domine, uſque adeo difficiles ad cohibendum animis erant ii, quorum mentes Dei amor perſtrinxerat: ex quo ſane colligitur, quidquid recte facimus voluntate noſtra, ejus faciendi vim nos naturæ etiam in nobis inſitam habere. Ita Baſilius. S. Auguſtinus cont. Manich. Cap. 20. ait: *Anima, quam tangit amor Dei, nihil aliud poteſt cogitare, nil deſiderare; ſed frequenter ſuſpirat dicens: ſicut cervus deſiderat ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus.* Patet proin ex ſenſu SS. Patrum, illum actum Davidicum fuiſſe actum amoris puri, ad quem obligat lex, dirigit gratia, & inſtigat natura.

II.

Omnes Sanctorum animas etiam perfectiſſimas repræſentat ſponſa in Canticis; atqui & hujus caſtiſſimus amor non erat amor puræ benevolentiæ. Videamus, qualis fuerit. Primo oſtendit, amorem ſuum eſſe perfectiſſimum, utpote ordinatum ab ipſomet ſponſo; *Introduxit me*, inquit cap. 2. *Rex in cellam vinariam, ordinavit in me charitatem; fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo.* Dein deſcribens ordinatiſſimam hanc ac ferventiſſimam charitatem, ſic ait: *Quæſivi, quem diligit anima mea, ſurgam & circuibo civitatem per vicos & plateas; quæram, quem diligit anima mea; paululum cum pertranſiſſem eos; inveni, quem diligit anima mea; tenui eum, nec dimittam.* Sic ſponſa amantium magiſtra, per quam Origenes homil. 1. in Cantica ſignificari aſſerit *animam devotam, quæ tangitur deſiderio videndi Deum.* Quales vero in illo amore ſponſæ affectus deſideriorum lateant, explicat D. Bernardus ſerm. 50. in Cantica his verbis: *Da mihi hominem, qui ante omnia ex toto corde diligat Deum, atque ad cætera quæque Dei ordinato intendat amore, deſpiciens terram, ſuſpiciens cœlum, utens hoc mundo tanquam non utens, ut tranſitoria tranſitorie curet, & æterna deſiderio complectatur æterno, talem, inquam, da mihi hominem, & ego audacter illum ſapientem pronuntio, cui in veritate competit gloriari & dicere: quia ordinavit in me charitatem, ſed ubi ille, aut quando iſta? quod flens dico, quouſque odoramus, & non guſtamus, proſpicientes patriam, & non apprehendentes; ſuſpirantes, & de longe ſalutantes?*

Idem ſerm. 51. ait: *Sponſo recedente amore languere ſe perhibet; quo enim gratiorem experta fuerat præſentiam, eo poſtmodum abſentiam moleſtiorem ſenſit; ſubtractio nempe rei, quam amas, augmentatio deſiderii eſt. Cum præſto eſt, quod amatur, viget amor, languet, cum abeſt; quod non eſt aliud, quam tædium quoddam impatientis deſiderii, quo neceſſe eſt, affici mentem vehementer amantis, abſente quem amat, dum totus in exſpectatione quantamlibet feſtinationem reputat tarditatem.* Ita Bernardus ſua & ſponſæ amantis explicans deſideria.

III.

Sancti erant Iſaias & Jeremias; illi tamen juxta interpretes, dum elicuerunt actum amoris, elicuerunt affectum deſiderii, non puræ benevolentiæ. Figuerius explicans illud Iſaiæ 26. *Anima mea deſideravit te in nocte.* Et Jeremiæ Thren. 3. *Pars mea Dominus, dixit anima mea, propterea exſpectabo eum*, ſic

ſcri-

scribit : *Pars mea Dominus, id est, hæreditas mea, quasi dicat, totum bonum meum, & tota seu universa possessio mea Dominus est. Sic Psalmo 72. Defecit cor meum, & caro mea; Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum; illius autem hominis Deus est pars in venturo sæculo, qui eum videt facie ad faciem, hoc autem dicit fidelis in sua tribulatione, quasi dicat; quamvis mihi omnia bona mundi adempta sint, tamen hæc una res me præ omnibus consolatur, quod Dominus mea pars est & possessio mea, quam mihi nulla res poterit eripere, juxta illud Pauli : Quis nos separabit a charitate Christi ? tribulatio, an angustia, an fames ? sicut scriptum est, quia propter te mortificamur tota die, hoc est, proinde occidimur, quia te diligimus, & te solum partem nostram habere volumus, ac si essemus oves macello destinatæ. Propterea exspectabo eum, ut teneam per speciem, quem teneo per spem.*

IV.

Amore fervebat S. Paulus, amore tamen amicitiæ, non puræ benevolentiæ. Ad Philipp. 1. ait : *Mihi vivere Christus est, & mori lucrum; coarctor autem e duobus, desiderium habens dissolvi & esse cum Christo.* Et ad Philipp. 3. *Omnia arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam.* Quod hæc verba contineant actum amoris perfecti, qualem habet cœlestis sponsa erga divinum sponsum, testatur S. Gregorius homil. 15. in Ezechielem, super illa verba ; *Mensus est thalamum calamo uno. Consideremus*, inquit, *quid agi in thalamo soleat, atque exinde hoc, quod in sancta Ecclesia agitur, colligamus, in thalamo quippe sponsus & sponsa fœderantur, sibique in amore junguntur. Qui ergo sunt in Ecclesia thalami, nisi eorum corda, in quibus animæ per amorem sponso invisibili junguntur, ut ejus desiderio mens ardeat; nulla jam, quæ in mundo sunt, concupiscat, præsentis vitæ longitudinem pœnam deputet, exire festinet, & amoris amplexu in cœlestis sponsi visione requiescere ? mens itaque, quæ jam talis est, nullam præsentis sæculi consolationem recipit, sed ad illam, quam diligit, medullitus suspirat, fervet, anhelat, anxiatur, vilis ei fit ipsa salus corporis, quia transfixa est vulnere amoris, unde & in Canticis dicit, quia amore langueo, mala autem salus est cordis, quæ dolorem hujus vulneris nescit : cum vero jam anhelare in cœlesti desiderio, & sentire vulnus amoris cœpit, fit anima salubrior ex vulnere, quæ prius ægrotabat ex salute, menti autem sponsum suum fortiter amanti de amore vitæ præsentis una solet esse consolatio, si per hoc, quod ipsa ab ejus visione differtur, aliorum animæ ejus verbo proficiant, & ad cœlestem sponsum facibus amoris inardescant; mœret, quia differri se conspicit : triste est ei omne, quod aspicit, quia illum adhuc non videt, quem videre concupiscit. Pensemus, qualis thalamus mens Pauli fuerat, qui dicebat; mihi vivere Christus est, & mori lucrum ? omnipotenti Deo in quantum se amore conjunxerat, qui sibi vitam Christum, & mori lucrum esse deputabat ! hinc est, quod dicit iterum : desiderium habens dissolvi, & cum Christo esse multo melius.* Ita D. Gregorius.

V.

S. Ignatius Martyr haud dubie perfectum amorem Christi ac Dei habuit, qui, teste Hieronymo in Cant. Origen. homil. 1. frequenter in ore habebat; *Meus amor crucifixus est.* Is tamen non erat benevolentiæ desintereſſatæ. In Epistola ad Tarsenses sic scribit : *A Syria Romam usque cum bestiis depugno; non quod a brutis feris devorer, sed a feris humanam naturam gerentibus. Verum nihili pendo supplicia hæc, neque tanti facio vitam meam, ut eam plus amem, quam Dominum, quare paratum me offero igni, feris, gladiis, cruci, dummodo Christum videam Salvatorem, & Deum meum.* Et in Epistola ad Romanos sic scribit : *Voluntarius morior, si modo vos non prohibueritis; sinite me ferarum escam fieri, per quas licebit Deum adipisci, metuo enim charitatem vestram, ne ipsa me lædat : vobis enim facile est, id, quod vultis facere, mihi vero difficile est, Deum assequi; nec enim ego habitu-*

rus

rus ſum ejuſmodi occaſionem Deum aſſequendi fruar beſtiis mihi paratis; nunc incipio diſcipulus eſſe, cum nihil expetam viſibilium, aut inviſibilium, ut Jeſum Chriſtum aſſequar, ignis, crux, ferarum concurſus, ſectiones, laniena, oſſium diſcerptiones, membrorum conciſiones, totius corporis ſolutio, diaboli tormenta in me veniant, tantummodo ut Chriſto fruar: nihil me juvabunt fines mundi, nec regna hujus ſæculi; Dominum deſidero filium veri Dei, illum quæro ne impedimento mihi ſitis, ut ad vitam perveniam; Jeſus enim vita eſt fidelium. Vivens ſcribo vobis, amore captus moriendi propter Chriſtum; meus amor crucifixus eſt. Credite mihi, quod Jeſum amo, pro me traditum.

En! exemplaria præcipua amoris divini perfecti, in quæ reſpiciunt docti pariter ac indocti; amorem amicitiæ tota ſpirant; calcantur ab iis terrena, ſpernuntur voluptates perituræ; ipſum cœlum vile eſt; unicum æſtimatur ſupra omnia, ac deſideratur præ omnibus ſummum bonum, voluptas immenſa, æternæ cordis delitiæ, Deus. Abjicitur vita, amantur ſupplicia, conſecrantur ærumnis membra, motivum unicum eſt, ut potiantur vita, ut fruantur Chriſto; nullum tunc perpetui habitus amoris puri benevoli apparet veſtigium, nullum ſtudium agendi deliberate omnia ex motivo placendi Deo. Deum certe ut ſuum bonum quærebat Seraphicus ſuo illo Symbolo: *Deus meus, & omnia.* D. Ignatius ſolebat repetere: *Quid mihi eſt in cœlo, & a te quid volui ſuper terram, Deus cordis mei.* Angelicus reſpondet interroganti Chriſto, ſe in mercedem ipſum exquirere Deum; D. Nicolaus Tolentinus, ſex ante obitum menſibus, cum quotidie futuræ beatæ vitæ gaudia præguſtaſſet, crebro iterabat illud Apoſtoli: *Cupio diſſolvi & eſſe cum Chriſto.* Nemo dixerit, has amandi formulas fuiſſe imperfectas.

CAPUT V.

Amor Dei, ad quem obligat Scriptura, non eſt amor puræ benevolentiæ.

SCriptura ad illum amorem obligat, cujus nobis tradit notionem per ſimilitudines, parabolas, ac exempla, cujus proponit motiva, & cujus cognitionem ſperare poterat a populo gentilium aut judæorum; atqui in Scriptura proponuntur plerumque exempla ac motiva amoris, quæ ingenerare poſſent notionem amoris amicitiæ mixtæ ex amore benevolentiæ ac concupiſcentiæ.

Gen. 15. Deus Abrahamo proponens motivum laborum ſuorum omnium, dicit: *Ego ero merces tua magna nimis.* Tam imperfectus ſcilicet erat Abraham Pater credentium, ut non ſufficeret ipſi dicere; *hoc volo, hoc mihi placet, ſic expetit gloria mea, ſic eſt beneplacitum meum*, viro tanto Deus motivum mercedis, ejuſque immenſæ propoſuit.

Exodi 33. Moyſi cupienti videre Deum nonniſi ejus viſione fideli famulo ſatisfieri poterat, ob quod & Deus dicit: *Veni & oſtendam tibi omne bonum.*

Pſalmo 16. Propheta regius ſe nequaquam ſatiatum mero divino beneplacito oſtendit, licet alioquin eſſet ſecundum cor Dei; hinc impleta omni voluntate divina exclamat: *Satiabor, cum apparuerit gloria tua; ibi voluptatis tuæ torrente potabis nos.*

Jeremiæ 2. Deus provocaturus ſuam ad redamandum gentem ſe fontem exhibet ad extinguendam deſideriorum ſitim. *Foderunt*, inquit, *ciſternas diſſipatas; me vero dereliquerunt fontem aquæ vivæ.*

In Evangelio Joan. 14. Chriſtus præmonſtrando vitam, id a diſcipulis ſuis, ut in ea finem ſuum, omnemque votorum ſuorum ſufficientiam reponerent, non incunctanter obtinuit, præmonſtrat ille: *Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te & quem miſiſti Jeſum.* Reponunt iſti: *Oſtende nobis Patrem, & ſufficit nobis.* Poterant placere Deo; hoc non

sufficiebat illis ; volunt , ut placendo Deo obtineant vitam.

In veteri testamento Deus adeo non exigit amorem desinteressatum, ut amoris illius , quem exigit , motivum permittat esse etiam memoriam beneficiorum temporalium.

Exodi 20. Deus dicit: *Ego sum Deus tuus , fortis , zelotes , visitans iniquitatem Patrum in filios , & faciens misericordiam his , qui diliguut me.*

Deuteron. 6. *Hæc sunt præcepta , ut faciatis ea , ut prolongentur dies tui. Audi Israel , & observa ut facias , quæ præcepit tibi Dominus , ut bene sit tibi , & multipliceris amplius sicut pollicitus est Dominus Deus tibi terram melle & lacte manantem. Audi Israel , Dominus Deus tuus unus est ; diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo , & ex tota anima tua , & ex tota fortitudine tua.*

Deuter. 10. Dixit Dominus ad Moysen. *Vade & præcede populum , ut ingrediatur & possideat terram , quam juravi Patribus eorum , ut traderem eis ; & nunc Israel , quid Dominus Deus tuus petit a te , nisi ut timeas Dominum Deum tuum , & ambules in viis ejus , & diligas eum , & servias Domino Deo tuo in toto corde tuo , & in tota anima tua , custodiasque mandata Domini , ut bene sit tibi. En ! Domini Dei tui cœlum est , & cœlum cœli , terra , & omnia quæ in eis sunt , & tamen Patribus tuis conglutinatus est Dominus & amavit eos : ipse est laus tua , & Deus tuus , qui fecit tibi magnalia hæc & terribilia , quæ viderunt oculi tui.*

Deuteron. 30. *Circumcidet Dominus Deus tuus cor tuum , ut diligas Dominum Deum tuum & ambules in viis ejus , & vivas , atque multiplicet te , benedicatque tibi in terra , ad quam ingredieris. Testes invoco cœlum & terram , quod proposuerim vobis vitam & bonum , & econtrario mortem & malum , elige ergo vitam , ut & tu vivas & semen tuum , & diligas Dominum Deum tuum ex toto corde tuo , & in tota anima tua , atque obedias voci ejus ; & illi adhæreas , ipse est enim vita tua , & longitudo dierum tuorum , ut habites in terra , pro qua juravit Dominus Patribus tuis.*

Josue 23. sic Josue ad populum: *Ego senui , vosque cernitis omnia , quæ fecit Dominus Deus vester cunctis per circuitum nationibus , quomodo pro vobis ipse pugnaverit ; & nunc quia vobis sorte divisit terram , & multæ adhuc supersunt nationes , adhæreatis Domino Deo vestro ; & tunc auferet Dominus Deus in conspectu vestro gentes magnas & robustissimas , & nullus vobis resistere poterit. Hoc tantum diligentissime præcavete , ut diligatis Dominum Deum vestrum.*

In omnibus his textibus plane a Deo non excitantur eæ species , ex quibus pronum foret resultare affectus amoris benevoli desinteressati ; si itaque Deus voluisset præcepto dilectionis divinæ nos obligare determinate ad amorem benevolum desinteressatum , debuisset in animo nostro excitare earum rerum notiones , ex quarum consideratione ultro deduceremur ad eum amorem. Hic vero excitat species beneficiorum , & commodorum temporalium , quorum consideratio repugnat puræ benevolentiæ , aut certe non inclinat ad actus puræ benevolentiæ. Sed nec sperare poterat Deus , auditis his *dilectionis* divinæ legibus, Judæos animo comprehensuros ideam amoris benevoli desinteressati; nomen *dilectionis* inter homines tritissimum ingenerat dilectionis ideam inter homines familiaris, qualis est amor amicitiæ. Sic Genesis 24. dicitur *Jacob dilexisse Rebeccam* Gen. 37. & 44. eundem *dilexisse Joseph , ut nil magis desideraverit quam videre faciem ejus.* Lev. 19. dicitur : *diliges amicum tuum , sicut te ipsum.* 1. Reg. 1. dicitur : *Helcana dilexisse Annam.* 1. Reg. 18. dicitur, *quod anima Jonathæ conglutinata fuerit animæ David , & quod Jonathas dilexerit Davidem , quasi animam suam.* Hæc frequentata *dilectionis* nomina firmiter imprimunt ideam amicitiæ. Itaque Deus in veteri testamento præcipiendo amorem sui non alterius dilectionis genus censendus est requisivisse.

C A-

CAPUT VI.

Amor Dei, quem S. Auguſtinus verbo & exemplo docuit, non fuit amor puræ benevolentiæ.

PAtribus omnibus in præſenti materia præfero Auguſtinum, quem conſtat repræſentare Eccleſiam circa dogmata diligenter ab ipſo diſcuſſa, eo quod moraliter certum ſit, ipſum non receſſiſſe a Doctrina Eccleſiæ, & ſequiorem Eccleſiam, in occidente non receſſiſſe a Doctrina Auguſtini. Videamus quid de amore Dei ſentiat.

Lib. 8. de Trin. cap. 10. ait: *Quæ eſt dilectio vel charitas, quam tantopere ſcriptura divina laudat & prædicat, niſi amor boni? amor autem alicujus amantis eſt; & amore aliquid amatur; ecce, tria ſunt, amans, & quod amatur, & amor. Quid eſt ergo amor niſi quædam vita? hoc eſt, vitalis quidam motus, duo aliqua copulans, vel copulare appetens, amantem ſcilicet, & quod amatur; & hoc etiam in carnalibus amoribus ita eſt.*

Lib. 14. de Trin. cap. 6. *Dilectio nihil aliud eſt, quam voluntas fruendum aliquid appetens aut tenens.*

De Geneſi ad litt. lib. 4. cap. 9. *Charitas diffunditur in cordibus noſtris, ut illuc feramur appetitu deſiderii, quo cum pervenerimus, requieſcamus, id eſt, nihil amplius requiramus.*

In Pſal. 134. *Juſtis & Sanctis placuit Deus etiam flagellans eos; quando iniquis omnibus diſplicet, placuit illis; & in flagello, in ærumnis, in laboribus, in vulneribus, in egeſtate conſtituti laudarunt Deum. Hoc eſt gratis amare, non quaſi propoſita acceptione mercedis (terrenæ) quia ipſa merces tua ſumma Deus erit, ipſe, quem gratis diligis, & ſic amare debes, ut ipſum pro mercede deſiderare non deſinas, qui ſolus te ſatiet, ſicut Philippus deſiderabat, cum diceret; oſtende nobis Patrem, & ſufficit nobis.*

Lib. 3. de Doctr. Chriſt. cap. 10. *Scriptura nil præcipit, niſi charitatem; charitatem voco motum animi ad fruendum propter ipſum Deum.* Et lib. 1. cap. 22. explicans, quid ſit hoc frui Deo propter ipſum Deum, ait: *Quod propter ſe diligendum eſt, in eo conſtituitur vita beata.* Et in Pſal. 72. in illa verba; pars mea Deus meus, ſic ait: *Ecce, quomodo illum amavit; fecit cor caſtum; Deus cordis mei & pars mea Deus in ſæcula: fecit cor caſtum, gratis jam amatur Deus; non ab illo petitur aliud præmium; qui aliud præmium petit a Deo, & propterea ſervire vult Deo, carius facit quod vult accipere, quam ipſum, a quo vult accipere. Quid ergo? nullum præmiam Dei? nullum præter ipſum. Præmium Dei ipſe Deus eſt, hunc amat, hunc diligit, qui aliud amat, non eſt caſtus amor. Quis eſt caſtus amor? amat jam anima ſponſum ſuum; quid ab illo quærit, a ſponſo ſuo, quem diligit? forte, quomodo diligunt homines, divitias, & aurum ejus amat? & fundos, & argentum, & equos, & familiam, & cætera? abſit; iſte ipſum ſolum amat; gratis amat; quia in ipſo habet omnia. Mihi adhærere Deo bonum. Hoc eſt totum bonum. Quid vultis amplius? Deo adhærere nihil eſt melius, quando eum videbimus facie ad faciem. Gratis amantur homines, & a Deo præmium quæritur, ut ametur? ama Deum gratis; nulli invideas Deum; rapite eum quotquot poteſtis, quotquot poſſeſſuri eſtis.* Ex quo patet juxta Auguſtinum Deo frui vel e propter ipſum Deum idem eſſe, ac appetere Deum propter ſeipſum, id eſt, propter beatitudinem, quam per ſui ipſius fruitionem nobis confert, non propter aliud præmium aut felicitatem a Deo diſtinctam. Prout etiam ex aliis ſimilibus S. Auguſtini textibus clarius fiet: ſic lib. 8. Confeſſ. cap. 5. *Voluntas, quæ mihi eſſe cœperat, ut te gratis colerem, fruique te vellem Deus certa ac ſola jucunditas, nondum erat idonea.* Et Epiſt. 52. *Deus gratis vult ſe coli, gratis vult ſe diligi, hoc eſt, caſte amari, non propterea ſe amari, quia dat aliquid præter ſe, ſed quia dat ſequi; ergo invocat Deum, ut dives fiat, non invocat Deum; hoc enim invocat, quod ad ſe vult venire; cum dicis, Deus da mihi di-*

vitias, non vis, ut ipſe Deus veniat ad te. Et in Pſal. 55. *Nos ergo Deum amemus, fratres, pure & caſte; non eſt caſtum cor, ſi Deum ad mercedem colit. Quid ergo? mercedem de Dei cultu non habemus? habemus plane, ſed ipſum Deum, quem colimus; ipſe nobis merces erit, quia videbimus eum, ſicuti eſt, attende, quia mercedem conſequeris; ſi amas, ſuſpiras, & inquietum habes cor deſiderio ejus. Noli extra eum aliquid ab eo quærere; ipſe tibi ſufficit; quantumlibet ſis avarus, ſufficiat tibi Deus: in iſtis humanis conjugiis conſiderate cor caſtum, quale ſit ad Deum; illum ergo ſic diligamus, ut aliud præter ipſum non diligamus.* Vide etiam num. 7. 8. 9. 47. 50. 51. 58. 59. 62. 64. 65.

Ad Maced. Epiſt. 52. *Mihi adhærere Deo bonum eſt, hæc erit plena, veraciterque vita beata; perventio quippe ad æternum ſummumque bonum, cui adhærere in æternum finis eſt noſtri boni. Virtus non eſt, niſi diligere, quod diligendum eſt, quid autem eligamus, quod præcipue diligamus, niſi quo nihil melius invenimus? hoc Deus eſt; cui ſi diligendo aliquid vel præponimus vel æquamus, nos ipſos diligere neſcimus. Tanto enim nobis melius eſt, quanto magis in illum imus, quo nihil melius eſt; imus autem non ambulando, ſed amando; quem tanto habebimus præſentiorem, quanto eundem amorem, quo in eum tendimus, potuerimus habere puriorem.*

Serm. 35. ex ineditis tom. 2. ſupplem. *Quidquid mihi dederis præter te, vile eſt; tu eſto hæreditas mea; amo te, totus amo te, toto corde, tota anima mea, tota mente amo te. Quid erit mihi, quidquid dederis præter te? hoc eſt Deum gratis amare, de Deo Deum ſperare, de Deo propiore impleri, de ipſo ſatiari. Ipſe enim ſufficit tibi; præter illum nihil tibi ſufficit.*

Quod non propter ſe amatur, non amatur; ego ſolam propter ſe amo ſapientiam; ſed & plurimos quæro, qui mecum appetant, mecum inhient, mecum teneant, mecumque perfruantur. Lib. 1. Soliloq. cap. 13.

Serm. 7. de verbis Apoſt. cap. 4. *Quid eſt, ſurſum cor? ibi ſpera, ibi ama, ibi exſpecta mercedem; ſi bene opereris, & omnia non propter ſupernam mercedem feceris, crucis altitudinem non habebis. Quid eſt enim habere altitudinem crucis, niſi cogitare Deum, amare Deum, & gratis amare ipſum Deum, ipſum præmium deputare, non aliud ab ipſo, quam ipſum exſpectare: ſi amas, gratis ama; ſi vere amas, ipſe ſit merces tua, quem amas.*

Lib. 1. de Doctr. Chriſt. cap. 22. *Tunc eſt optimus homo, cum tota ſua vita pergit in incommutabilem vitam, & toto affectu inhæret illi. Si autem ſe propter ſe diligit, non ſe refert ad Deum, ſed ad ſeipſum converſus, non ad incommutabile aliquid convertitur; & propterea jam cum defectu aliquo ſe fruitur, quia melior eſt, cum totus hæret, atque conſtringitur incommutabili bono.*

Lib. 1. de moribus Eccleſ. cap. 11. *Secutio Dei beatitatis appetitus eſt, conſecutio autem ipſa beatitas, at eum ſequimur diligendo. Maximum ergo, quod ad vitam beatam ducit, primumque mandatum eſt, diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. Diligentibus enim Deum omnia cooperantur in bonum. Et ſummum bonum, quod etiam optimum dicitur, non modo diligendum eſſe nemo ambigit, ſed ita diligendum, ut nihil amplius diligere debeamus. Quis quæſo dubitaverit his omnibus conſtitutis, nihil nobis aliud eſſe optimum, ad quod adipiſcendum poſtpoſitis cæteris omnibus feſtinare oporteat, quam* Deum? Et cap. 14. *Quid erit optimum hominis, niſi cui inhærere eſt beatiſſimum? id autem eſt ſolus Deus, cui hærere certe non valemus, niſi dilectione, amore, charitate; quod ſi virtus ad beatam vitam nos ducit, nihil eſſe omnino virtutem affirmaverim, quam ſummum amorem Dei.*

Lib. 2. contra 2. Epiſt. Pelag. cap. 9. *Multa Deus facit in homine bona, quæ non facit homo; nulla vero facit homo, quæ non facit Deus, ut faciat homo. Proinde cupiditas boni non homini a Domino eſſet, ſi bonum non eſſet; ſi autem bonum eſt, nonniſi ab illo nobis eſt, qui ſumme ac incommutabiliter bonus eſt. Quid eſt*

enim

eqim boni cupiditas, niſi charitas, de nuo Joannes loquitur, dicens: Charitas ex Deo eſt. Sed ſi charitas ex Deo eſt, veraciter illi cantatur; quoniam præveniſti eum in benedictione dulcedinis. Et quid hic aptius intelligitur, quam ipſa, de qua loquimur, cupiditas boni? tunc enim bonum concupiſci incipit, quando dulceſcere cœperit: benedictio dulcedinis eſt gratia Dei, quæ fit in nobis, ut nos delectet, & cupiamus, hoc eſt, amemus, quod præcipit nobis.

Probet ſe unuſquiſque, quantum profecerit in charitate, in hoc perfecta eſt in nobis dilectio, ut fiduciam habeamus in die judicii, quiſquis fiduciam habet in die judicii, perfecta eſt in illo charitas, cum cœperit deſiderare venientem Chriſtum caſta anima, quæ deſiderat amplexus ſponſi, renuntiat adultero, fit virgo interius fide, ſpe, charitate. Qui orat cum fiducia charitatis, jam optat, ut veniat. De ipſo deſiderio dicebat quidam in Pſalmo. Et tu Domine uſquequo? converte, & eripe animam meam, gemebat ſe differri, & Apoſtolus: Cupio diſſolvi & eſſe cum Chriſto. Tract. 9. in Joan. Epiſt.

Item eodem loco. *Si adhuc propter pœnas times Deum, nondum amas quem ſic times; non bona deſideras, ſed mala caves; cum bona deſiderare cœperis, erit in te timor caſtus, quis timor caſtus? ne amittas ipſa bona. Intendite, aliud eſt timere Deum, ne mittat te in gehennam cum diabolo; aliud eſt timere Deum, ne recedat a te. Ille timor, quo times, ne in ignem æternum mittaris cum diabolo, non eſt caſtus; non enim venit ex amore Dei, ſed ex timore pœnæ. Cum autem times Deum, ne deſerat te præſentia ejus, amplecteris eum, ipſo frui deſideras. Alloquamur jam animam, quæ habet caſtum timorem. Immo non ego alloquor ſed Deus: anima ſancta, deſideras regnum Dei? jam vis, veniam? & ego novi, vis jam vis, ut veniam: novi, quia moleſtia eſt tibi ſed magis exſpecta, tolera, venio, & cito venio. Sed amanti tardum eſt; audi eam cantantem, audi ſuſpirantem: Quando venies ad me? Pſal.* 100.

Lib. 10. de Civit. cap. 4. *Uni Deo ſervitutem, quæ latria dicitur, debemus: ei ſuaviſſimum adolemus incenſum, cum in ejus conſpectu pio ſanctoque amore flagramus; ei ſacrificamus hoſtiam humilitatis & laudis in ara igne ſervidæ charitatis; ad hunc videndum, ſicut videri poterit, eique cohærendum ab omni peccatorum, & cupiditatum malarum labe purgamur; ipſe enim fons noſtræ beatitudinis, ipſe omnis appetitionis eſt finis. Ad eum dilectione tendimus, ut perveniendo quieſcamus, ideo beati, quia illo fine perfecti. Bonum enim noſtrum, de cujus fine inter Philoſophos magna contentio eſt, nullum eſt aliud, quam illi cohærere hoc bonum diligere in toto corde, in tota anima, & in totâ virtute præcipimur: ad hoc bonum debemus & a quibus diligimur, duci, & quos diligimus, ducere; ſic complentur duo illa præcepta, a quibus totæ lex pendet & Prophetæ: diliges Dominum Deum tuum &c. ut enim homo ſe diligere noſſet, conſtitutus eſt ei finis, quo referret omnia, quæ ageret, ut beatus eſſet, non enim qui ſe diligit, aliud eſſe vult, quam beatus. Hic autem finis eſt adhærere Deo, jam igitur ſcienti diligere ſeipſum, cum mandatur de proximo diligendo, ſicut ſeipſum, quid aliud mandatur, niſi ut ei quantum poteſt, commendet diligendum Deum? hic eſt Dei cultus, hæc vera religio, hæc recta pietas, hæc tantum Deo debita ſervitus.*

Meditat. cap. 35. *Jeſu noſtra redemptio, amor, & deſiderium, ſcis, quoniam non ſolum terra & omnibus, quæ in ea ſunt, tu mihi charior es, ſed etiam ipſo cœlo & omnibus, quæ in eo ſunt, tu mihi acceptabilior, tu mihi amabilior es. Diligo enim te ſuper cœlum & terram, & cætera omnia, quæ in eis ſunt. Amo te Deus meus amore magno, magiſque te amare cupio; da mihi ut amem te ſemper, quantum volo, ut tandem videam te Deum deorum in Sion. Abſorbeat quæſo mentem meam ab omnibus quæ ſub cœlo ſunt, ignita & melliflua vis amoris tui, ut tibi ſoli inhæream, ſolaque tuæ ſuavitatis memoria paſcar. Deſcendat Domine, deſcendat precor in cor meum odor tuus*

ſuaviſſimus, veniat mihi tui ſaporis mira & inenarrabilis fragrantia, quæ ſempiternas in me ſuſcitet concupiſcentias? ſi enim homo hominem tanta diligit dilectione, ut alter alterum vix patiatur abeſſe; ſi ſponſa ſponſo tanto conglutinatur ardore, ut præ magnitudine amoris nulla perfrui valeat requie, chari ſui abſentiam non ſine magno mœrore ferens, qua dilectione, quo ſtudio, quo fervore anima, quam deſponſati tibi fide & miſerationibus, debet diligere te verum Deum & pulcherrimum ſponſum? quanquam autem hæc infima habent ſuas delectationes, ſuoſque amores, non tamen tali modo delectant, ſicut tu Deus noſter. In te enim delectatur juſtus, quia amor tuus ſuavis eſt & quietus, nam pectora, quæ poſſides, dulcedine, & ſuavitate, & tranquillitate reples. Tu itaque es delectatio rectorum, fac me Domine amare te, & deſiderio tuo diſponere pondus omnium carnalium deſideriorum, ut ad tuæ pulchritudinis viſionem efficaciter ſatiandus quantocius merear pervenire, dulcis Chriſte, accende me totum igne tuo, amore, ſuavitate & dulcedine tua, jucunditate & exultatione tua, voluptate & concupiſcentia tua, quæ ſancta eſt & bona, caſta & munda, ut totus flamma charitatis ſuccenſus diligam te Deum ex toto corde meo.

Lib. 8. de Trin. cap. 3. ſic nos ad amandum Deum inſtruit. *Vide*, inquit, *ſi potes. Non amas certe, niſi bonum, quia bona eſt terra altitudine montium, & temperamento collium, & planitie camporum, & bonum prædium amœnum ac fertile, & bona domus paribus membris diſpoſita & ampla & lucida; & bona animalia, animata corpora; & bonus aer modeſtus & ſalubris; & bonus cibus ſuavis atque aptus valetudini; & bona valetudo ſine doloribus & laſſitudine; & bona facies hominis dimenſa pariliter, & affecta hilariter, & luculenter colorata; & bonus animus amici conſenſionis dulcedine & amoris fide; & bonus vir juſtus; bonæ divitiæ, quia facile expediunt; & bonum cœlum cum ſole & luna & ſtellis ſuis; & boni angeli ſancta obedientia; & bona locutio ſuaviter docens, & congruenter monens auditorem; & bonum carmen canorum numeris, & ſententiis grave. Quid plura & plura? bonum hoc, & bonum illud. Tolle HOC, & ILLUD, & vide ipſum bonum, ſi potes, ita Deum videbis, non alio bono bonum, ſed bonum omnis boni. Neque enim in his omnibus bonis, quæ commemoravi, vel quæ alia cernuntur, ſeu cogitantur, diceremus aliud alio melius cum vere judicamus, niſi eſſet nobis impreſſa notio ipſius boni ſecundum quod & probaremus aliquid, & aliud alii præponeremus. Sic amandus eſt Deus, non hoc aut illud bonum, ſed ipſum bonum. Quærendum enim animæ bonum, non cui ſupervolitet judicando, ſed cui hæreat amando. Et quid hoc niſi Deus? non bonus animus, aut bonus angelus, aut bonum cœlum ſed bonum bonum. Sic enim forte melius intelligitur, quid velim dicere. Cum enim audio v. g. quod dicitur animus bonus, ſicut duo verba ſunt, ita ex eis verbis duo quædam intelligo, aliud quo animus eſt, aliud quo bonus. Cum itaque audis bonum HOC & bonum ILLUD, ſi potueris ſine illis, quæ participatione boni bona ſunt, perſpicere ipſum bonum, cujus participatione bona ſunt, perſpexeris Deum, & ſi amore inhæſeris, continuo beatificaberis. Pudeat autem, cum alia non amentur, niſi quia bona ſunt, eis inhærendo, non amare bonum ipſum, unde bona ſunt, ſimplex bonum, ac per hoc etiam ſummum bonum: dilectione ſtandum eſt ad illud, & inhærendum illi, ut præſente perfruamur.* Similia habet in Pſal. 134.

In Pſal. 85. ad illud: Invocabunt, & non exaudiam. *Invocant*, inquit, *ſed non Deum invocas, quidquid amas; invocas, quiquid in te vocas; invocas quidquid vis, ut veniat ad te. Porro ſi Deum propterea invocas, ut veniat ad te pecunia, ut veniat ad te hæreditas, illa invocas, quæ vis, ut veniant ad te: Deum tibi adjutorem ponis cupiditatum quod ſi non dedit, jam nihil tibi Deus eſt. Quid ergo, inquis, orem? quod te docuit Dominus. invoca Deum tanquam Deum, ama Deum tanquam Deum, illo melius nihil eſt, ipſum deſidera, ipſum*

con-

concupiſce ; ſi amator Dei eſſe vis , ſinceriſſimis medullis , caſtiſque ſuſpiriis ipſum dilige , ipſum ama , illi flagra , illi inhia , quo jucundius nihil inveniens , quo lætius , quo melius , quo diuturnius .

In Pſal. 118. conc. 31. *Abſit , ut timore pereat amor , ubi caſtus eſt timor ; ſic patres a filiis & timentur & amantur ; ſic pudica conjux virum & timet ne ab illo deſeratur , & amat , ut ſruatur . Si ergo & pater & homo , & conjux homo & timeri & amari debet , multo magis Pater noſter , qui eſt in cœlis , & ipſe ſponſus .*

In Pſal. 127. *Timeamus Dominum timore caſto . Quis eſt iſte timor caſtus ? poſſumus explicare ſimilitudine . Pone aliquam fœminam caſtam , timentem virum . Pone aliam adulteram , & ipſa timet virum , caſta timet , ne diſcedat vir ; adultera , ne veniat . Caſtus ergo timor venit de amore . Si Deus veniens propria voce loqueretur nobis , & diceret homini ; peccare vis ? pecca . Fac , quidquid te delectat ; quidquid amaveris in terra , tuum fiat ; cui fueris iratus , intereat ; quem cædere volueris , cædatur ; quem damnare , damnetur ; quem poſſidere , poſſideas ; nemo tibi reſiſtat ; nemo tibi dicat , quid facis ; nemo , noli facere , quod velis ; nemo , quare feciſti ; abundent tibi omnia terrena iſta , quæ concupiſti , & vive in illis non uſque ad tempus , ſed ſemper : faciem tamen meam nunquam videbis . Fleret quidem , & gemeret timor caſtus , & diceret : immo tollantur omnia , & faciem tuam videam ; timor caſtus exclamaret , & diceret : oſtende faciem tuam , & ſalvi erimus : timor caſtus exclamaret & diceret : Unam petii a Domino , hanc requiram , ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ . Quid ſi propter terrenam felicitatem ? audi : ut contempler delectationem Domini . Hanc unam petii a Domino .*

Lib. 83. qq. q. 35. *Nihil aliud eſt amare , quam propter ſeipſam rem aliquam appetere : namque amor appetitus quidam eſt : amor autem rerum mundanarum charitas vel dilectio melius nominatur ; quare omnibus cogitationum viribus conſiderandum eſt ſaluberrimum præceptum : diliges Dominum Deum tuum .*

Lib. 1. Confeſſ. cap. 4. & 5. *Deus meus , vita mea , dulcedo mea ſancta , quis mihi dabit acquieſcere in te ? quis mihi dabit , ut venias in cor meum , & unum bonum amplectar te ? quid tibi ſum ipſe , ut amari te jubeas a me , & niſi faciam iraſcaris mihi , & minaris ingentes miſerias ? parvane ipſa eſt , ſi non amem te ? heu mihi ! dic mihi per miſerationes tuas Domine Deus meus , quid ſis mihi . Dic animæ meæ : ſalus tua ego ſum . Sic dic , ut audiam ; ecce aures cordis mei ; dic : ſalus tua ego ſum : curram poſt vocem hanc & apprehendam te : noli a me abſcondere faciem tuam ; moriar , ut videam eam .*

Lib. 10. Confeſſ. cap. 6. *Non dubia ſed certa conſcientia Domine amo te . Quid autem amo , cum te amo ? non ſpeciem corporis , nec decus temporis &c. non hæc amo , cum amo Deum meum , & tamen amo quandam lucem , & quendam amplexum , cum amo Deum meum , lucem , amplexum interioris hominis .* Et cap. 20. *Cum te Deum meum quæro , vitam beatam quæro .*

Lib. 13. Confeſſ. cap. 1. *Invoco te Deus meus , invoco te in animam meam , quam præparas ad capiendum te ex deſiderio , quod inſpiras ei , ut ſerviam tibi , & colam te , ut de te mihi bene ſit .* Et cap. 8. ac 9. *Oſtendis , quam magnam feceris rationalem creaturam , cui nullo modo ſufficit ad beatam requiem , quidquid te minus eſt . Da mihi te Deus meus , te enim amo , & ſi parum eſt , amem validius ; non poſſum metiri , ut ſciam , quantum deſit mihi amoris ad id quod ſatis eſt , ut currat vita mea in amplexus tuos , nec avertatur , donec abſcondar in abſcondito vultus tui ; hoc tantum ſcio , quia male mihi eſt præter te non ſolum extra me , ſed etiam in me ipſo , & omnis copia , quæ Deus meus non eſt , egeſtas eſt . Corpus pondere ſuo nititur ad locum ſuum , ignis ſurſum tendit , deorſum lapis ; ponderibus ſuis aguntur , loca ſua petunt . Tu Deus requies noſtra , locus noſter , amor illic attollit nos ; pondus meum amor meus , eo feror , quocunque feror .*

Lib. 6. de Muſica. cap. 14. 15. 16. *Teneat anima ordinem, ſeipſa tota diligens, quod ſupra ſe eſt, id eſt, Deum; a dilectione autem proximi certiſſimus gradus fit nobis, ut inhæreamus Deo -- quamo rem neque in voluptate carnali, neque in honoribus noſtra gaudia collocemus, habentes intimum Deum, ubi certum eſt, & incommutabile, quod amamus.*

Lib. 2. d. Ordine cap. 18. *Amici, quid aliud, quam unum eſſe conantur; & quanto magis unum, tanto magis amici ſunt. Quid amor omnis? nonne unum vult fieri cum eo, quod amat? & ſi ei contingat, unum cum eo fit, Voluptas ipſa non ob aliud oblectat magis, niſi quod amantia ſeſe corpora in unum coguntur.*

Lib. 2. Soliloq. cap. 1. *Impatiens eſt amor, nec lachrimis modus fit, niſi amori detur, quod amatur.*

De vera Relig. cap. 47. *Bene vivere ſemper decet; quiſquis hoc & diligit & facit, non invidet imitantibus, nam quod in illis diligit, in ſeipſo habet totum; nec proximo indiget, quia nec ſeipſo; tantum Deo indiget, cui adhærendo beatus eſt; nemo autem illi eripit Deum. Ille ergo invictiſſimus homo eſt, qui cohæret Deo, non ut ab eo aliquid boni extra mereatur, ſed cui nihil aliud, quam ipſum hærere Deo bonum eſt.*

Lib. 1. de moribus Eccleſ. cap. 14. *Diligere debemus Trinam Unitatem. Ipſi gloria. Quanto enim diffuſius diffamatur, tanto diligitur & amatur ardentius, quod cum fit, in optimam vitam, & beatiſſimam pergitur, non arbitror amplius eſſe requirendum, quod ſit hominis ſummum bonum, quo referenda ſunt omnia; id enim patuit nihil aliud eſſe, quam ipſum Deum; nam quid erit optimum hominis, niſi cui inhærere beatiſſimum?* Et cap. 25. *Si Deus eſt ſummum hominis bonum, ſequitur, quoniam ſummum bonum appetere eſt bene vivere, ut nihil ſit aliud bene vivere, quam toto corde, tota anima, tota mente Deum diligere. Diligamus ergo Deum ex toto corde, qui ad æternam vitam pervenire propoſuimus.* Et cap. 26. *Non poteſt fieri, ut ſeipſum, qui Deum diligit, non diligat; immo vero ſolus ſe novit diligere, qui Deum diligit, ſiquidem ille ſatis ſe diligit, qui ſedulo agit, ut ſummo & vero perfruatur bono, quod ſi nihil eſt aliud, quam Deus, quis cunctari poteſt quin ſeſe amet, qui amator eſt Dei?*

Epiſt. 52. *Cum illa dilectione, quam divina lex imperat, debeat homo diligere Deum, ſeipſum, & proximum, non tamen tria præcepta data ſunt, ut intelligeretur, nullam aliam eſſe dilectionem, qua quiſque diligit ſeipſum, niſi quod diligit Deum.*

Epiſt. 119. ad Januar. cap. 10. *Amant requiem ſive animæ piæ, ſive iniquæ, ſed qua perveniant ad illud, quod amant, plurimæ neſciunt. Nec aliquid appetunt etiam ipſa corpora ponderibus ſuis, niſi quod animæ amoribus ſuis. Nam ſicut corpus tamdiu nititur pondere ſive deorſum verſus, ſive ſurſum verſus, donec ad locum, quo nititur, veniens conquieſcat; ſic animæ ad ea, quæ amant, propterea nituntur, ut perveniendo requieſcant. Et multa quidem per corpus delectant, ſed non eſt in eis æterna requies, & propterea animam aggravant potius, ut ſincerum ejus pondus, quo in ſuperna fertur, impediant. Cum anima in ſeipſa delectatur, nondum re incommutabili delectatur: cum autem Deo delectatur, ibi veram, certam, æternam inveniet requiem.* Idem habet cap. 11.

Epiſt. 120. ad Honorat. cap. 21. *Charitas foras mittit timorem ſervilem, non illum, quo timet, ne amittat ipſam gratiam, non illum, quo timet, ne Deus eam deſerat, etiamſi nullis dolorum cruciatibus puniat; hic timor caſtus eſt, non eum charitas ejicit, ſed adſciſcit. Hoc non caret amor, quo anima inhæret Deo. Conjux, quæ adulterinum animum gerit, etiamſi timore viri adulterium non perpetrat, tamen quod deeſt operi ineſt voluntati; caſta vero aliter timet; nam & ipſa timet virum, ſed caſte illa timet, ne vir infeſtus adveniat, iſta, ne offenſus abſcedat. Timeat Deum omne ſemen Iſraël; timeant quem diligunt.* Similia habet cap. 22. & 23.

Epiſt. 121. ad Probam. cap. 13. *Vita beata quærenda eſt; quid ſit beatum eſſe,*

in

in ſcriptura dictum eſt : beatus populus , cujus eſt Dominus Deus ipſius . Fides , ſpes , charitas ad Deum perducunt , id eſt , credentem , ſperantem , deſiderantem .

Epiſt. 222. ad Conſent. *Ea juſtitia , quæ vivit in ſeipſa , procul dubio Deus eſt ; ei cohærendo juſte vivimus . Et plane ille ſummus Deus vera juſtitia , quam profecto eſurire & ſitire ea eſt noſtra in hac peregrinatione juſtitia , & qua poſtea ſaturari ea noſtra eſt in æternitate plena juſtitia .*

Lib. 1. de Doctr. Chriſt. cap. 3. 4. & 5. *Res aliæ ſunt , quibus fruendum eſt , aliæ quibus utendum . Illæ , quibus fruendum eſt , beatos nos faciunt : iſtis , quibus utendum eſt , tendentes ad beatitudinem adjuvamur , ut ad illas , quæ nos beatos faciunt , pervenire , atque his inhærere poſſimus . Frui , eſt amore alicui rei inhærere propter ſeipſam ; uti autem , quod in uſum venerit , ad id , quod amas , obtinendum referre . Res , quibus fruendum eſt , Pater , & filius , & ſpiritus Sanctus eſt &c. cæteris rebus utendum eſt . Magna quæſtio eſt , utrum ſe frui debeant homines , an uti . Videtur mihi homo propter aliud diligendus , quod enim propter ſe diligendum eſt , in eo conſtituitur vita beata . Cum autem dicitur ; diliges Deum ex toto corde &c. nullam vitæ noſtræ partem reliquit intactam , quæ vacare debeat , & quaſi locum dare , ut alia re velit frui , ſed quidquid aliud diligendum venerit in animum , illuc rapiatur , quo totus dilectionis impetus currit .* Similia habet uſque ad cap. 36.

Enchirid. cap. 24. *Natura noſtra in malis ſuis non potuit amittere beatitudinis appetitum .*

Lib. 10. de Trinit. cap. 12. *Appetitus ille , qui eſt in quærendo , non requieſcit , niſi id , quod quæritur , inventum quærenti copuletur ; qui appetitus , quamvis amor eſſe non videatur , tamen ex eodem genere quiddam eſt . Partum ergo mentis antecedit appetitus quidam , idemque appetitus , quo inhiatur rei cognoſcendæ , fit amor rei cognitæ , dum tenet , atque amplectitur notitiam .*

Lib. 11. de Trinit. cap. 6. *Omnes voluntates proprios fines habent , qui referuntur ad finem illius voluntatis , qua volumus beate vivere , & ad eam pervenire vitam , quæ non referatur ad aliud , ſed amanti per ſeipſam ſufficiat .*

De Spiritu & litt. cap. 3. *Dicimus , humanam voluntatem ſic divinitus adjuvari ad faciendum juſtitiam , ut accipiat ſpiritum ſanctum , quo fiat in animo ejus delectatio , dilectioque ſummi illius atque incommutabilis boni , quod Deus eſt , ut inardeſcat inhærere Creatori , atque inflammetur accedere ad participationem illius veri luminis , ut ex illo illi bene ſit , a quo habet , ut ſit .*

In Epiſtolam ad Galatas ad illud : *Crucifixerunt carnem ſuam . Unde crucifixerunt , niſi timore illo caſto , quo cavemus offendere illum , quem toto corde diligimus . Non enim hoc timore timet adultera , ne cuſtodiatur a viro , quo timet caſta , ne deſeratur : illi triſtis eſt præſentia viri , huic abſentia . Manifeſtum eſt , ſecundum id nos vivere , quod ſectati fuerimus : ſectabimur autem , quod dilexerimus ; ſi ex adverſo exiſtant duo , præceptum juſtitiæ , & conſuetudo carnalis , & utrumque diligitur , id ſectabimur , quod amplius dilexerimus .*

Lib. 11. de Civit. cap. 28. *Si pecora eſſemus , amaremus carnalem vitam , & hoc eſſet ſufficiens bonum noſtrum , & nihil aliud quæreremus ; ſi arbores eſſemus , id quaſi appetere videremur , quo feracius eſſemus fructuoſæ . Si eſſemus lapides , aut fluctus , aut ventus aut flamma aut quid ejuſmodi , non tamen nobis deeſſet quaſi quidam noſtrorum locorum , atque ordinis appetitus . Nam velut amores corporum momenta ſunt ponderum , ſive deorſum gravitate , ſive ſurſum levitate nitantur ; ita enim corpus pondere , ſicut animus amore fertur , quocunque fertur .*

Lib. 14. de Civit. cap. 7. *Scripturæ non aliud dicunt amorem , aliud dilectionem , vel charitatem ; recta voluntas eſt bonus amor , perverſa voluntas malus amor , inhians habere , quod amatur , cupiditas eſt ; id autem habens , eoque fruens , lætitia . Mala ſunt iſta , ſi malus eſt amor , bona , ſi bonus quod dicimus ; de ſcriptu-*

ris

ris probemus: concupiscit Apostolus dissolvi & esse cum Christo. Hoc tamen loquendi obtinuit consuetudo, ut si cupiditas vel concupiscentia dicatur, nec addatur, cujus rei sit, non nisi in malo possit intelligi.

Lib. 19. de Civit. cap. 1. *Illud est finis boni nostri, propter quod appetenda sunt cætera, ipsum autem propter seipsum. Nulla est homini causa philosophandi, nisi ut beatus sit, quod autem beatum facit, ipse est finis boni.*

De Virginit. cap. 38. *Perfecta charitas foras mittit timorem, sed timorem hominum non Dei; ama Dei bonitatem, time severitatem; amando enim times, ne amatum & amantem graviter offendas; iste castus timor non recedat a charitate: aliud est desiderium præmii, aliud formido supplicii; aliæ voces sunt: quo a facie tua fugiam? aliæ; unam petii a Domino, ut contempler delectationem Domini. Has habeto tu.*

De Epicureis cap. 3. & 4. *Communiter omnes Philosophi studendo, quærendo, disputando, vivendo appetierunt apprehendere vitam beatam; hæc una fuit causa Philosophandi, sed puto, quod etiam hoc Philosophi nobiscum commune habent. Si enim a vobis quæram, quare in Christum credideritis, quare Christiani facti fueritis, veraciter mihi omnis homo respondet, propter vitam beatam. Appetitio igitur beatæ vitæ Philosophis, Christianisque communis est; nam vitam beatam appetere, concupiscere, desiderare, sectari, omnium hominum esse arbitror, bonorum & malorum, nam qui bonus est, ideo bonus est, ut beatus sit, & qui malus est, malus non esset, nisi inde se posse beatum esse speraret.*

In Psalm. 26. *Tibi dixit cor meum, vultum tuum requiram: unam petii a Domino, hanc requiram, vultum tuum. Quomodo se fixit in una ista petitione? vis impetrare? noli aliud petere, uni suffice, quia una tibi sufficiet. Tibi dixit cor meum; quæsivi vultum tuum, vultum tuum Domine requiram. Magnifice nihil dici divinius potest: sentiunt hoc, qui vere amant. Alius vellet beatus & immortalis esse in his, quas diligit, terrenarum concupiscentiarum voluptatibus, & forte propterea Deum coleret, & oraret, ut diu hic viveret in deliciis suis: & si diceret ei Deus; ecce facio te in his immortalem; pro magno bono acciperet. Non vult hoc iste, qui unam petiit a Domino, sed quid vult? contemplari delectationem Domini per omnes dies vitæ suæ. Quid si te faciet in deliciis istis, & voluptate gaudiorum terrenorum immortalem? Respondet amator talis; nolo: quidquid præter illum est, mihi dulce non est. Quidquid mihi vult dare Dominus meus, auferat totum, & se mihi det.*

In Psalm. 32. *Pete aliud, si melius inveneris, se tibi servat Deus: avare, quid inhias cœlo & terræ? melior est, qui fecit cœlum & terram; ipsum visurus, ipsum habiturus es. Beata gens, cujus est Dominus Deus eorum; hoc ama, hoc posside: ille sit hæreditas nostra, possessio nostra. Dicat anima, omnino secura dicat, Deus meus es tu, qui dicit animæ nostræ, salus tua ego sum. Dic securus, ama securus.*

In Psalm. 34. *Anima autem mea exultabit in Domino, tanquam in eo, a quo audierit, salus tua ego sum, tanquam non quærens alias ab extrinseco divitias, tanquam non quærens circumfluere voluptatibus terrenis, sed conjugem verum gratis amans, non ab illo volens accipere, quod delectet, sed ipsum solum sibi proponens, a quo delectet. Quid enim melius Deo dabitur mihi? amat me Deus; amat te Deus: ecce proposuit, pete, quod vis, quid petiturus es? excute mentem tuam, exerce avaritiam tuam, protende, quantum potes, & dilata cupiditatem tuam. Omnipotens Deus dixit, pete, quod vis. Si possessionum es amator, petiturus es totam terram, transcende & hæc; porrige cupiditatem tuam usque ad cœlum; dic tuum esse solem, lunam, stellas. Tamen nihil invenies charius, nihil invenies melius, quam qui fecit omnia. In hoc amore dixit illi anima quædam: Tu es pars mea, Domine; eligant sibi, qui volunt, quid possideant, faciant sibi partes de rebus: pars mea tu es, te mihi elegi.* Similia habet in Psalm. 39.

In

In Pſalm. 43. *Animus gratis colat eum, a quo ſalutem gratis accepit, exigitur ergo a te, ut & tu gratis colas eum, non quia dat temporalia, ſed quia præſtat æterna. Sed vide ne cogitando æterna carnaliter nihilominus Deum gratis non colas. Forte tu dicis: ideo eum colam, quia dat mihi villam, non tamen temporalem. Nihilominus adhuc corruptam mentem geris; amore enim caſto non colis; adhuc mercedem expetis; mutare vis voluptatem carnalem, non amputare. Noli ergo talia ſperare; ad faciem Patris gaudent Angeli, ad tale gaudium te præpara: væ amori tuo, ſi ſuſpicaris aliquid pulchrius, quam a quo eſt omne pulchrum.*

In Pſalm. 49. *Si poſſemus facere, ut non veniret dies judicii, puto, quia nec ſic erat male vivendum; ſi ſola peccatoribus immineret ſeparatio a facie Dei, in qualibet eſſent affluentia delitiarum, in qualibet impunitate & æternitate peccati, plangere ſe deberent. Sed quid loquar? amantibus hæc pœna eſt, non contemnentibus.*

In Pſalm. 53. *Deus noſter laudetur voluntate, ametur charitate; gratuitum ſit, & quod amatur, & quod laudatur. Quid eſt gratuitum? ipſe propter ſe, & non propter aliud. Si enim laudas Deum, ut det tibi aliquid aliud, jam non gratis amas Deum. Erubeſceres, ſi te uxor tua propter divitias amaret, & forte ſi tibi paupertas accideret, de adulterio cogitaret; cum ergo te gratis a conjuge amari velis, tu Deum propter aliud amabis. Quod præmium acceperus es, o avare? non tibi terram, ſed ſeipſum ſervat, qui fecit cœlum & terram. Ipſum gratis dilige, quia melius ab eo non invenis quod det, quam ſeipſum, aut ſi invenis melius, hoc pete.*

In Pſalm. 61. *Calumnia diaboli eſt; nunquid gratis colit Job Deum? humiliavit illum Dominus adjuvans ſuos, ut Deum gratis colant, id eſt, delectentur in Domino.*

In Pſalm. 76. *Iſte, qui Deum gratis amabat, qui tranſilierat, quidquid infra eſt, nihilque aliud ſupra ſe viderat, quo effunderet animam ſuam, niſi ex quo creatus eſt, vox mea, inquit, ad Deum, & attendit mihi. Vere tunc tibi attendit, quando ipſum quæris, non quando per ipſum aliud quæris. Dictum eſt de quibuſdam; Dominum non invocaverunt, id eſt, Dominum in ſe non vocaverunt; non gratis amaverunt. In die tribulationis tuæ exquire Deum, non per Deum aliud, ſed ex tribulatione Deum.*

In Pſalm. 79. *Bene tu quidem nihil aliud vis, quam ut tibi bene ſit; nam in eo quod amas, vis ut tibi bene ſit; ſed non in ea regione quæris, in qua quærendum eſt. Vetus teſtamentum habens terrena promiſſa videtur ſuadere, ne colatur gratis Deus, ſed quia aliquid dat in terra, ideo diligitur. Quid amas, quod Deum non ames? quare amas iſta, niſi quia pulchra ſunt? poſſunt eſſe tam pulchra, quam iſte, a quo facta ſunt? iſta dat etiam malis, ſe ſolum ſervat bonis.*

In Pſalm. 84. *Omnia iſta quæ videtis pulchra, quæ amatis ipſe fecit; ſi hæc pulchra ſunt, quid eſt ipſe? ergo ex iſtis, quæ hic amamus, illum magis deſideremus, & contemnentes iſta, illum diligamus.*

In Pſalm. 85. *Pete a Deo ſalutem, & ſalus tua ipſe erit; non quaſi ſalutem extrinſecus, ſed ut tua ſalus ipſe ſit; ne ames aliam ſalutem præter ipſum.*

In Pſ. 118. conc. 8. *Quid eſt iſta concupiſcentia niſi bona dilectio? cum autem dicitur, diligenda eſt, quid aliud dicitur, quam concupiſcenda eſt? quocirca quoniam recte concupiſcuntur juſtificationes Dei, recte concupiſcitur concupiſcentia juſtificationum Dei. Hoc enim alio modo ſic poteſt dici; ſi recte diliguntur juſtificationes Dei, recte diligitur dilectio juſtificationum Dei. An aliud eſt concupiſcere, aliud deſiderare? deſiderium quid eſt, niſi rerum abſentium concupiſcentia?*

In Pſalm. 118. conc. 12. *Propter ipſam temporalem ſalutem non debemus facere opera noſtra, ſed potius propter illam, quam ſperamus, æternam, ubi bono incommutabili perfruamur, quod nobis erit ipſe Deus.*

In Evang. Joan. tract. 3. in fin. *Si gratiam tibi Deus gratis dedit, gratis ama; noli ad præmium diligere Deum, ipſe ſit præmium tuum; dicat anima tua; unam petii a Domino &c.*

In Joan. tract. 11. cap. 3. *Qui ſunt ſecun-*

cundum ſpiritum nati? amatores regni cœlorum, dilectores Chriſti, deſiderantes vitam æternam, gratis colentes Deum.

In Joan. tract. 51. *Si quis mihi miniſtrat, me ſequatur. Quo fructu? qua mercede? quo præmio? ubi ſum ego, inquit, illic miniſter meus erit; gratis ametur, ut operis, quo miniſtratur illi, pretium ſit eſſe cum illo.*

De Verbis Apoſt. Serm. 16. cap. 7. *Unuſquiſque probet ſe in omnibus operibus bonis, quæ faciat cum charitate, non exſpectans retributionem temporalem, ſed promiſſum Dei, faciem Dei; non enim quidquid Deus tibi promittit, valet aliquid præter ipſum Deum. Quid eſt tota terra? quid totum cœlum? quid exercitus angelorum? omnium iſtorum creatorem ſcio, ipſum eſurio, ipſum ſitio, ipſi dico: quoniam apud te eſt fons vitæ. Arrideat mundus multis rebus, pulchris, fortibus, variis; pulchrior eſt ille, qui fecit, fortior & clarior ille, qui fecit, ſuavior ille eſt, qui fecit; ſatiabor, cum manifeſtabitur gloria tua. Fides ergo, quæ per dilectionem operatur, ſi eſt in vobis, jam pertinetis ad prædeſtinatos, fides enim, qua per dilectionem operatur, ſine ſpe eſſe non poteſt. -- In hac ſpe dicebant, quis nos ſeparabit a charitate Chriſti. Si hoc eſt fides, quid erit ſpecies? audi, quid erit: ut ſit Deus omnia in omnibus. Quid eſt, omnia? quidquid hic quærebas, quidquid hic pro magno habebas, ipſe tibi erit. Quidquid hic volebas, quidquid hic amabas, manducare & bibere, ipſe tibi erit cibus, ipſe erit tibi potus, ipſe immortalitas, ipſe tibi gloria. Tunc erit Deus omnia in omnibus, ſi nunc amamus credendo, quomodo amabimus videndo & tenendo?*

De verbis Apoſt. ſerm. 19. cap. 10. *Aliud eſt timere pœnam, aliud eſt amare juſtitiam. Amor caſtus in te eſſe debet, quo amore deſideres videre, non cœlum & terram, non campos liquidos maris, non ſpectacula nugatoria, non fulgores, nitoreſque gemmarum, ſed deſidera videre Deum tuum. Ecce propter quam viſionem fac bonum, ecce propter quam noli facere malum. Si enim amas videre Deum tuum, ſi in hac peregrinatione illo amore ſuſpiras, ecce probat te Dominus Deus tuus, quaſi dicat tibi: ecce fac quod vis, imple cupiditates tuas, extende æquitiam dilata luxuriam, quidquid libuerit, licitum puta; non hinc te punio, non in gehennas mitto; faciem meam tantum tibi negabo. Si expaviſti, amaſti, ſi hoc, quod dictum eſt, faciem ſuam tibi negabit Deus tuus, contremuit cor tuum in non videndo Deum tuum, magnam pœnam putaſti, gratis amaſti. Si ergo ſermo meus invenit in vobis ſcintillam amoris gratuiti Dei, ipſam nutrite.*

De verb. Apoſt. ſerm. 18. cap. 9. & 10. *Sectamini charitatem, admittite amorem bene viventem. Lubricos & inhoneſtos amatores attendite. Siquis laſcivus aliter ſe veſtit, quam placet fœminæ, & illa dixerit, nolo te habere tale byrrhum, non habet. Si per hyemem illi dicat: in lacerna te amo; eligit tremere, quam diſplicere. Nunquid illa cui diſplicet, æternum damnatura eſt? nunquid in carcerem miſſura? nunquid tortores adhibitura? hoc ſolum ibi timetur, non te videbo, hoc ſolum ibi contremiſcitur; faciem meam non videbis. Si hoc impudica dicit, & terret; Deus dicit, & non terret? ſane plurimum; ſed ſi amamus. Si autem non amamus, non inde terremur, ſed terremur ut ſervi de igne, de gehenna.*

De temp. ſerm. 2. cap. 4. *Quid nos docet Abraham? breviter dicam: ut Deo non præponamus, quod dat Deus. Juſſus eſt occidere unicum filium, ergo nec illud, quod tibi pro magno præſtat Deus, præponas illi, qui præſtitit, & cum voluerit tibi ſubtrahere, non tibi vileſcat, quia gratis amandus eſt Deus; quod enim dulcius a Deo præmium, quam ipſe Deus?*

De diverſis ſerm. 20. cap. 28. *Beatum illi dixerunt populum, cui hæc ſunt. Ego quid dico? beatus populus, cujus eſt Dominus Deus ipſius. Ergo ille eſt beatus populus, qui pro filiis ſuis, & filiabus ornatis, pro craſſitudine boum, pro fœcunditate ovium, pro iſta omni felicitate Deum ſuum vult poſſidere, ut ipſum habeat pro omnibus, qui condidit omnia; & dicat: mihi autem adhærere*

Deo

Deo bonum eſt. Colat eum gratis. Colat, quando iſta dat, & quando aufert, & quando non dat, & nihil ſic timeat, quam ne ipſe ſe auferat. Itaque Chriſtianus populus, qui dicit, quidquid vult auferat, ſeipſum mihi non auferat, beatus eſt populus, cujus eſt Dominus Deus ipſius.

Ex his omnibus S. Auguſtini textibus patet, eundem conſtanter habuiſſe amorem vehementiſſimi deſiderii fruendi Deo, tanquam ſuo ſummo ac unico bono, cui propterea paratus erat exhibere omnem cultum ac benevolentiam, tolerando adverſa, ſacrificando omnes voluptates terrenas, contemnendo ipſum cœlum, ac propriam in terris vitam.

CAPUT VII.

Amor Dei, de quo loquuntur alii SS. Patres, non eſt amor benevolentiæ deſintereſſatæ.

I.

Clemens Alexandrinus, Admonit. ad gentes. „ Ne efficiamur mancipia, „ neque efficiamur porcis ſimiles, ſed „ traducamur ad Deum; eſt nobis hæreditas ille ſalutis theſaurus, ad quem oportet contendere, qui verbi fuerint „ amatores; hinc autem nobiſcum abeunt bona opera, & veritatis pennis „ ſimul evolant. Hanc nobis hæreditatem ſuppeditat Pater, dicens: do tibi, o fili, terram, & mare, & cœlum, & quæ in eis ſunt, tibi omnia „ largior, tantummodo, o fili, ſitias Patrem. *Idem Pædagog. lib. 1. cap. 1.*

„ Univerſa Religio & pius Dei cultus „ futuræ vitæ deſiderium ingenerat. *Et lib. 2. Stromatum.* „ Voluntaria electio „ eſt alicujus appetens; fides eſt fundamentum prudentis electionis; velle autem ſectari, quod eſt utile, eſt principium prudentiæ. Et: Qui timet offendere Patrem, ſeipſum diligit. *Et lib. 4. Stromatum.* „ Quomodo qui in „ mari ab anchora ſtabiliuntur, trahunt „ quidem anchoram, non illam autem „ attrahunt, ſed ſeipſos ad anchoram, „ ita qui ſecundum vitam contemplativam Deum attrahunt, tacite ſeipſos „ ad Deum adducunt; qui enim Deum „ colit, ſeipſum colit. In vita ergo contemplativa ſui quis curam gerit, dum „ Deum veneratur.

II.

Baſilius in Pſal. 114. ad illud: dilexi, quoniam exaudiet Dominus vocem orationis meæ. „ Non cujuſvis eſt dicere, „ dilexi, ſed perfecti tantum, & ejus, „ qui ſervitutis timorem prætergrediens „ in adoptionis ſpiritu conſtituitur. Non „ apponit, quem dilexerit, quia is vel „ innominatus facile intelligitur; Deum „ nempe inſinuat ſe dicere. Quod enim „ proprie amabile eſt, Deus eſt. Amabile namque, aut ſi mavis, per ſe diligibile id eſſe definiunt, quod omnia „ expetunt. Bonum autem Deus, & primum ac perfectiſſimum bonorum. Ipſum itaque dilexi nempe Deum, omnium, quæ expetenda mihi veniunt ſupremum, cujus unius gratia in me recepi has afflictiones cum gaudio tolerandas, dolores videlicet mortis, tribulationem, & dolorem quæ omnia „ ob amorem in Deum & obſpem repoſitam iis, qui ob pietatem ærumnas „ ſuſtinent, amabilia ipſi apparuere. Ac „ videntur iſta verbis Apoſtoli æquivalere, & eodem a Propheta affectu dici, „ quo ab Apoſtolo. Quis nos ſeparabit „ a Charitate Chriſti? tribulatio? an „ anguſtia? dilexi igitur hæc omnia, „ ſciens, quod hæc tolerem pro tuenda „ pietate, mei hujus certaminis ſpectatore & arbitro præmiorum univerſorum Domino. Huc pertinent, quæ „ ex S. Baſilio attuli cap. 4. num. 1.

III.

S. Ambroſius de Iſaac & anima. „ Sumamus alas Charitatis, quæ ſicut flamma ad ſuperiora dirigunt, ut videat „ illud bonum, ex quo pendent omnia; „ vitæ fons eſt illud ſummum bonum,

cu-

„ cujus in nobis accenditur desiderium ,
„ cui appropinquare & misceri voluptas
„ est ; quod ei , qui non videt , desidе-
„ rio est , & ei , qui videt , vita est ,
„ ideoque universa alia despicit , hoc uno
„ mulcetur & delectatur , de quo Pro-
„ pheta ait : dixi Domino Deus meus
„ es tu ; hoc solum videre desideravit ,
„ sicut ipse alibi ait ; unam petii a Do-
„ mino , hanc requiram &c. siquis illud
„ summum ac purum bonum videre me-
„ ruerit , quid habet aliud , quod deside-
„ ret ? non regna , non facultates , ho-
„ nores , gloriam ; his enim uti nihil
„ beatitudinis ; hoc frui beatum est ; ip-
„ sum est bonum , quod quærimus , &
„ solum bonum . *Et de bono mortis , c.* 5.
„ Contendamus ad illud æternum , ad il-
„ lud divinum evolemus pennis dilectio-
„ nis , & remigio charitatis . *Et in Ps.*
118. *octonar.* 1. „ In Canticis blanditia-
„ rum suavitas , & amantis affectus ex-
„ primitur : osculetur me ab osculis oris
„ sui . Constitue ergo virginem longo de-
„ sponsatam tempore , & justo ferven-
„ tem amore , desideriis suspensam , quæ
„ omnia fecisset , ut sponsum videret , a-
„ liquando votis potitam , statim quod
„ desideraſſet exigere . Ita & sancta Ec-
„ clesia , quæ diu dilecti exspectavit ad-
„ ventum , impatiens moræ in oscula
„ ruit . *Et in Psalm.* 118. *octonar.* 8. ad
illud : Portio mea Dominus . „ Quam
„ rarus in terris , qui potest dicere , Por-
„ tio mea Dominus . Quam alienus a vi-
„ tiis , quam segregatus ab omni labe
„ peccati , qui nihil habeat commune
„ cum sæculo , nihil mundi hujus vendi-
„ cet sibi , cui non sit corporalium pos-
„ sessio cupiditatum ? qui , ut levi dicat ,
„ pro his omnibus non ab hoc decimas ,
„ non fructus , non dona quæro , non
„ munera , ipse mihi pro munere est ,
„ ipse mihi possessio , ipse meus fructus ,
„ ipse meus census , ipse assumptus a me .
Et *octonar.* 11. Ad illud : defecit in salu-
tare tuum anima mea . „ Amor impa-
„ tiens die noctuque meretricias fores
„ pulsans , si diutius potiendi desideria
„ differantur , ipsa deficit exspectatione
„ dum sperat ; in quo utique non finis
„ amoris , sed incrementum est ; & quid-
„ quid est desiderabile , si non contingat
„ desideranti , deficit in illud , & quasi
„ ipsam deponit animam , qui desiderat ;
„ si tamen spes propior assurgat , dat vi-
„ res spes proxima . Si autem absentia sit
„ dilecti , eoipso quo absentem desi-
„ rat , quæ concupivit , animæ suæ pa-
„ titur defectionem . Itaque quanto lon-
„ gius est illud , quod desideratur , tan-
„ to magis deficit , qui desiderat . Id er-
„ go deficere est , in id unumquemque
„ totis studiis migrare , quod diligat , il-
„ lud cogitat , illi adhæret , illud perso-
„ nat , quod receperit diligendum , in
„ id quadam animi defectione transfun-
„ ditur . Itaque sanctus & timens Deum
„ nescit aliud desiderare , nisi salutare
„ Dei , quod est Christus Jesus ; illum
„ concupiscit , illum desiderat , in illum
„ totis intendit viribus , illum gremio
„ mentis fovet , & hoc solum veretur ,
„ ne illum possit amittere . Et *orat. de*
obitu Satyri . „ Primum bonorum est Deum
„ scire , & illam amabilem & concupi-
„ scendam æternæ pulchritudinem veri-
„ tatis tota mentis charitate diligere .

I. V.

S. Hilarius in Psalm. 120. *ad illud : Sagittæ* potentis acutæ . „ De qua Sagit-
„ ta sponsa in Canticis ; vulnerata dile-
„ ctionis ego sum . Sint ergo sagittæ hæ
„ in dilectorum cordibus vitia vulneran-
„ tes . Convenit Prophetam post sagittas
„ Domini beati illius regni gloriam , id ,
„ quod exspectat desiderare . Et desiderat
„ plane ; neque solum desiderat , sed mo-
„ ras odit , & ipsam illam non potiundi
„ jam desiderii tanti dolet dilationem ,
„ dicens : Heu me , quod incolatus meus
„ prolongatus est . Querelam istiusmodi
„ a plurimis sanctis audivimus , tardita-
„ tem spei suæ deflentium ; Dominus in
„ Evangeliis docuit , accelerationem re-
„ gni cœlestis orandam ; impatientem
„ enim charitatem eorum , qui ament ,
„ convenit . Paulus congemiscit , per in-
„ colatum corporis se a Domino peregri-
„ nari conquerens .

V.

S. Ephræm de Compunctione & extremo Judicio. „ Dilige Deum ex toto corde „ tuo. Beatus vir, qui te, Deus, ex to„ to corde & anima dilexerit, mundum„ que iſtum, & omnia quæ in eo ſunt „ deteſtatus fuerit, ut te ſolum Domi„ num vere ſanctum, pretioſam marga„ ritham, vitæ theſaurum, Deum cu„ jus nulla eſt ſatietas poſſideat. Siquis „ ergo ſic Deum ſincere diligit, nequa„ quam in terris eſt ejus cogitatio, ſed „ ſurſum ſemper, ubi & diligit, & de„ ſiderat, & ſitit anima, ut perfruatur: „ inde & dulcedinem ſentit, & perpetua „ dulcedine amoris Dei ſatiatur. Et *Ser„ mon. de ſecundo adventu.* „ Videte, ut „ nullus veſtrum beata illa hæreditate pri„ vetur; ſurſum aſpectum ad gaudia illa „ convertite, velut hæredes cœleſtis Pa„ tris; ecce ſponſus venit, exite obviam „ ei omnes, qui diligitis illum; cunctos „ enim diligentes ipſum & deſiderantes „ lætitia afficiet ſempiterna. Et *in Con„ feſſione ad Deum.* „ Solus noſti, Deus „ meus, quod ſicut terra ſine aqua ſitiat „ te anima mea, & deſideret te cor „ meum; ecce tanquam captiva detine„ tur mens mea, te ſolum Salvatorem „ verum requirens. Diligentes autem te „ divina replentur gratia; mitte ergo gra„ tiam tuam, ut famem meam expleat, „ ſitimque reſtinguat; nam te Dominum, „ qui ſine ſatietate delectas, concupiſco. „ Quis enim ſatiari te poterit, vere te „ diligens?

VI.

Gregorius Nazianzenus Jambico 18. *de Virtute verſu* 930. *uſque ad* 980. „ Pru„ dentiæ autem ſunt quidem, quæ dixi„ mus, at munus ejus maximum noſſe „ eſt Deum, hunc ore colere, rebus, & „ non ſubdole eſt namque fons hic omni„ bus, certa & ſalus ſuperare quis det „ hoc mihi, ut jungar Deo, certuſque „ jam ſim, quod bono hoc vere fruar? „ quod capere avebam, non laborans am„ plius? Deum quidem tuum tu cogita, „ & cole maxime, Philtrum, obſequen„ do legibus monſtrans tuum hærere ve„ ro numini nam res eſt maxima, nam „ diligetur, qui Deum dilexerit. *Et Jam„ bico* 19. *verſu* 205. „ At mihi levamen, „ atque ſubſidium eſt Deus, cum frigus, „ aut me dura cum fames premit, illu„ de, cæde, pauperem, obſcurum vo„ ca, calca, opprime etiam, non diu „ me proteres, fero cuncta ſummo, „ quem mente cerno, Deo vitam ſequen„ tem cogito, illic collocor, nihil infe„ rarum cognitum eſt rerum mihi, Deum „ modo habeam, reliqua, qui volet, „ ferat.

Idem Oratione 3. *in Julianum. n.* 56. „ At Chriſtianis jucundius eſt pietatis „ cauſa pati, etiamſi id nemo reſcitu„ rus eſt, quam aliis, cum pietate flo„ rere, atque in gloria verſari. Homi„ nibus quippe placere, parum admo„ dum curamus, id unum expetentes, „ ut honorem a Deo conſequamur, im„ mo ſublimius etiam aſſurgimus (de „ iis loquor, qui veri Philoſophi, ve„ roque Dei amore præditi ſunt) quip„ pe qui ſummo bono conjungi propter „ ipſum ſummum bonum exoptantes, „ non autem propter honores in altero „ ævo reconditos; ſecundus enim hic „ honeſtorum & laudabilium virorum „ gradus eſt, pretio ac mercede aliquid „ facere; quemadmodum in tertia Claſ„ ſe collocandi ſunt qui pœnæ metu a „ ſcelere & maleficio deterrentur.

Idem in Oratione funebri 11. *loquens de obitu ſororis ſuæ Gorgoniæ, num.* 23. „ Diſſolvi cupiebat, ac cum Chriſto „ eſſe omnibus terræ commodis præpo„ nebat; nec quiſquam eorum, qui ad „ amorem valde propenſi ſunt, atque „ ægre retineri queunt, ita corpus ada„ mat, ut illa, excuſſis his compedibus „ atque hac fæce, cum qua vivimus, „ ſuperata, cum pulchro illo pure con„ jungi, eumque totum, quem ama„ bat, complecti geſtiebat.

Idem Oratione 21. *de laudibus Atha„naſii num.* 1. „ Cum multa & magna „ ſint, quæ a Deo habemus, maximum

„ ta-

„ tamen & humanissimum est, propen-
„ sio ad eum, atque conjunctio. Nam
„ quod rebus in sensum cadentibus est
„ sol, hoc iis, quæ animo & ratione
„ intelliguntur, est Deus. Ille, cum
„ hanc vim tribuat, ut videre possint
„ animalia, & visu percipi visibilia,
„ omnia tamen, quæ oculis subjecta
„ sunt, pulchritudine antecellit. Eodem
„ modo Deus, cum hoc afferat, ut
„ alia quidem intelligant, alia intelligan-
„ tur, ipse tamen intelligibilium om-
„ nium summus est vertex, in quo de-
„ siderium omne consistit atque defigi-
„ tur, nec supra cum usquam fertur.
„ Nec enim quidquam sublimius ha-
„ bet, aut habebit mens ulla, quan-
„ tumvis Philosophica, & altissime ten-
„ dens, ac summe curiosa; hoc enim
„ rerum omnium expetendarum extre-
„ mum est, quo cum pervenerimus,
„ conquiescit omnis speculatio.

Idem Oratione 23. in laudem Heronis n. 2. „ Prima bene merendi ratio est,
„ rerum honestarum commendatio; laus
„ enim zelum parit, zelus autem vir-
„ tutem, virtus porro beatitudinem;
„ hæc vero rerum expetendarum cul-
„ men est, ad quod omnis probi viri
„ agitatio tendit (id est, omnis motus
„ voluntatis. *πρὸς ὃ τείνει πᾶσα σπουδαίου κίνησις.*)

S. Chrysostomus in Genes. homil. 55.
„ Septem anni pauci dies videbantur Ja-
„ cobo ob ingentem erga puellam amo-
„ rem, quando enim quis sauciatur cha-
„ ritatis desiderio, nihil difficile spe-
„ ctat, sed id, quod fuerit plenum pe-
„ riculis, & multa miseria, leviter fert,
„ ad unum hoc respiciens, quomodo
„ suo potiatur voto & desiderio. Qua-
„ lis nobis erit venia, qui neque tan-
„ tam in Deum habemus charitatem,
„ quantum beatus ille in puellam de-
„ claravit amorem? Verum etsi nos
„ tam ingrati, verum non ita beatus
„ Paulus, qui tam fervebat & ignitus
„ erat charitate in Deum clamaret:
„ *Quis nos separabit a charitate Dei?*
„ vide dictionis emphasin, & latentem
„ vim, vide amoris violenti furorem,
„ vide charitatem incensam. Quis nos
„ separabit? deinde volens omnibus no-
„ bis manifestum facere irrefrænabile de-
„ siderium, quod erga Dominum possi-
„ debat, subdidit; *num afflictio? num*
„ *angustia?* impossibile est. Nullus a-
„ lius sic dignatus est diligere Domi-
„ num, ut beata illa anima.

Idem in Psalmum 43. ad illud: quemadmodum desiderat cervus ad fontes. „ Si
„ qui turpi amore tenentur, & alicu-
„ jus puellæ sæpe etiam deformis ardo-
„ re incenduntur, nec parentum mi-
„ nas, nec amicorum convitia curant,
„ sed ad illam tanquam ad scopum ten-
„ dentes domum despiciunt & paternam
„ hæreditatem contemnunt, qui Deum,
„ ut oportet, diligunt, sentientne, quæ
„ sunt inter homines, unquam præcla-
„ ra aut molesta? nec præsentis quidem
„ vitæ pompam apprehendent, ut qui
„ ad illum amorem dirigantur, sed om-
„ nem quidem ridebunt prosperitatem;
„ & res omnes adversas contemnent,
„ ut qui sint alligati Dei desiderio, &
„ nihil aliud cernant, præterquam il-
„ lum solum. -- studeamus esse eodem
„ animo, & feramus molestias; ferre
„ autem poterimus, si Deum ita ama-
„ verimus, ut amavit Propheta, di-
„ cens: *sitivit anima mea ad Deum vivum.* Ut ostenderet affectionem, a-
„ morem sitim vocavit, utrumque no-
„ bis significans, & ardorem amoris,
„ & ejusdem perpetuitatem. *Quando veniam & apparebo ante faciem Dei?*
„ vide ardentem hominem, vide in-
„ flammatum. Sciens enim se, cum
„ hic recesserit, eum esse visurum, ne
„ exspectat quidem dilationem; inge-
„ miscebat propter diuturnitatem hujus
„ peregrinationis, hoc est animæ, quæ
„ vere cœlesti amore capta est. Similia
„ habet in Psalmum 149.

VIII.

S. Gregorius M. in Job. lib. 30. C. 5.
„ Electi, dum bona, quæ facta sunt,
„ conspiciunt, in eum, a quo facta
„ sunt, inardescunt; intus, quod ap-
„ pe-

„ petunt, audiunt, & de cœleſtium
„ bonorum præmiis ipſo deſiderio divi-
„ nitatis inſtruuntur; omne eis onero-
„ ſum eſt, quod cernitur, dum ab eo,
„ quod intus audiunt, differuntur, om-
„ ne, quod ſibi præſto eſt, grave æſti-
„ mant, quia illud non eſt, ad quod
„ anhelant.

Idem in Ezech. l. 2. hom. 15. „ Hi,
„ qui ferventi amore Deum videre ſen-
„ tiunt, eique jam per deſiderium con-
„ junguntur; thalami vocantur; ſed ta-
„ men ſunt, quia vi amoris intimi ar-
„ dere ad cœleſte deſiderium neſciunt,
„ quaſi adhuc devincti corporeis ſenſi-
„ bus detinentur.

Ex his textibus, quibus ſimiles plures poſſent adduci, ſatis liquet, SS. Patres frequenter cum actu charitatis erga Deum perfecto conjungere actus deſiderii fruendi ſummo bono.

CAPUT VIII.

Solvuntur Dubia.

CONtra doctrinam hactenus traditam objici poſſet, quod SS. Patres in multis locis dicant; Deum amandum eſſe gratis, non intuitu mercedis. Ergo datur perfectus amor Dei, conſiſtens in puro amore benevolentiæ, non procedens ex appetitu proprii commodi ac beatitudinis.

Reſpondeo, SS. Patres duplicem agnoſcere beatitudinem, unam *abſtractivam in via*, alteram *intuitivam in patria*. Hæc conſiſtit in voluptate, quam percipimus ex viſione Dei intuitiva in altera vita. Illa conſiſtit in voluptate, quam percipimus ex contemplatione Dei abſtractiva in hac vita, ac ex fruitione perfectionum divinarum abſtractiva, nempe virtutum. Volunt ergo illi Patres, quod Philoſophus Chriſtianus ſectando beatitudinem *viæ*, non quærat pro hoc ſtatu *viæ* aliam beatitudinem, quam eam, quæ conſiſtit in exercitio virtutum, & quod iſta ſapientem ſufficienter moveret ad exercitium virtutum, etiamſi non moveret ſpes alterius beatitudinis in altera vita obtinendæ.

Hanc eſſe mentem SS. Patrum, ex adducendis textibus præcipue Clementis Alexandrini, & Chryſoſtomi planum fiet. Ex hoc ipſo autem ſequitur, nullum dari actum voluntatis, aut amorem puræ benevolentiæ deſintereſſatum, quo nullum bonum nobis ipſis vellemus; immo in tali caſu abdicationem beatitudinis intuitivæ eligeremus ob beatitudinem ac fruitionem Dei abſtractivam, id eſt, ob ſuavitatem iis virtutum actibus inſitam. Sequitur ſecundo, ſtatum hujuſmodi Theologiæ Miſticæ unitivum cum Deo, quieſcere actualiter ac immediate, & explicite in motivo beatitudinis abſtractivæ, non explicite ac realiter, & interpretative tendendo ad unionem Dei intuitivam perfectam; ſicut ergo perfectio actuum aut habituum deſumitur a perfectione objecti, ad quod tendunt, ita ſtatus Theologiæ practicæ tendentis laborioſe in perfectam intuitivam beatitudinem eſt perfectior ſtatu Theologiæ hujuſmodi Myſticæ. Nunc ipſas SS. Patrum de hac re percipiamus ſententias.

I.

Clemens Alexandrinus l. 4. Stromatum.
„ Paulus dicit, ſi tradidero corpus me-
„ um, ut ardeam, charitatem autem
„ non habeam; factus ſum æs ſonans.
„ Si non per charitatem, ſed propter
„ metum, aut propter mercedem con-
„ fitear Chriſtum, ſum homo commu-
„ nis; ſi diſtribuero omnes facultates
„ meas in pauperes, non vero ex com-
„ municatione charitatis, ſed ob remu-
„ nerationem a paupere, aut a Deo
„ ſperatam, nihil ſum. -- Opus My-
„ ſtici non eſt a malis abſtinentia, ſed
„ nec aliquid boni facere propter me-
„ tum; ſed neque propter ſpem pro-
„ miſſi honoris; dictum eſt enim: *Ec-*
„ *ce Dominus, & merces ejus a facie*
„ *ejus*, ſola autem, quæ propter chari-
„ tatem fit beneficentia, propter ipſum
„ honeſtum eſt expetenda ei, qui eſt

„ Mysticus (γνωστικῶ) Jam vero ex per-
„ sona Dei Domino dictum est : *Pete*
„ *a me, & dabo tibi gentes hæreditatem*
„ *tuam* . Petitio maxime regia , quæ
„ docet hominum salutem peti sine mer-
„ cede , ut nos simus hæredes & possi-
„ deamus Dominum . Nam eam scien-
„ tiam , quæ circa Dominum versatur,
„ desiderare alicujus usus gratia , nem-
„ pe ut hoc fiat , illud non fiat , non
„ est proprium Mystici . Causa autem
„ contemplationis ei sufficit ipsa cogni-
„ tio ; ausim dicere , non eo quod vo-
„ let salvus esse , eliget cognitionem ,
„ qui persequitur cognitionem propter
„ ipsam divinam scientiam ; intelligen-
„ tia enim continua exercitatione fit
„ perpetua intelligentia. Semper autem
„ intelligere transit in substantiam ejus,
„ qui intelligit , & facilitata tandem
„ contemplatio perseverat ejus viva sub-
„ sistentia. Si quis ergo per hypothesin
„ Mystico proponat , utrum malit Dei
„ cognitionem , an salutem æternam ?
„ (ponatur autem ea separata , licet
„ sint omnino eadem) nihil penitus du-
„ bitans , eliget Dei cognitionem , pro-
„ pter se judicans esse expetendam eam,
„ quæ fidem transcendit per charitatem
„ in cognitionem , proprietatem . Hæc
„ est ergo prima ejus, qui est perfectus,
„ beneficentia , quando non fit propter
„ aliquem usum eorum , quæ ad se per-
„ tinent . Cum autem judicaverit pul-
„ chrum esse & honestum id, quod bo-
„ num est facere , vehementer incitata
„ operatio in omnibus se bene gerit ,
„ sed in benefaciendi habitu constituta,
„ neque propter gloriam , neque pro-
„ pter mercedem aut ab hominibus aut
„ a Deo , ad imaginem & similitudi-
„ nem Dei vitam peregerit -- Justus
„ non propter supplicia justus perma-
„ net , qui enim propter hæc abstinet,
„ non est sua sponte , sed metu liber ,
„ si autem ab injuria facienda abstinet
„ propter spem remunerationis a Deo
„ consequendæ , ne sic quidem sua spon-
„ te est bonus : sicut enim illum me-
„ tus , sic hunc quoque merces justum
„ facit , vel potius efficit , ut videatur
„ justus , -- qui autem nudæ vocationi,
„ quatenus vocatus est , obedit , is ne-
„ que propter timorem , neque propter
„ voluptates tendit ad cognitionem ;
„ non enim considerat , an aliquod lu-
„ crum utile , vel delectatio aliqua ex-
„ trinsecus consequatur , sed ab amore
„ amatoris vere existentis attractus , &
„ ad id , quod decet , inclinatus , pius
„ est Dei cultor . Unde nec si per hy-
„ pothesin a Deo acceperit potestatem
„ faciendi ea , quæ sunt prohibita , ci-
„ tra ullam pœnam ; neque si propte-
„ rea beatorum bona accepturum eum
„ esse , ei promissum fuerit , sed nec si
„ persuasum habuerit fore , ut Deum
„ lateant ea , quæ gerit , in animum
„ unquam esse inducturum , ut aliquid
„ agat præter rationem , cum id , quod
„ vere honestum , & ex seipso eligen-
„ dum , & ea ratione expetendum , a-
„ mandumque , semel elegerit -- bona
„ quidem omnia sunt , quæ creata sunt
„ ad usum nostrum, bonum autem me-
„ lius est , per assimilationem Dei fieri
„ impatibilem & virtute præditum --
„ virtus autem reddit metus expertem,
„ & insuperabilem -- qui autem ad im-
„ patibilitatem deductus homo deifica-
„ tus efficitur , in se simplex redditur .

Et lib. 6. Stromatum. „ Apostoli cum
„ iram , & metum , & cupiditatem su-
„ perassent , ne ea quidem , quæ viden-
„ tur bona , ex iis quæ passionem infe-
„ runt motionibus , utpote confiden-
„ tiam , æmulationem , gaudium , cupi-
„ ditatem susceperunt , ut qui propter
„ firmum quendam ac stabilem statum
„ mentis nihil penitus mutarentur , sed
„ in exercitationis habitu semper ma-
„ nentes alieni ab alteratione : nam
„ etsi ea , quæ prius dicta sunt , si cum
„ ratione fiant , aliquis bona esse acci-
„ piat , at in perfecto certe minime
„ sunt admittenda , qui neque habeat
„ confidentiam ; neque enim versatur
„ in rebus gravibus & molestis , cum
„ ex iis , quæ sunt in vita , nihil grave
„ molestumque existimet ; neque aliquid
„ eum possit abducere a Dei charitate .
„ Neque tranquillitate animi opus ha-
„ bet ,

„ bet, neque enim in dolorem incidit, „ animique angorem, cum perſuaſum „ habeat, omnia recte fieri. Neque ira- „ ſcitur, neque enim eſt, quod eum ad „ iram moveat, cum ſemper Deum di- „ ligat, & ad hoc ſolum totus ſit con- „ verſus, & ideo ex Dei creaturis nul- „ lam odio habet. Sed neque æmula- „ tur, nihil enim ei deeſt ad aſſimila- „ tionem, quo ſit bonus & honeſtus. „ Sed neque amat aliquem communi „ amicitia, ſed creatorem diligit per „ creaturas. Neque ergo in cupiditatem „ aliquam incidit, aut appetitionem, „ neque in anima aliquo indiget ex aliis, „ cum jam per charitatem verſetur cum „ dilecto, cui quidem jam eſt familia- „ riter conjunctus per electionem, & „ per habitum, qui procedit ab exerci- „ tatione, ei appropinquat propius, & „ eſt beatus propter bonorum abundan- „ tiam. Quamobrem maxima vi con- „ tendit aſſimilari Domino ipſo, ut nul- „ las admittat paſſiones. Eſt enim ver- „ bum ſeu ratio Dei intelligens, per „ quam mentis imago ſeu aſſimilatio in „ ſolo homine cernitur. Eſt enim nu- „ gatorium dicere, myſticum & perfe- „ ctum non oportere eximere iram & „ confidentiam; hi neſciunt divinita- „ tem charitatis; non eſt enim utique „ charitas ejus, qui diligit, appetitio, „ ſed eſt benevola & firma conjunctio „ in ſimplicitatem fidei reſtituens My- „ ſticum. Qui autem per charitatem in „ iis, in quibus eſt futurus, ut qui ſpem „ anticipato acceperit per cognitionem, „ nihil expetit, ut qui, quantum fieri „ poteſt, habeat quod eſt expetendum „ merito: ergo manet in uno immu- „ tabili habitu, diligens ex cognitione. „ Neque ergo vehementi ardebit ſtudio, „ ut aſſimiletur pulchris, cum habeat „ per charitatem id, quod eſt bonum „ & honeſtum. Confidentia autem & „ cupiditate quid ei adhuc eſt opus, „ qui cum Deo, nullis paſſionibus ob- „ noxio, conjunctionem & familiarita- „ tem acceperit per charitatem, & per „ eam ſe in ejus amicorum numerum „ adſcripſerit? is ergo qui eſt Myſticus „ & perfectus, eximendus eſt a quavis „ animæ affectione ac perturbatione. „ Cognitio enim efficit exercitationem, „ exercitatio autem habitum vel affe- „ ctionem; ejuſmodi autem conſtitutio „ efficit alienum paſſionibus habitum, „ non autem animi motuum modera- „ tionem. Fruitur autem tali habitu „ perfecta & abſoluta amputatio cupi- „ ditatis. Sed nec eorum, quæ vulgo „ jactantur, bonorum, hoc eſt patibi- „ lium bonorum, quæ adjunguntur ani- „ mi perturbationibus, eſt particeps My- „ ſticus, ut v. g. lætitiæ, quæ adjuncta „ eſt voluptati, & mœſtitiæ; ipſa enim „ adjuncta eſt dolori, & cautioni; ſub- „ jicitur enim metui; ſed nec excande- „ ſcentiæ; collocata enim eſt prope „ iram. Fieri enim non poteſt, ut jam „ ſemel eſt conſummatus per charita- „ tem, & inexplebilem contemplatio- „ nis delectationem æterne & inexple- „ biliter percipit, eaque fruitur, parvis „ & humilibus quibuſdam & abjectis „ delectetur. Quæ enim juſta ei am- „ plius reſtat cauſa, cur ad bona mun- „ dana revertatur, qui eam acceperit „ lucem, ad quam non patet aditus? „ quanquam enim Myſticus hæreditatem „ & perfectam reſtitutionem, quæ pro- „ pter charitatem tribuitur, ſuo loco „ & tempore nondum acceperit, eam „ tamen illa Myſtica charitate & per „ Myſticam charitatem ac contempla- „ tionem jam anticipato accepit. Quo- „ modo eſt ei amplius opus fortitudine, „ qui in malis non verſetur, ut qui ne „ ſit quidem præſens, ſed totus ſit cum „ eo, quem diligit? non eſt utique de- „ corum, ut Dei amicus quem Deus „ prædeſtinavit in numerum filiorum, „ voluptatibus ſubjiciatur vel timoribus, „ & occupetur in comprimendis animi „ perturbationibus: audacter enim di- „ cam, quod jam habeat eum, quem „ diligit, non amplius in incertitudine, „ ut multi alii, exſpectans futurum, „ ſed jam anticipato per cognitionem „ Myſticam accipiens, quod aliis adhuc „ incertum & obſcurum eſt, cum per „ charitatem ei jam ſit præſens, quod

„ futurum est. Talis Mysticus habet fi-
„ dem cognitione præditam ; credidit
„ enim Deo & propter prophetiam seu
„ revelationem, & propter præsentiam
„ rei creditæ. Quod enim credidit, jam
„ habet, ac possidet, quod promissum
„ est, adeoque finem promissionis ob
„ fidem promittentis jam per scientiam
„ accepit. Talis Mysticus in iis solis,
„ quæ scientiam constituunt se præclare
„ geret, iis, quæ intelligentia percipiuntur, semper adhærens. Tenui
„ diætæ assuefactus, ac nihil quærens
„ supervacaneum, quantum necesse est,
„ admittet. Præcipua enim est ei cognitio. Per consequentiam iis quoque
„ attendit, quæ exercent ad cognitionem, sumens ex unaquaque disciplina id, quod confert ad veritatem.
„ Ex Musica persequens proportionem,
„ ex Arithmetica relationem numerorum, & Geometricam ipsam substantiam in se contemplans aliquod continuum intelligentia percipit spatium,
„ & immutabilem essentiam, quæ est
„ alia a corporibus, & rursus ab Astronomia a terra elevatus una cum cœlo mente in altum extolletur, semper considerans divina, & eam quæ
„ est inter se invicem, consensionem &
„ convenientiam. Quin etiam dialectica utetur Mysticus, eligens divisionem, donec attigerit prima & simplicia.

Et lib. 7. Stromat. „ Deus ordinavit,
„ ut anima, quæ continue evadit melior ad acquirendam virtutem, meliorem ordinem accipiat in universo,
„ ut nempe quolibet proficiendi passu
„ extendatur ad habitum impassibilitatis, donec evaserit in virum perfectum perveniendo ad cognitionis &
„ hæreditatis excellentiam. Salutares
„ hæ mutationes animæ dividuntur suis
„ temporibus ac locis, usque ad transcendentem continuamque in æternitate contemplationem Domini.

Ex his omnibus, & pluribus aliis Clementis Alexandrini textibus, quos prolixitatis vitandæ causa omitto, patet, cum quandam beatitudinem abstractivam agnovisse in ipsa contemplatione & charitate Dei consistentem; eam beatitudinem esse inchoationem quandam æternæ beatitudinis, adeoque eandem, propter se expetibilem esse. Per hoc ipsum tamen evertitur status amoris benevoli desintéressati, cum talis amor Dei abstractive fruitivus nihil magis appetat, quam suam beatitudinem, qua actu fruitur. Cæterum, quo sensu in rigore theologico sustineri possit, quod præsens status contemplativi & charitatis unitivæ beatitudo sit propter se expetenda, quomodo jam sit inchoatio futuræ beatitudinis, aut qua ratione multæ aliæ Clementis Alexandrini propositiones in hac re incidentes ab errore excusari possint, non vacat hic discutere. Durum certe est, quod dicit in libris Stromatum, Mysticum non habere passiones & motus rationi contrarios, eum non desiderare amplius virtutes oppositas passionibus, habitum hunc non posse amitti, statum Mystici solum esse perfectum, ac solum vere Deum colere, charitatem nunquam intermitti, sed esse in perpetua exercitatione &c. Possunt quidem hæ propositiones in sensu aliquo salvari, sed cum Ecclesia nunc utatur propositionibus & damnet propositiones in eo sensu, qui est ex verbis, aut contextu obvius, non est simpliciter utendum talibus Patrum propositionibus, ne sua versatili natura, aut proclivitate ad recipiendam interpretationem erroneam præstent errori authoritatem; vel certe, ne ingeniis, postquam accuratissimam Theologorum in loquendo viam deseruerint, præbeatur occasio utendi inusitatis loquendi formulis, ac insolitis conceptibus, qui, utpote inter Theologos inusitati, ac propterea indiscussi, cum per authoritatem elimatæ undique Theologorum sapientiæ coerceri nequeant, relinquntur fibiipsis, & paucorum hominum Mysticorum providentiæ, sicque constituuntur in proximo sæpius a vero tramite aberrandi periculo, insinuante se præterea tacite contemptu viæ publicæ in Ecclesia tritæ, Theologiæ videlicet, & ascéseos ordinariæ, quod non

est

eſt tutum Eccleſiæ. Omnes hæreſes, quæ decem primis ſæculis exortæ ſunt, multum ex eo pullularunt, quod nondum exiſtente Theologia Scholaſtica SS. Patres Eccleſiæ uſi fuerint inaccuratis loquendi formulis, ut poſſem mille exemplis demonſtrare. Nunquam ergo eſt bonum Eccleſiæ, in quovis doctrinæ genere declinare ad inuſitatas in Scholis verborum formulas, quantumvis uſitatas a Patribus ſubin, & ſanctis; ne diffractis verborum formulis Theologicis, conceptuum noſtrorum quaſi repagulis, reducatur priſtina idearum confuſio ſemper fœcunda errorum mater. Verum jam ſatis de Clemente Alexandrino; tranſeamus ad alios amoris benevoli, ut poſſet videri, Patres.

II.

Gregorius Nyſſenus, in vita Moyſis ad finem. „ Finem dico, cujus gratia „ cætera fiunt; nam ut agriculturæ finis „ eſt frugum perceptio, certaminis co„ rona, ſic virtuoſæ vitæ finis eſt, ut „ ſervus Dei & ſis & vociteris -- id „ enim certe perfectio eſt, ut non ti„ more pœnarum ſicut mancipium a vi„ tiis declines, nec virtutem ſpe præ„ miorum quaſi mercator amplecta„ ris, ſed unum terribile arbitreris, ab „ amicitia Dei repelli, unum expetibile „ ſolum, amicitiam Dei, qua ſola, meo „ judicio, vita hominis perficitur.

Et in Cantica homil. 1. „ Quicunque „ cum charitate Chriſtum induiſtis, & „ eſtis ei conformati ad impatibilitatem, „ audite Canticum Canticorum. Per „ ea, quæ hic ſcripta ſunt, ornatur „ quodammodo anima tanquam ſponſa, „ ad incorpoream & ſpiritualem mate„ riæque expertem Dei conjunctionem. „ Nam qui vult omnes eſſe ſalvos, & „ venire ad agnitionem veritatis, oſten„ dit hic perfectiſſimum & beatum mo„ dum ſalutis, eum dico qui fit per „ charitatem; nam nonnullis fit etiam „ ſalus per timorem, quando intuentes „ ad minas ſupplicii gehennæ ſeparamur „ a malo. Sunt etiam aliqui, qui pro„ pter ſpem mercedis repoſitam iis, qui „ pie vixerint, ſe recte & ex virtute „ gerunt, non charitate bonum poſſi„ dentes, ſed expectatione remunera„ tionis. Sed qui animo currit ad per„ fectionem, expellit quidem timorem, „ eſt enim ſervilis ejuſmodi affectio; „ deſpicit autem ipſas quoque mercedes, „ ne videatur mercedem pluris facere, „ quam eum, qui donat lucrum; dili„ git autem ex toto corde, & anima, „ & poteſtate non aliquid aliud ex iis, „ quæ ab ipſo fiunt, ſed eum ipſum, „ qui eſt fons bonorum -- huic omnes „ dilectionis ſignificationes puras & im„ pollutas dedicemus, cui ſolum eſt re„ vera, quod dulce, & jucundum; ex„ petendumque, & amabile, cujus, quæ „ ſemper exiſtit, fruitio, fit materia „ & occaſio majoris cupiditatis, bono„ rum participatione intendens deſide„ rium. Ita Moyſes Deum diligebat, ita „ Elias; ita Joannes ſponſum diligebat, „ dicens: qui habet ſponſam, eſt ſpon„ ſus, amicus autem lætitia afficitur pro„ pter ſponſum. Ita Petrus, ita cæteri „ Apoſtoli, ita Paulus dicens: deſpondi „ vos virginem caſtam exhibere Chriſto. „ Ita quæ nunc eſt Eccleſia, ſponſa „ ſponſum diligebat convenienter ei vir„ gini quæ dicit in Cantico: *O culetur „ me oſculo oris ſui.* Sic ille, qui dignus „ eſt habitus cum Deo loqui facie ad „ faciem, ut teſtatur Scriptura, ejuſ„ modi oſculorum tenebatur deſiderio, „ poſtquam ei toties Deus apparuiſſet, „ rogans, ut videret quem deſiderabat, „ perinde ac ſi nunquam eum eſſet con„ templatus. Ita cæteri, quorum di„ vinum deſiderium inſidebat in imis „ penetralibus, nunquam ſuum ſatiarunt „ deſiderium, quidquid eis divinitus e„ veniebat, quo fruerentur eo, qui deſi„ derabatur, materiam arripientes & fo„ mitem majoris deſiderii. Quomodo e„ tiam, quæ nunc quoque Deo conjun„ gitur anima, ſatiari non poteſt fruitio„ ne, quo copioſius fruitione impletur, „ eo vehementiori vigens deſiderio. Si„ milia habet homil. 6. in Cantica.

Ex his autem patet, 1. Nyſſenum,

dum docet, non esse operandum propter mercedem, tantum intelligere mercedem distinctam a fruitione Dei. 2. Eum admittere quandam fruitionem Dei in hac vita. 3. In ipsa Dei fruitione crescere desiderium perfectius fruendi Deo. Ut proin falsum sit, Nyssenum agnoscere amorem Dei desinteressatum.

III.

S. Chrysostomus, qui frequentissime docet, Deum nullius mercedis causa amandum, in ipso ejusmodi amore Dei nostram abstractivam *in via* beatitudinem constituit. *In cap. 2. Epist. ad Rom. homil.* 5. sic habet. „ Dei offensio nullo „ non supplicio gravior est; at nunc „ tamen misere animati, affectique sumus, ut nisi gehennæ timor esset, „ ne propositum quidem nobis sit, bono opere defungi; quapropter, si „ nullam aliam ob causam, certe ob „ hanc unam gehenna digni sumus, quod „ videlicet plus gehennam, quam ipsum „ Christum timemus. Si Christum amaremus, ut amare certe oportet, „ judicaremus utique amari offensionem „ gehenna esse graviorem – o miram nostram ignaviam! si vel tantillum boni officii præstiterimus, quam mercedem res a nobis gesta habere debeat, „ examinamus. Atqui major tibi merces, si modo citra mercedis spem feceris. Sunt enim omnia propter Christum agenda, non propter mercedem; „ ob hoc & gehennam comminatus est, „ & cœlorum regnum promisit, ut a „ nobis ametur. Amemus igitur illum, „ ut amare quidem par est; hoc enim „ magna certe merces, hoc cœlorum „ regnum, & voluptas, & delitiæ, & „ gloria, & honor, hoc lumen, hoc „ beatitudo infinita, quam ipsam nec „ oratio repræsentaverit, nec mens comprehenderit. Sed nescio, quo pacto in „ hujusmodi sermonem adductus sum, „ qui jubeam homines propter Christum „ ipsum regnum cœlorum contemnere, „ quanquam magni ac generosi illi viri „ ad hunc modum pervenerunt. Audi „ igitur ut Petrus illius amore ustus ardeat, & animæ & vitæ & omnibus „ rebus illum anteponens, quem dum „ abnegasset, non ob supplicium luxit, „ sed quod eum, quem amabat, se abnegasse videret, illud, quod nullo non „ supplicio amarius illi erat. Omnia enim ipse illis erat, ac neque cœlum, „ neque regnum amato præferebant; tu „ enim mihi illa omnia, inquit, & „ quid miraris, si Petrus ita esset erga „ Deum animatus, etenim audi, quid „ Propheta dicat, *Quid enim mihi est „ in cœlo, & a te quid volui super terram?* ac si dixisset: nullius prorsus alterius rei, nec cœlestis, nec terrestris „ sed tuo unius desiderio teneor. Hoc „ sane amor est, hoc amicitia; hoc modo si amaverimus, nec præsentia bona nec futura quidquam præ amore „ illo arbitrabimur, atque sic in terris „ regni cœlestis fructus gustabimus, Dei „ amore exsatiati.

Et in cap. 5. Epist. ad Rom. homil. 9. „ Nihil est, quod non vincat amor; „ cum autem & Dei amor extiterit, tum „ demum omnia infra se posita habet, „ quo quidem amore quisquis incensus „ fuerit, huic certe neque ignis, neque „ ferrum, neque paupertas, neque morbus, ac ne ipsa quidem mors, aut „ quidvis aliud id genus grave molestumque videbitur; quin is potius omnia ea deridens, cœlum versus volitabit, nihilo secius affectus, animatusque, quam animati sunt, qui inibi vitam transigunt. Huic igitur amori adhærescamus, neque enim quidquam „ est, quod cum hoc conferri possit, „ tum ob præsentia, tum ob futura, „ atque adeo vel in primis ob ipsam amoris naturam. Per eum enim amorem a suppliciis vitæ tum præsentis, „ tum futuræ liberabimur, ac tandem „ cœlorum regno potiemur. Immo vero neque a gehenna liberatio, neque „ cœlorum regni assecutio quidquam esse debet præ eo, quod dicturus sum. „ Omnium enim horum maximum; si „ Christum una & a te amatum & tui „ amantem habeas. Nam si hoc, inter

„ ho-

„ homines dum contingit, nullam non „ voluptatem exuperat, cum in ipſo Deo „ amando hæc utraque evenerint, quæ „ tandem oratio, quæ immo cogitatio „ animæ ſic affectæ felicitatem repræ„ ſentare poterit? certe nec oratione, „ nec cogitatione ulla, ſed ipſo ſolum „ periculo facto, quam dico, felicitatem „ comprehendere poſſis. Nos igitur, ut „ ſpiritualem hujuſmodi lætitiam, beatam vitam, infinitorum bonorum the„ ſaurum experiamur, cæteris omnibus „ poſthabitis, unum hunc amorem am„ plectamur, tum in noſtri lætitiam, „ tum in amati Dei gloriam.

Item in cap. 8. *Epiſtol. ad Rom. homil.* 15. ad illud: *Certum, quod neque mors, neque vita poterit nos ſeparare a Charitate Dei.* „ Magna quidem „ ſunt dicta hæc, ſed nobis incognita, „ hoc ipſo quod tantam ipſi charitatem „ non habemus. Quod autem ait, ſen„ ſum hunc habet: quid tandem hæcce „ præſentia, & quæ vitæ huic cohæ„ rent? nam ut res mihi etiam futuras „ alleges, univerſamque, quæ ſupra eſt, „ creaturam, certe vel eaipſa animo meo „ puſilla fuerint, ſi ad Chriſti charita„ tem conferantur. Profecto omnia mi„ hi perparva tum quæ in terra, tum „ quæ in cœlis præ eo, quem dico, „ amore. Si vel aliud tale ac tan„ tum mundi opificium exiſteret, qua„ le quantumque hoc ipſum, quod ſpe„ ctamus, vel quod in mentis humanæ „ cogitationem cadere poſſit, nulla ta„ men res eſſet, quæ me ab eo amore „ ſubmoveret. Neque enim Paulus Chri„ ſtum propter Chriſti opera, ſed pro„ pter illum illius opera amabat, at„ que ad illum unum reſpiciebat, unum „ tantum veritus, ne ab eo amore ex„ cideret. Hoc enim vel gehenna illi „ terribilius erat, quemadmodum & in „ eo amore perſiſtere vel cœlorum re„ gno deſiderabilius. Et ille quidem ob „ Chriſti amorem vel in gehennam de„ cidere libens admittit, paratuſque vel „ a regno cœlorum excidere, ſi utrum„ que hoc proponatur, nos autem ne „ præſentem quidem vitam deſpicimus. „ At non ſic Paulus. Quin tanquam in„ genuus quiſpiam ac Patris amans fi„ lius paternam conſuetudinem ac con„ greſſum ſolum (συνουσίαν) expetit ex„ quiritque, cæterarum rerum non per„ inde curam gerens. Non enim æqua„ liter Patrem, & res paternas æſtimat; „ verum quoties ad Patrem reſpicit, res „ eas nihili facit, ſed maluerit vel inter „ flagella ac ſupplicia cum Patre eſſe, „ quam ab eo diremptus deliciis frui. „ Paulus ſolus erat, qui propter Chri„ ſtum ingenue omnia ferret, non pro„ pter cœlorum regnum, non propter „ illius pretium, ſed propter eam, qua „ erga illum afficiebatur, benevolen„ tiam.

Item in cap. 9. *Epiſtol. ad Roman. hom.* 16. ad illud: *optarem ipſe anathema eſſe a Chriſto.* Quid ais, o Paule, „ a Chriſto? illo, inquam, Chriſto, „ qui a te deſideratur, a quo te nec „ cœlorum regnum, nec gehenna ſepa„ rabat? quid accidit? num deſiderium „ illud excuſſiſti? haudquaquam, in„ quit, ne vereare; nam & illud inten„ di magis. Quænam ergo cauſa? rur„ ſum ipſe amatus Jeſus. Quaſi enim di„ ceret: vellem ab eo choro ſeparari at„ que alienari, qui Chriſtum circumdat, „ non ab ipſius amore, abſit hoc, quan„ doquidem propter amorem hæc facie„ bat, ſed & illa fruitione & gloria „ privari ſuſtinuerim, ut ne Dominus „ meus convitio afficiatur maleque au„ diat, quod judæorum, ex quibus ge„ nitus, prolem dereliquerit. Ut ne igi„ tur hæc de Domino Deo efferantur, „ a cœlorum regno libens exciderem, „ maximam omnium exiſtimans conſola„ tionem mihi adfore, ſi amplius non „ audiam conviciis eum affici, cujus „ amore tantopere ardeo. Quod ſi non„ dum accipis, quod dictum eſt, cogi„ tato, quod parentes multi hæc pro „ liberis admiſere, non recuſantes ab il„ lis ſeparari, ut illos magis inclareſce„ re viderent, illorum exiſtimationem „ reputantes conſuetudine ſua ſuaviorem. „ Quid eſt autem, *ipſe ego?* qui om„ nium Magiſter ſum effectus, qui co-

„ ronas infinitas exspecto, qui sic il-
„ lum amo, ut meus erga illum amor
„ mihi sit rebus omnibus antiquior, qui
„ omnia duco secunda esse præ amore,
„ quem erga illum habeo. Neque enim
„ illi curæ erat a Christo solum amari,
„ sed & illum magnopere amare, hoc-
„ que in primis curabat; unum enim per
„ omnia considerabat, nempe, quomo-
„ do pulchrum hunc amorem exple-
„ ret.

Et in 2. *Epistol. ad Corinth. homil.* 11. „ Siquis fertur erga Christum eo amore, „ quo debet, maximum supplicium eo- „ ipso pendit, quod ipsum ad iracun- „ diam extimulavit. Iis enim, qui cu- „ jusvis hominis amore flagrant, non „ illud molestum est, quod pro offenso „ ejus, quem amant, animo gravius ali- „ quid patiantur, sed illud ante om- „ nia graviter acerbeque ferunt, quod „ eum, quem diligunt, offenderint, ac „ siquidem ille ira commotus injuriam „ acceptam minime ulciscatur, hocip- „ so amicum gravius excruciat; contra „ siquid pœnarum sumat, plus ei leva- „ tionis affert. Quæ cum ita sint, ne „ gehennam perhorrescamus, sed id po- „ tius timeamus, ne Deum offendamus, „ hoc enim illo atrocius est; cum nobis „ infensus vultum suum avertit, hoc „ quovis supplicio gravius atque acer- „ bius. -- Hæc igitur animo volventes „ peccatum ante omnia timeamus; hoc „ enim pœna est, hoc gehenna, hoc „ innumera mala. Nec tantum timea- „ mus, sed & fugiamus, ac Deo place- „ re perpetuo studeamus; hoc enim re- „ gnum est, hoc vita, hoc innumera „ bona.

Et in Epistol. 1. *ad Thessal. homil.* 2. „ Sic oportet diligentem diligere, ut si „ ab eo petatur anima, & fieri possit, „ non vetet. Nihil enim, nihil hujus- „ modi amore fuerit jucundius. Quam „ enim non voluptatem attulerit verus „ amicus? dicamus, quantam voluptа- „ tem habet vera amicitia, gestit gau- „ dio eum videns, & diffunditur; cum „ eo conjungitur quadam conjunctione, „ quæ ineffabilem animo habet volup- „ tatem; & si solum ejus meminerit, „ mente assurgit, & attollitur. Verbis „ explicari non potest, quantam affert „ voluptatem & lætitiam præsentia a- „ micorum, revera ipsa quoque luce est „ amicus desiderabilior. Talis erat Pau- „ lus, qui & animam suam in gehen- „ nam libenter dedisset.

Idem de Compunctione lib. 2. „ Præ- „ stas aliquid, quod Deo placeat, & „ aliam mercedem requiris? vere igno- „ ras, quantum bonum sit placere Deo; „ si enim scires, nunquam aliud aliquid „ mercedis aut muneris exspectares.

Item de Compunct. lib. 1. „ Paulus ubi „ perspexit illa, quæ in cœlis sunt, „ contempsit ista, quæ egestatis & squa- „ loris in terra plena sunt, & cum ho- „ minibus quidem pro necessitate ter- „ reni corporis conversabatur, mente „ vero & sollicitudine totum se illuc „ transferebat, quo eum amoris sui du- „ cebat intentio. Etiamsi triste hic ali- „ quid ferebat, animo ibi occupato non „ sentiebat; & si delectabile aliquid ac „ suave videbatur, illa delectatio ac il- „ la suavitas, qua per spiritum frueba- „ batur, delectationes hujus suavitatis „ obscurabat; intantum enim erat suc- „ census igne Christi, ut ei etiam si „ flammas immortales adhibeas, nesciat, „ non sentiat, non uratur. Multo nam- „ que vehementior est ignis Christi, „ quo uritur per amorem. Non enim „ Paulus erat sicut nos mercenarii, qui „ timore gehennæ Christi regnum re- „ quirimus; sed ille alio quodam pacto „ multo præstantiore & beatiore desi- „ derio constrictus ita fert omnia, ut ex „ his, quas patitur, pœnis, solatia ma- „ gis amoris sui capiat, quam dolores „ corporis sentiat.

Et de laudibus S. Pauli sermone 42. *homil.* 1. „ Quis Paulo æquari possit, qui „ cœlum, & cœlum cœli Christum su- „ scipiendo despexit, unum pro cunctis „ & solum, id est, Christi charitatem „ requirens, neque hoc solum in illo mi- „ rabile est, quod præ abundantia de- „ votionis quodammodo non sensit do- „ lores pro virtute susceptos, sed etiam,

„ quod

„ quod virtutem ipſam pro mercede non „ ſuſcepit. Unum formidandum illi erat, „ atque metuendum, offenſa nimirum „ Dei, nec quidquam aliud omnino: „ ergo nec deſiderabile illi aliud erat, „ niſi placere ſemper Deo; non dico, „ quia præſentium nihil deſiderabat, ſed „ nec ipſorum aliquid futurorum; non „ enim mihi dicas urbes, & gentes, „ provincias, poteſtates; hæc ille ara„ nearum fila reputavit, ſed ea ipſa po„ ne, quæ promittuntur in cœlis, & „ tunc ejus ardentem in Chriſto amo„ rem videbis, hic ſiquidem præ illius „ dulcedine non Angelorum, non Ar„ changelorum admiratus eſt dignitatem, „ ne quidquam horum ſimile concupi„ vit; quod enim majus erat omnibus, „ Chriſti amore fruebatur; cum hoc „ beatiorem ſe cunctis putabat; cum „ hac dilectione etiam ex numero pu„ nitorum eſſe optabat, quam ſine hac „ inter ſummos honores. Hoc enim illi „ erat maximum & ſingulare tormen„ tum, ab hac charitate diſcedere; hæc „ illi erat gehenna, hæc ſola pœna, „ hæc infinita & intoleranda ſupplicia. „ Sicut etiam perfrui charitate Chriſti „ hoc illi vita, hoc mundus, hoc an„ gelus, hoc præſentia, hoc futura, hoc „ regnum, hoc promiſſio, hoc bona vi„ debatur innumera; præter hoc vero „ nihil in triſtium parte ponebat. Sic „ deſpiciebat univerſa, quæ cernimus; „ tyrannos ipſos ac populos ſpirantes fu„ rorem velut quoſdam eſſe culices exi„ ſtimabat; mortem vero & cruciatus „ & mille ſupplicia, quaſi ludum pu„ tabat eſſe puerorum. At dicet aliquis: „ quod hæc omnia, etiam remanere in „ carne, Paulo propter Chriſtum ſuavia „ erant. Hoc plane etiam ipſe profi„ teor, quoniam quæ nobis ſunt cauſa „ triſtitiæ, hæc illi pariebant maximam „ voluptatem.

Idem in Pſalm. 7. „ Si quis tribus „ pueris dixiſſet, & qua tandem ſpe „ morimini? audiviſſet. Hæc eſt maxi„ ma remuneratio, mori propter Deum: „ amator enim vel millies pro amata „ moreretur, quamvis poſt mortem ni„ hil ab ea exſpectaret; ita etiam nos „ oportet non propter regni exſpecta„ tionem, nec propter aliquam ſpem „ futurorum bonorum, ſed propter ip„ ſum Deum omnia pati. Amemus „ Deum non propter ea, quæ ſunt ejus, „ ſed propter ipſum.

Et in Pſalm. 111. „ Hæc dixit Da„ vid exigens præcepta facere cum ala„ critate, eſſe vehementer eorum ama„ tores; ea amare non propter merce„ dem, ſed propter Deum virtutem cum „ voluptate perſequi, quin etiam oſten„ dens voluptatem, quam capit ex præ„ ceptis Dei, *quam dulcia ſunt*, inquit, „ *eloquia tua, ſuper mel ori meo*. Ante „ alia enim præmia virtus in ſeipſa ha„ bet remunerationem.

Hæc omnia & plura alia oſtendunt, S. Chryſoſtomum in ipſo amore Dei agnoviſſe miram quandam ſuavitatem, voluptatem, ac beatitudinem abſtractivam *in via*, qua obtenta non neceſſario de alia mercede ac beatitudine pro ſtatu viæ cogitet. Adeoque in ipſo amore benevolentiæ tacite ineſt motivum beatitudinis propriæ, qua vel in re, vel in ſpe ſublata animus non prorumpet ad tales actus benevolentiæ.

Itaque conſideratis omnibus exiſtimo. 1. Nullum dari amorem puræ benevolentiæ deſintereſſatum, in quo ceſſet omne motivum proprii commodi, ac beatitudinis. 2. Poſſe dari duos actus amoris elicitos diverſos, unum deſiderii, quo tendimus in ſummum bonum noſtrum in altera vita perfecte poſſidendum; alterum benevolentiæ, quo jam fruimur Deo in hac vita per amorem & contemplationem, quanquam imperfecte. 3. Dari etiam duos diverſos ſtatus vitæ, unum activæ, alterum myſticæ ſeu contemplativæ; in illo ſtatu ob multam inquietudinem & miſeriam eliciuntur plures actus deſiderii, quam amoris myſtici abſtractive fruitivi; in ſtatu vero vitæ contemplativæ, in quo ceſſat tumultus objectorum temporalium, quietius inhæremus Deo, tanquam ſponſo, fruendo ejus intima præſentia, ſicque plures eliciuntur actus benevolen-

tiæ,

tiæ, quam desiderii, utpote erga dilectum jam modo specialiori præsentem, quem cum sponsa in hoc quietis tranquillæ lectulo, quanquam adhuc in nocte humanæ caliginis, inquisitum invenimus. 4. Judico, neutrum statum vitæ activæ, vel contemplativæ altero simpliciter esse perfectiorem. Cum enim in utroque statu eliciantur iidem actus, & dentur iidem infusi habitus, licet in statu vitæ activæ eliciantur pauciores actus fruitivi, quam desiderii, & e contra in statu vitæ contemplativæ eliciantur pauciores actus desiderii, quam actus fruitivi, per hoc non redditur unus status coram Deo perfectior. Beatior quidem est Maria fruens, quam Martha suspirans, non tamen per hoc perfectior. Deus a quovis homine exigit illos charitatis actus, qui sunt suæ vocationi, adeoque voluntati Dei congrui. Si Deus in mea vocatione a me exigit opera vitæ activæ, quæ turbent recollectionem internam ac unionem cum Deo, suscipiam quidem & mirabor beatos illos, qui in terris inhærendo summo bono præripiunt cœlum; sed non invidendo Mariæ suspirabo ad Deum, desiderando, sitiendo, totisque medullis amando Deum & propter Deum, quia nil aliud quærendo a Deo, nisi votorum meorum metam, ipsum Deum. Si vero Deus mihi intercluderet turbulentas pro amplianda sua gloria vias, meque abstractum a suis etiam curis, introduceret in tabernaculum suum, in cubile suum, in cellaria sua, osculares dilectum meum, ac fruerer cupitis amplexibus, in sancto silentio. Verum, an hoc modo, an illo modo, quando, ac quamdiu, terendæ pauculæ sint horæ hujus vitæ, consulendum est supremæ voluntatis omnia gubernantis oraculum; nulla enim est perfectio, quam non voluit, & juxta leges sapientiæ cuivis ordinavit, perfectionis norma, Deus.

Ob. II. S. Thomas 1. *part. quæst.* 60. *art.* 5. dicit, quod angeli dilectione naturali plus ament Deum, quam seipsos, idque sic explicat, quod si alterutrum foret necessarium, potius vellent destructionem suiipsorum, quam destructionem Dei; eo quod appetitus rationalis potius velit majus bonum, quam minus bonum; cum ergo existentia Dei sit majus bonum, quam existentia angelorum, deberent potius velle existentiam Dei, quam suam propriam.

Respondeo dist. dicit S. Thomas, quod angeli magis velint existentiam Dei, quam suam, amore ac desiderio conditionato. *Conc.* absoluto *neg.* Angeli vellent potius existere Deum, quam seipsos, si ita foret necessarium, & si Deus ita requireret; non vero id volunt absolute, cum id defacto nec sit necessarium, nec id Deus requirat. Cæterum non nego, possibiles ac etiam laudabiles esse tales affectus conditionatos, sed hoc nego, possibilem esse affectum taliter absolutum; idque insuper nego, in talibus affectibus conditionatis consistere summam perfectionis Christianæ, aut eos esse præceptos. Possumus enim meritorie habere multa desideria conditionata, v. g. si haberem centum linguas, omnes consecrarem laudi divinæ; si essem in India, & pro fide subeundæ essent centum mortes, ac mille pœnarum genera, perferrem libenter omnia; non vero propterea obligamur ad concipienda talia desideria conditionata, quia non obligamur ad cogitandum de infinitis possibilibus conditionibus, in quarum eventu haud dubie obligaremur ad varios actus, ad quos defacto non obligamur. Sic & defacto Deus seipsum pro summo nostro bono proposuit, vultque ut illud appetamus, ac præferamus bonis cæteris omnibus; sed qualem tunc voluntatem habere deberemus, si Deus non esset nostrum summum bonum, non tenemur cogitare; adeoque nec tenemur habere desiderium conditionatum, potius volendi propriam destructionem ac damnationem, quam destructionem aut injuriam Dei. Ad talia desideria conditionata etiam referendus est forte affectus D. Pauli, quo cupiebat esse anathema a Christo, si ita posset magis augeri gloria Dei salvatione Judæorum; aut etiam affectus Moysis, quo cupiebat deleri ex li-

libro vitæ ſi poſſet glorificari magis Deus reductione populi electi ad veniam; & ſi qui ſunt alii ſimiles Sanctorum affectus. Oſtendunt enim promptitudinem animi ad ea vota, quæ decerent in alia hypotheſi impoſſibili.

CAPUT IX.

Regulæ amoris divini practici.

Regula I.

QUI Deum diligit, miſſa ſollicitudine ac cogitatione objectorum inanium, in hoc unice ſtudium ſuum ponit, ut perpetuo inquirat, atque in omnibus actionibus præ oculis habeat beneplacitum Dei. Baſilius *in Regulis fuſius diſputatis Interrog.* 5. ſic habet:

„ De cohibenda mentis ad futiles cogitationes evagatione. Cæterum illud „ noſſe convenit, nos cum nullius alterius mandati cujuſquam, tum ne charitatis quidem ipſius erga Deum ac „ proximum obſervationem poſſe præſtare, ſi huc illucque mentem paſſi „ fuerimus aberrare. Neque enim artem ullam, ſcientiamque quiſquam „ exacte diſcere poterit, qui ea relicta „ identidem modo ad hanc, modo id „ illam tranſeat: quin ne unam quidem quis conſequi poteſt, qui, quæ „ ad illius finem accommoda officia ſint „ ea perſpecta non habeat. Conſentanea enim fini officia & actiones in „ omni arte eſſe debent: natura non „ fert, ut quod ſe effecturam ars fabrilis ferraria pollicetur, id per figulinæ artis opificium conſequamur: nec „ item ad coronam decertanti athletæ „ propoſitam aliquando pertigeris, qualicunque ſtudio te addixeris arti tibia „ canendi, cum ad ſingulos ſingularum „ artium fines obtinendos peculiaris unicuique illarum accommodata induſtria „ requiratur. Quocirca ipſa etiam, quæ „ ex Evangelio eſt, pietatis cultura, „ ſtudiumque ineundæ apud Deum gratiæ, in eo tota poſita ſunt, ut quis „ animum ſuum ab omnibus prorſus „ mundi hujus ſollicitudinibus avocet, „ ſeque funditus a quavis re, unde animo menteque diſtrahi poſſit, abducat. Quapropter & Dominus diſcipulis ſuis, ubi ſinceram illam & ab „ omni diſtractionis intemperie expurgatam affectionem fuerant adepti, aſſeverans dicebat: vos de hoc mundo „ non eſtis. Idem iiſdem diſcipulis teſtificabatur, fieri non poſſe, ut Dei „ cognitionem mundus perciperet, aut „ Spiritum ſanctum acciperet. Pater enim juſte, inquit, mundus te non „ cognovit. Et: ſpiritus veritatis, quem „ mundus non poteſt accipere. Animadvertimus, itaque, neceſſe eſſe, „ ut, qui Deum vere ſit ſecuturus, is „ a vinculis affectionum vitæ hujus ſolutus ſit; id quod multo negotio aſſequimur, ſi & a ſuperioris vitæ conſuetudine nos penitus abducimus, „ eamque oblivioni funditus mandamus; „ quandoquidem niſi ab ea nos, quæ „ ex ſanguinis neceſſitudine nobiſcum „ intercedit, conjunctione alienaverimus, & a familiari congreſſu ſæcularium, ac mentis habitu in alium „ veluti mundum commigraverimus, „ conſentaneum in modum verbis Apoſtoli; noſtra autem converſatio in cœlis eſt, nullo modo ſcopum animi „ attingemus, Deo videlicet ut placeamus, cum expreſſe Dominus dixerit: „ niſi quis renuntiat omnibus, quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Hæc autem ubi præſtiterimus, „ omni cuſtodia cuſtodiendum erit cor „ noſtrum, neque patiendum, ut aſſidua de Deo cogitatio ex animis noſtris elabatur, neve eorum, quæ mirabiliter ab eo facta ſunt, memoria „ contaminetur per futiles & evanidas „ cogitationes. Econtra illud agendum „ eſt aſſidue, ut ex perpetua ac puriſſima recordatione impreſſam in animis noſtris piam de Deo cogitationem veluti indelebile aliquod ſignum „ circumferamus. Siquidem hæc eſt ratio, per quam erga Deum charitas „ acquiri conſuevit, quæ ſimul tum ad „ conficienda ipſa Dei mandata nos excitet, tum viciſſim ab iiſdem ipſa

„ ad

„ ad perpetuiratem ſtabilis conſervetur. „ Quod ita eſſe docet Dominus, dicens: ſi diligitis me, mandata mea ſervate. Et alibi. Si præcepta mea ſervaveritis, manebitis in dilectione mea. Et quod efficacius poſſit commovere. Sicut ego mandata patris mei ſervavi, & maneo in ejus dilectione. Quibus ſane verbis illud nos docet, debere nos, quodcunque opus faciendum inſtituerimus, ejus voluntatem, a quo nobis illud imperatum ſit, veluti finem quendam nobis proponere, ad eamque omne ſtudium noſtrum dirigere, quemadmodum alio in loco ipſe etiam dicit: deſcendi de cœlo non ut faciam voluntatem meam, ſed voluntatem ejus, qui miſit me patris. Ut enim artes hæ, quæ ſunt ad parandum viaticum neceſſariæ, ubi fines ſibi quoſdam ſuos propoſuerint, convenientia ad eos fines obtinendos officia, peculiareſque actiones accommodant, ſic cum omnium operum noſtrorum una ſit regula ac norma, videlicet ut Dei juſſis ex voluntate Dei pareamus, fieri non poteſt, ut opus noſtrum aliter perfecte efficiamus, niſi quamdiu illud in manibus nobis eſt, aſſidue voluntatem ejus, qui ſanxit legem, ſpectemus. Porro ex hac ſedula operis noſtri effectione ad voluntatem Dei accommodanda illud conſequetur, quod ex recordatione illa cum Deo conjungemur. Ut enim faber ferrarius, quandocunque dolabram aliquam vel aſciam cudit, aſſidue illius memor eſt, qui inſtrumentum ſibi confici juſſit, & præſcriptam ſibi ab illo formam ac magnitudinem animo verſat, & ad ejus voluntatem opus dirigit; alioquin ſi ejus memoriam menti patiatur excidere, longe aliud quidpiam, aut omnino diſſimile efficiet ab eo, quod facere inſtituerat; ſic Chriſtianus quoque, ſi actiones ſuas omnes, ſive minores, ſive majores ad Dei voluntatem direxerit, egregie opus illud perficit, & ſimul aſſiduam illius in animo ſibi memoriam conſervat, a quo id juſſus eſt facere: vereque illud dicere poterit: Providebam Dominum in conſpectu meo ſemper. Quod ſi quis in eo, dum opus adminiſtrat, a perfecta illa præſcripti mandati norma deſciſcat, hunc perſpicuum eſt, debilem Dei memoriam retinere. Quapropter omnia tanquam in oculis ejus & agere debemus & cogitare. Hac enim ratione & perpetuus in nobis timor permanebit, odio habens iniquitatem; & charitas conflabitur cumulate efficiens illud quod dictum eſt: non quæro voluntatem meam, ſed voluntatem ejus, qui miſit me patris; cum hæc firmiſſime in animis noſtris hæreat perſuaſio, quæ recte gerantur, judici & remuneratori actionum noſtrarum placere; quæ contra flagitioſe, condemnari. Ex quo illud neceſſario exiſtimo ſequi, ut qui ita ſit animatus, ne mandata quidem Domini ad gratiam hominum exequi poſſit. Neque enim quiſquam eſt, qui, ubi præſtantiorem aliquem ſibi adeſſe ſenſit, eo ſpreto ſe ad minus præſtantem convertat. Quin potius, ſi aliquando inciderit, ut ea, quæ facit, clarioris illius opinione ac judicio approbentur, ab altero autem reprehendenda videantur, haud dubie ille ſpreta inferioris vituperatione clarioris illius approbationem antiquiorem habebit. Quod ſi hoc in hominibus contingit, quid tandem putandum ſit, animum, qui modo ſanus ſit ac ſobrius, omiſſis iis, quæ placere intelligat Deo, ſi vere adeſſe ſibi Deum perſuaſerit, converſum iri ad aucupandam ab hominibus exiſtimationem? hoc modo affecta erat mens illius, qui dixit: Narraverunt mihi iniqui fabulationes, ſed non ut lex tua Domine.

Hæc D. Baſilii Doctrina, quamvis aliqua parte ſpecialiter dirigatur ad religioſos, quos nulla vitæ ſocialis neceſſitas excuſat, ſi diffundant mentem ad temporalia ac vana, dirigitur tamen ad omnes Chriſtianos, inquantum permittit,

tit eos a vanis abſtrahi vitæ civilis neceſſitas. Sic *Chriſtianus*, inquit D. Baſilius, non tantum *religioſus*, actiones ſuas dirigat.

Regula II.

AMor *Dei ſemper habet conjunctum vehementem zelum in corrigendis, ac prohibendis peccatis, aut ſi aliter corrigi non poſſint, etiam efficaciter puniendis.* S. Ephræm *de Heli Sacerdote* ſic habet. Interrogatio. „ Cum ſcriptura „ de Heli Sacerdote atteſtetur, quod „ filii ejus maledicebant Deo, ipſeque „ non corripuerit eos; quomodo ergo „ reperitur, ab eo eoſdem admonitos „ fuiſſe, atque correptos?

„ Reſponſio. Heli non probavit quidem filios hoc facientes, attamen potuiſſet facile reprimere malum, quemadmodum ex conſequente ſermone clarum eſt, imo quam arbitratus eſt admonitionem, non eſt admonitio, ſed ſocordia, & negligentia ejus in Deum amoris, eo quod nimiæ indulgentiæ conniventiæque terminis contineretur ipſius Heli modus. Sed & hoc diſpenſationis fuit, ut proprio ipſius teſtatum ſit ore de filiorum iniquitate, ſicut ſcriptum eſt: Et erat Heli ſenex valde, & audiebat, quæ faciebant filii ſui filiis Iſrael, & dixit eis: Quare facitis ſecundum verbum hoc, quod ego audio ex ore omnis populi Domini? nolite, filii, nolite facere ſic; non enim eſt bona fama, quam ego audio de vobis, ut prohibeatis populum cultum præbere Deo. Oportet igitur ex ipſius patris teſtimonio colligere ſummam illorum hominum impietatem. Dicebat autem: *Ne feceritis ſic*, forte populi impetum veritus ita locutus, ut ſcilicet animos eorum, qui filiis reclamabant, emolliret atque placaret. Si enim ipſi divinus cultus cordi fuiſſet, nullo ſane modo tantum a filiis damnum, ſceluſque ſuſtinuiſſet, quin potius illud e veſtigio propria e domo arcere contendiſſet. Et ſive obedientes acceperet legitime, ſive inobedientes juxta legis traditionem penitus de medio ſuſtuliſſet, cum & ſacerdos eſſet, & judex, & omnis populus ab ipſius ore penderet; omnino enim ſe ab ira Dei liberaſſet. Verum detentus filiorum illecebris jure eſt iracundiam, quam in illos Deus oſtendit, expertus. Merito ergo de ipſo aſſerit ſcriptura, quod cum filii ejus maledicerent Deo, non corripuerit eos, non enim divino tangebatur zelo, ſicut ſancti illi patres; filiorum enim indulgentiam rebus præſtantioribus antepoſuit. Habuit & Divus Paulus in ſe viſcera miſericordiæ, benignitatem & longanimitatem; at ubi audivit quempiam externum peccaſſe, non toleravit, neque reticuit, ſed ſtatim talem hominem commiſit tradi in interitum carnis, ut ſpiritus ſalvus fieret in die Domini Jeſu Chriſti. Quin & D. Petrus vita quoque indignos eos judicabat, qui Spiritum Sanctum tentare conabantur, contemptum in Deum non ferens. Et filii Iſrael propriis manibus ſuos filios jugulabant, ubi a vero Deo ad dæmonum obſequium abſceſſerunt; hic vero ſacerdos cum eſſet, poſſetque coercere, pro nihilo hanc tantam eorum iniquitatem duxit, nullamque eis, qua refrænarentur, diſciplinam dedit, non alapam, non verba duriora.

Regula III.

AMor *Dei agit, quæ Deo placet.* S. Chryſoſtomus *in Epiſt. ad Philip. cap. 2. homil. 8.* ad illud: *Deus operatur in nobis velle & operari pro bona voluntate;* „ id eſt, propter charitatem, „ ut Deo placeatis, ut quæ illi probantur, quæque illius voluntati conſentanea ſunt, fiant. Vult enim noſtram „ nos ad illius voluntatem aggregare, „ atque ita ut vult agere.

Regula IV.

Amor Dei debet esse fervidus in functionibus sacris, nec consistit cum tepore aut negligentia. S. Ambrosius *in Psalmum* 118. *octon.* 2. *ad versum. In toto corde meo exquisivi te, ne repellas me a mandatis tuis.* „ Si Deus repellit unumquemque, quem repellendum „ putat, videamus, ne ei excusationem „ tribuat, qui, cum sequi Deum ve„ lit, repulsus sit. Deus non repellit „ sequentem, nisi mereatur repelli; si„ cut Dominus ait: omni habenti da„ bitur, ab eo autem, qui non habet, „ & quod videtur habere, auferetur ab „ eo, videlicet, si non toto corde ex„ quirit Deum, ut quod deest naturæ, „ Dei operatione consequatur. Sicut Sa„ lomon ex toto corde exquirens Deum „ sapientiam postulavit, & repletus est „ spiritu Dei. Qui autem non habet, „ ut in corde suo exquirat Deum, & „ facit quidem opus Dei, sed negligen„ ter facit, maledicto est subjectus, si„ cut legimus: Quia maledictus omnis, „ qui opus Dei facit negligenter. Me„ rito ergo repellitur, quia polluit ma„ gis & impedit opus, quod putaverit „ negligenter exequendum. Imaginem „ hujus rei sumamus ex aliis artibus. „ Curat medicus, sed negligenter cu„ rat. Nonne clementior est, qui re„ pellit nihil proficientem, quam qui „ retinet ad discrimen ægroti? consti„ tue aliquem præpositum ædificantibus, „ utrum is tibi probabilior videtur, qui „ repellat eum, quem forte incurium „ adverterit? similiter & textrini præ„ positum repulsorem negligentium, ut „ substituat diligentes, non magis pro„ babis, quam illum, qui desides in „ sua negligentia perseverare patiatur? „ transi nunc ad eos, qui mandata ædi„ ficant, & legem intexunt, & ani„ mam uniuscujusque receperunt sanan„ dam. Nonne siquis eorum ædificat „ domum Dei cum justitia, texit in„ dumentum cum diligentia, sanat ani„ mam cum gratia, bonum opus facit? „ si vero incurius ad remissus aliquis fa„ bri, textoris, medici, spiritalis lo„ cum occupet, ut sacerdos summus, „ ut presbiter, ut minister altaris sacri, „ nonne commodius est, non subire id „ muneris, quam non strenue fungi su„ scepto munere; & eripere locum al„ teri, qui naviter eum possit tueri. „ Quid quod etiam ipsi consulitur, qui „ cum remissior sit repellitur, ne plus „ offensionis contrahat. Quid sit autem „ repelli, consideremus: lectum est e„ nim: sicut vulnerati dormientes pro„ jecti in sepulchris, quorum non me„ ministi amplius, & ipsi de manu tua „ repulsi sunt. Advertamus quos vulne„ ratos & projectos in sepulchris repel„ lit, quorum non est memor amplius? „ angelo Laodiciæ dicitur: scio opera „ tua, quia neque frigidus es, neque „ calidus. Utinam frigidus esses vel ca„ lidus, sed quia tepidus es, incipiam „ te emovere ex ore meo. Aperte ne„ gligentiam graviori damnat judicio, „ quam imprudentiam. Frigidus enim „ est, qui fidem nescit. Calidus est, „ qui Spiritus sancti fervore succensus „ est; qui enim calorem fidei non ha„ bet, tolerabilius illi fuerat, fidem „ non accepisse, quam neglexisse. Est „ enim tepidus pejor frigido.

Regula V.

Amor Dei non delectatur vanis spectaculis. S. Ambrosius *in Psalm.* 118. ad versum: *Oculi mei defecerunt in salutare tuum.* „ In eo enim quem di„ ligimus, totis oculis occupamur, nec „ quidquam aliud videre delectat. Non „ potest hoc dicere, nisi qui a munda„ nis sollicitudinibus & sæcularibus vo„ luptatibus intentionem omnem suæ „ mentis avertit. Nam quomodo hoc „ dicit, qui theatralibus ludis occupan„ tur? sed ille hoc dicit, qui supra di„ xit: averte oculos meos, ne videant „ vanitatem.

Re-

Regula VI.

AMor Dei *ſemper habet vehementem zelum divini honoris*. S. Ambroſius *in Pſalm.* 118. *octon.* 17. ad illum verſum. *Tabeſcere me fecit zelus meus, quoniam obliti ſunt verba tua inimici mei*. „ Eſt zelus ad vitam, & eſt zelus ad „ mortem. Ad vitam zelus eſt, divina „ præcepta ſervare & amore Domini „ ejus cuſtodire mandata, ut fecit Phi„ nees, de quo legimus in Numeris di„ cente Domino ad Moyſen: Phinees „ ſedavit furorem meum a filiis Iſrael, „ in eo quod æmulatus eſt zelum meum „ in illis, & non conſummavi filios Iſ„ rael in zelo meo. Ecce ego do ei te„ ſtamentum pacis, & erit illi, & ſe„ mini ejus poſt eum teſtamentum ſa„ cerdotii æterni, propterea, quia æ„ mulatus eſt Deum ſuum, & exoravit „ pro filiis Iſrael. Phinees duos occi„ dit, redemit omnes. Quam ſalutaris „ igitur eſt zelus? veni & nunc, o Phi„ nees, arripe gladium verbi, interfice „ perfidiam, jugulato hæreſin, ne pro„ pter eam univerſus populus intereat. „ Urget ira cœleſtis, percute ipſam vul„ vam impietatis, generatoriumque per„ fidiæ, ne partus formetur infelix, ne „ adulterina conceptio diffundat ſemi„ narium prævaricationis, & ſceleris, „ ut Dominus tecum ſtatuat teſtamen„ tum pacis, & teſtamentum gratiæ, „ teſtamentum promiſſionum cœleſtium. „ Zelum habere debet ſacerdos, qui in„ corruptam ſervare ſtudet Eccleſiæ ca„ ſtitatem, & ideo princeps ſacerdotum „ dicit: zelus domus tuæ devoravit me; „ & Phinees ſacerdos erat, & nepos ſa„ cerdotis, & filius ſacerdotis. Bonus „ zelus & utilis in ſacerdote, præcipue „ ne negligens & remiſſus ſit. Melius „ eſt, ut duorum aut unius damnatione „ plurimi liberentur, quam duorum ab„ ſolutione plures periclitentur. *Tabeſcere me fecit zelus meus* (Ambroſius legit, *exquiſivit me zelus domus tuæ*) „ Vides „ quia zelus Dei gratia eſt, qui exqui„ rit, qui ſupervenit, qui ſe juſti in„ fundit pectori: zelus Dei vita eſt. „ Denique Dominus ait: zelus domus „ tuæ devoravit me. Zelum habuit E„ lias, & ideo raptus ad cœlum eſt. „ Zelans, inquit, zelavi Dominum. „ Zelum habuit Mathathias, qui adver„ ſus ſacrilegia Antiochi excitavit Dei „ plebem. Zelum qui habent, omnes „ ſibi inimicos ſuos putant, qui ſunt „ hoſtes Dei, quamvis patrem, fratres, „ ſorores; omnibus dicit: *In hoſtes fa„ cti ſunt mihi*, ſicut David ait Pſ. 138. „ Quid multa? apoſtolus quoque Do„ mini hoc declaratus eſt nomine, ut „ Simon zelotes diceretur, ſicut legi„ mus in Evangelio: zelus ergo chari„ tas eſt. Valida eſt ſicut mors chari„ tas, durus ſicut inferi zelus, durus „ zelus, quem vitæ hujus nulla vincit „ illecebra: durus ſicut inferi, per „ quem peccato morimur, ut vivamus „ Deo. Angeli quoque ſine zelo nihil „ ſunt, & ſubſtantiæ ſuæ amittant præ„ rogativam, niſi eam zeli ardore ſu„ ſtentent. Denique in Apocalypſi Do„ minus ad Angelum Laodiciæ ait: „ ſcio opera tua, quod neque frigidus „ es, neque calidus; utinam frigidus „ eſſes, aut calidus, ſed quia tepidus „ es, incipiam te evomere ex ore meo; „ quia dicis; dives ſum, & ditatus, „ & nullius egeo, & neſcis, quod tu „ es miſer, & miſerabilis & mendicus, „ & nudus & cœcus; conſulo tibi, ut „ a me emas aurum igne probatum, „ hic eſt Dei zelus, fidei vapor, devo„ tionis fervor, qui nos velut ſuavem „ cibum in Chriſto emollit, & format. „ Et quid miremur, ſi Angeli eum ha„ bent? ipſe Deus pater ait: Zelans ze„ labo Jeruſalem zelo magno, quia Deus „ magnus eſt; ideo & zelus ejus ma„ gnus eſt, & pro uniuſcujuſque poten„ tiæ qualitate ita & zelus aut media„ cris aut magnus eſt. Zelo vindicatur „ Jeruſalem, zelo Eccleſia congregatur, „ zelo fides acquiritur, zelo pudicitia „ poſſidetur.

Re-

Regula VII.

AMor Dei non quærit amplius, solum quid præceptum sit, sed quid gratum sit amico. S. Chrysost. *in* 1. *Epist. ad Timoth. cap.* 1. *homil.* 2. ad illud: *finis autem præcepti est charitas ex corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta ait.* „ Quemadmodum Paulus ad „ Rom. 10. dixit, finis legis Christus „ est, hoc est impletio, ita & hic de „ charitate dicitur. Medicinæ nempe „ finis sanitas est; itaque cum adest sa„ nitas, curatione multa nihil opus est. „ Pari modo si adsit charitas, præceptis „ non est opus. Charitatem vero quam „ dicit? sinceram, & quæ non verbis „ tantum, sed quæ ex sententia, & in„ timo cordis affectu proveniat.

Regula VIII.

AMor Dei saltem talis esse debet, qualis erga amicum solet in rebus humanis. S. Chrysostomus *in* 2. *Epist. ad Timoth. cap.* 1. *hom.* 3. ad illud. *Superabundavit gratia cum fide & charitate, quæ est in Christo Jesu.* „ Diligamus i„ gitur Christum. Habet quispiam ami„ cum, quem ardenti amplectatur affe„ ctu; vel sic saltem Christum diligat; „ vel sic diligat eum, qui pro inimicis „ suum tradidit filium, cum nulla me„ ritorum nostrorum indicia præcessissent, „ & quid dicam meritorum? imo cum „ per innumera scelera corruissemus, & „ per nefaria quælibet temeritate illici„ ta diffluxissemus, post innumera be„ neficia, post ingentem dispositionis „ suæ providentiam eatenus ingratos, „ ne sic quidem abjecit, aut repulit; „ verum tum maxime filium suum tra„ didit, cum majora nostra fervebant „ scelera. Nos autem cum tam ingen„ tibus beneficiis fruituri essemus, post„ quam ad amicorum evasimus dignita„ tem, postquam bonis omnibus per ip„ sum repleti sumus, ipsum ne ut a„ micum quidem diligemus? & quæ sic „ nobis erit salutis spes? fortassis ad hæc „ verba exhorrescitis? sed utinam rem „ potius exhorrescatis. Et quonam, in„ quies, modo Christum ne quidem ut „ amicos diligimus? ego tibi conabor „ ostendere, & cupio quidem atque oro, „ ut, quæ dixero, deliramenta potius „ sint, quam veritas. Sed vereor pla„ ne, ne verbis ipsis consentiant res, „ pro his qui revera amici sunt, p uri„ mi sæpenumero damna perpeti elege„ runt: pro Christo autem ne dixerim „ sustinere detrimenta, verum præsen„ tibus contenti esse bonis vix pauci „ tolerant, pro amico sæpius contume„ lias & inimicitias suscipimus; Christi „ vero gratia nullus inimicitias suscipit. „ Amicum fame confectum nunquam „ omnino despicimus: Christum vero „ quotidie venientem ad nos neque pa„ ne dignamur, idque cum crapula di„ stenti ructemus, ventrique omnino in„ serviamus, & hesternum spiremus vi„ num, atque delitiis solvamur, pluri„ mique ex nobis meretricibus largia„ mur, alii parasitis, assentatoribus a„ lii, alii item & monstris, & fatuis, „ & nanis; quippe & hi defectus na„ turæ sunt, quibus pro delectatione uti„ mur. Amicis, qui vere amici sunt, „ nunquam invidemus, nunquam illo„ rum felicitate mordemur: at in Chri„ sto hoc patimur, plusque amicitiam „ valere, qui diligenter inspiciat, ani„ madvertet, quam timorem Dei; nam„ que simulator & fascinator, & invi„ dus homines plus quam Deum reve„ retur. Quo pacto? jam dicam; quod „ scilicet, cum Deus inspiciat cor, „ fraudes concinnare non desinit; sin „ vero hominem se intueri perviderit, „ pallet, erubescit, atque confunditur. „ Rursus ad amicum, cum aliqua afflic„ tione vexatur, solliciti pergimus; at „ si modicum distulerimus, reprehensio„ nem expavescimus: at vero, cum „ Christus sæpe in carcere in suis mem„ bris moriatur, eum ne visitamus qui„ dem. Ad amicos autem fideles, non „ ideo quod fideles sunt, proficiscimur. „ Vides, ut nihil Dei metu, nihilque „ ipsius amore perpetretur a nobis, sed

„ omnia

„ omnia partim amicitia, partim conſuetudine facimus. Amicum cum peregre proficiſci cernimus, lugemus, ingemiſcimus, illachrimamur, & ſi mortuum videre contigerit, plangimus. At cum Chriſtus quotidie ſeparetur a nobis, imo cum ipſum diebus ſingulis a noſtro arceamus ingreſſu, neque dolemus, neque aliquid acerbum nos pati arbitramur. Cæterum cum illum afficiamus injuriis, cum eum contriſtemus jugiter, atque irritemus, & contra quam ille juſſerit, faciamus omnia, neque ingemiſcimus, ſed inſenſibiles non ſecus ac lapides permaneamus. Ne id quidem horroris ſatis eſt, ſi eo non ſaltem ut amico utimur. Ego enim oſtendam nos illo uti velut inimico, quomodo, inquies? *prudentia*, inquit, carnis inimica eſt Dei. Atqui hanc circumferimus ſemper; illum fugamus, ſi nobis velit accurrere, atque ex januis arcemus noſtris; authores ipſi ſumus, ut quotidie contumeliis exagitetur avaritiæ noſtræ, rapinæque cauſa. Laudatur quiſpiam virtute probatus, quæ ad ſanam Doctrinam pertinent, loquens, & Eccleſiam verbo prædicationis ædificans; nos huic protinus invidemus, quia quæ Dei ſunt, gerit. Videmurque invidere illi quidem; verum livor ipſe noſter tranſit in Dominum majeſtatis, dum ædificationem illam non per alios, ſed per nos fieri volumus, non propter Chriſtum, ſed noſtri gratia. Nam ſi Chriſti urgeret affectus, ſive id per nos, ſive per alios fieret, nihil moveremur. Nempe iſta omnia ex gloriæ vanitate procedunt. Nonne hæc inimicorum atque hoſtium ſunt? deferamus hæc, ut eis perfruamur bonis, quibus frui amicos decet.

Regula IX.

AMor Dei tam activus eſſe debet, *quam eſt amor pecuniarum*. S. Chryſoſtomus *in* 2. *Epiſt. ad Timoth. cap.* 1. *hom.* 7. An non iſtos miſerebimur, atque lachrimis proſequemur, qui ſemper eſuriunt, ſemperque ſitiunt? coporibus humanis acerrima hæc lues eſt, cum quis ciborum nimietate diſtentus, ne ſi quidem a fame liberatur: hujuſmodi avaritia eſt, quæ quantumlibet immittas, nunquam prorſus impletur, ſed ſemper cupiditati vaſtior laxatur ſinus; nulla pecuniarum multitudo inexplebilem uterum implere poteſt. Non pudet, cum plerique adeo circa opes inſaniant, nos in Deum ne minimam quidem partem hujuſce dilectionis oſtendere, Deumque apud nos viliorem eſſe pecuniis? auri namque gratia & vigilias, & peregrinationes, & altera pericula, & odia atque inſidias, & omnia denique tolerant homines; nos pro Deo ne verbum quidem nec tenue perferre volumus, odiaque ſubire. Cæterum ſi cui oppreſſo opem ferre opus ſit, potentium inimicitias vitamus, atque pericula, prodimuſque miſerum; cumque vim opitulandi acceperimus, ipſam prorſus amittimus, dum odia & inimicitias perferre nolumus. At id continuo objiciunt plurimi; fruſtra odium quærere conſilii non fuerit. Fruſtrane id quæſo facis? & quid hoc præſtantius odio? quippe amicitiam ex Deo fœderatam longe antecellit ipſius gratia ſuſceptum odium. Nam ſi propter Deum diligamur, honoris impenſi debitores illi ſumus; ſin vero ejus cauſa odio habemur, debitor ipſe fit nobis. Quantumlibet nempe aurum diligant avari, nullum ejus dilectionis recipiunt modum: nos ſiquid parum egerimus, omnia perfeciſſe arbitramur. Non ita nos Deum, ut illi aurum, diligimus, ne minima quidem ex parte. Multum illi reprehenſioni patent, quod circa aurum ita vehementer inſaniunt: nos culpa vacabimus, qui in Deum non eundem fervorem charitatis oſtendimus? non quantum illi terræ (quippe aurum terra effoſſa eſt) tantum nos omnium Domino honoris impendimus. Erubeſcamus ſane, dum illorum intuemur inſaniam. Quid enim

„ est, si nos auri non rapiat amor, ne-
„ que tamen omni studio ambiamus
„ Deum ? hi etenim homines uxorem
„ ac liberos, & omne patrimonium,
„ postremo salutem ipsam contemnunt,
„ idque cum nec sciant, an incremen-
„ ta percepturæ sint illorum opes : sæ-
„ pe namque inter medias spes animam
„ ipsam posuerunt, frustraque labora sse
„ deprehensi sunt. Nos, cum noverimus
„ eo nos potituros, quem amamus, si-
„ quidem illum ut oportet dilexerimus,
„ ne sic quidem ad amorem exardesci-
„ mus ; atque ideo utraque in nobis
„ charitas plane refrixit, proximi scili-
„ cet ac Dei ; dum enim a proximi di-
„ lectione frigescimus, ad hoc sensim
„ pertingimus, ut divinæ etiam dile-
„ ctionis in nobis fervor extinguatur.
„ Neque enim fieri potest, ut qui ama-
„ re nescit, quidquam illustre concipiat
„ animo, virileque propositum animo
„ gerat, neque enim omnia superexce-
„ dens charitas quidquam aliud quam
„ amicitia est. *In hoc* inquit, *lex pendet,*
„ *& prophetæ*. Sicut enim ignis ubi syl-
„ vam occupaverit, omnia purgare con-
„ suevit, ita & charitatis fervor, quo-
„ cunque inciderit, omnia perimit at-
„ que perrumpit, quæ divinam demo-
„ liuntur segetem, emundatque humum
„ suscipiendis atque fovendis alte semi-
„ nibus. Ubi charitas est, omnia sub-
„ lata sunt mala. Non est ibi avaritia,
„ malorum radix ; nulla ibi elatio est,
„ quid enim adversus amicum se quis-
„ piam extollat ? nihil itaque sic humi-
„ lem facit ut charitas, per quam ser-
„ vorum ministeria amicis impendimus,
„ immo & gratias illis pro hujusmodi
„ servitute referimus ; per hanc pecu-
„ nias large profundimus, corporibus-
„ que ipsis postremo non parcimus, sed
„ sæpe pro amico se quisque periculis
„ exposuit. Nulla denique invidia,
„ nullum crimen locum habet, ubi fue-
„ rit germana dilectio : non modo enim
„ amicis non detrahimus ; verum & si-
„ qui detrahere velint, eis silentium im-
„ ponimus, omnia in charitate sunt le-
„ via, suavia, mitia ; litis aut conten-
„ tionis nullum ibi vestigium cernitur,
„ pacisque plena sunt omnia : *plenitudo*
„ *enim legis est charitas*, Ad Rom. 13.
„ Cuncta nempe scelera, quæ pacem
„ perturbent, ut sunt avaritia, rapina,
„ invidia, accusatio, arrogantia, perju-
„ rium, mendacium, ubi charitas fuerit,
„ solvuntur. Perjurat enim quisque ut
„ rapiat ; quis autem eum, quem dili-
„ git, diripere queat ? contra sua quo-
„ que largitur libens, gratiasque illi
„ magis, quam si ab eo accipiat, re-
„ fert. Nostis ista profecto, quicunque
„ amicos habetis, non solo nomine,
„ sed si quis ita dilexerit, sicut dilige-
„ re oportet. *Si* quis amoris vinculo
„ connexus alicui est, hoc novit ; qui
„ vero experti non sunt, ab his, qui
„ experti sunt, discant.

Hæc ultima Chrysostomi verba pertinent etiam ad amorem Dei, qui sine amore proximi esse non potest.

Regula X.

Amor Dei utilitatem proximi & commune commodum curat. S. Chrysostomus *in cap.* 24. *Matth. homil.* 79.
„ Nulla re alia Deus magis irritatur,
„ quam si proximi commoditatem des-
„ picias ; hac de causa notam qua di-
„ scipuli agnoscerentur, charitatem es-
„ se affirmavit, quoniam diligentem ne-
„ cesse est de dilecti utilitate cogitare.
„ Hanc igitur viam teneamus, quæ nos
„ maxime ad cœlos perducit, quæ Chri-
„ sti faciet imitatores, quæ Deo, quan-
„ tum fieri potest, simillimos constituet.
„ Et certe si maxime vis esse cum Chri-
„ sto, voluntatem ejus facias : voluntas
„ autem ejus illa præcipua est, ut pro-
„ ximo conducere studeas, vis ut tibi
„ hanc sententiam corroberem ? Amas
„ me Petre ? inquit, pasce oves meas.
„ Cum tertio ipsum interrogasset, hoc
„ amoris esse argumentum confirmavit ;
„ quod non ad sacerdotes solum dictum
„ est, verum etiam ad singulos nostrum,
„ quibus vel minimus grex commissus
„ esse videtur ; nec enim quia minimus

„ est,

„ eſt, negligi debet, habet unuſquiſque „ noſtrum ovem; ad pinguia eam paſcua ducat, cumque a lectulo paterfamilias ſe receperit, nihil aliud quærat, quam ut ea faciat atque dicat, quibus incrementa religionis domui univerſæ adjiciat. Mater autem familias domum quidem cuſtodiat; ſed multo magis procuret, quomodo quæ ad cælos pertinent, univerſa familia operetur. Nam ſi in rebus ſæcularibus, antequam domeſtica diſponamus, quæ reipublicæ debent perſolvi, curamus, ne horum vectigalium cauſa in forum pertracti ac cæſi vituperemur, quanto magis in ſpiritualibus oportet, quæ Creatoris Dei & regis omnium ſunt, prius diſponere, ne illo pertrahamur, ubi dentium ſtridor eſt. His perſuaſi, non poſſe ſalutem nos conſequi, niſi commune commodum quæramus, meliorem vitam eligamus.

Regula XI.

AMor Dei omnia perfert pro gloria Dei. S. Chryſoſtomus *in cap. 4. Joan. homil. 34.* „ Qui Deum tantum colit, „ cum res ad vota ſuccedunt, non multa præſefert dilectionis argumenta, neque ſincere Chriſtum amat. Et quid „ ego valetudinem dicam? quid pecuniarum copiam? quid paupertatem? „ quid morbum? & ſi gehennam, ſiquid gravius audieris, non tamen divinæ ſunt nobis laudes remittendæ; „ ſed omnia & facienda, & ferenda „ ejus dilectionis gratia. *Et in cap. 21. homil. 86.* Magna dilectionis vis eſt, „ omnia negligit, & dilecto animum „ colligat. Si ita Chriſtum diligeremus, „ humana omnia umbra, omnia imago, „ omnia nobis ſomnium viderentur. Diceremus & nos. Quis nos ſeparabit „ a charitate Chriſti? tribulatio, an anguſtia? non dixit pecunias, aut divitias, aut formam. Hæc enim viliſſima ſunt & ridicula; ſed quæ gravia „ videntur poſuit, fames, perſecutiones, „ mortes, quæ ille quidem ut nullius „ momenti contempſit, nos autem propter pecunias vitam contemnimus. Et „ Paulus quidem non mortem, non vitam, non præſentia, non futura, non „ aliam creaturam divinæ præponit dilectioni, nos ſi vel parum auri videmus, ejus cupiditate incendimur, & „ divinas leges peſſumdamus. Quod ſi „ hæc dictu ferenda non ſunt, multo „ minus factu.

Regula XII.

AMor Dei pro converſione omnium, etiam totius mundi anxius ac ſollicitus eſt. S. Chryſoſtomus *de S. Philogonio homil. 31.* „ Si quis voluerit Chriſto commendatus eſſe, curam habeat „ ovium illius, publicam quærat utilitatem, fratrum ſuorum ſaluti proſpiciat. Nullum enim officium hoc Deo „ charius eſt. Sic & Paulus dicit: Eſtote imitatores mei, ſicut & ego Chriſti. Quomodo factus es Chriſti imitator? non quærens ſuam utilitatem, „ ſed multorum ut ſalvi fierent. Neque prorſus alia res eſt, quæ perinde „ declaret, doceatque quis ſit fidelis & „ amans Chriſti, quam ſi fratrum curam agat, proque illorum ſalute gerat ſollicitudinem. Hæc omnes audiant, & monachi, qui montium occuparunt cacumina, quique modis „ omnibus ſeipſos mundo crucifixerunt, „ quo pro viribus Eccleſiarum Præfectos „ adjuvent, horumque curas leniant „ precibus, concordia, charitate, ſcientes, quod ni modis omnibus opitulentur iis, qui tot periculis objiciuntur, totque negotiorum curas ſuſtinent, & vitæ primaria occupatio peribit, & tota in ſcopulum impinget ſapientia. Itaque jam manifeſtum eſt, „ hoc eſſe maximum amicitiæ erga Chriſtum argumentum.

Regula XIII.

AMor Dei tolerantior eſſe debet, quam amor Jacobi Patriarchæ erga Rachaelem; aut aliorum erga dilectos ſuos,

debet etiam esse beneficus erga proximos. S. Chrysostomus *in cap. 29. Gen. hom. 55.* „ Si justus ille propter puellæ amorem „ septennium servire, ferreque pastoralium laborum ærumnas decrevit, & „ non sentit vel labores, vel temporis „ longitudinem, sed omnia ei levia & „ facilia videntur, ita ut dies paucos „ longum illud tempus putet, qualem „ nos habebimus excusationem, qui non „ pari studio erga Dominum nostrum, „ & benefactorem, & curatorem, & „ qui nobis sit omnia, afficimur? atqui „ ubi proponitur lucrum temporale, omnia alacriter sustinere volumus, etiamsi quid laboriosum sit, & valde ærumnosum & sordidum, & pœnam in „ præsenti & futuro sæculo præbens; „ propter nostram autem salutem, & ut „ supernum favorem conciliemus, remissi, & supini, & dissoluti videmur, & „ qualis nobis erit venia, qualisve excusatio sic negligentiæ deditis, qui „ neque, quantum beatus ille in puellam declaravit amorem, tantam in „ Deum charitatem habemus, idque „ cum tanta possumus numerare beneficia in nos collata, & quæ quotidie „ collocantur? sed etsi nos tam ingrati; verum non ita Divus Paulus, qui „ tam fervebat, & tam ignitus erat „ charitate in Deum, ut verba illa tanto viro digna loqueretur & clamaret: „ *Quis nos separabit a charitate Dei?* „ vide dictionis emphasin, & latentem „ vim; vide amoris violenti furorem, „ vide charitatem incensam; *Quis nos separabit?* quid, inquit, est, quod „ potest nos a charitate Dei separare? „ quid inter visibilia? quid inter invisibilia? deinde volens & particulatim omnia enumerare, & omnibus „ nobis manifestum facere irrefrænabile „ desiderium, quod erga Dominum possidebat, subdidit: *Num afflictio? an angustia? num fames? num persecutio? num nuditas? num periculum? num gladius?* o animam insania, quæ „ continentiæ mater est, furentem! „ quid, inquit, ex his, quæ nobis inferri possunt, nos avocare a charita- „ te, quæ est in Deum, poterit? afflictiones quotidianæ? minime. Angustiæ? neque illæ. Num persecutiones? neque illæ; sed quid? num fames? num nuditas? num pericula? „ verum quid dico famem & nuditatem, & pericula? num gladius? num „ mors ipsa, si infligatur, hoc poterit „ efficere? impossibile est. Nullus alius „ sic dignatus est diligere Dominum, „ ut beata illa anima. Quasi enim liberatus a corpore & sublimis factus, „ ut sic dicam, & neque super terram „ ambulare se putans, ita loquitur, amor enim in Deum & succensa charitas mentem ejus a sensibilibus ad „ spiritualia transtulit, & a præsentibus ad futura, & a visibilibus ad non „ visibilia. Talis enim res est fides & „ charitas in Deum, & ut discas magnam ejus gratitudinem, vide eum, „ qui sic Dominum dilexit, & in ejus „ charitatem exarsit, fugari, persecutionem pati, flagellari, innumera gravia ferre, & dicere: in laboribus abundantius; in plagis supra modum; „ in mortibus frequenter; a judæis quinquies quadraginta una minus accepi; „ ter virgis cæsus sum; semel lapidatus „ sum; ter naufragium feci; nocte & „ die in profundo maris fui; in itineribus sæpe: periculis fluminum, periculis latronum, periculis in falsis „ fratribus, in labore & ærumna &c. „ & talia patiens gaudebat, & exultabat. Sciebat enim, & argumentis „ multis certus erat, quod labores præsentes maxima sibi præmia conciliarent, & pericula coronas parerent. „ Nam si Jacob propter amorem in Rachaelem quasi pauculos dies septennium putabat; multo magis beatus „ ille omnia nihili faciebat, succensus „ simul amore in Deum, & propter „ Christum dilectum omnia ferens. Studeamus igitur, obsecro, & nos diligere Christum. Nihil enim aliud, inquit, Christus requirit a te, quam „ ut ipsum diligas ex toto corde, & „ facias mandata ejus. Qui enim diligit, ut oportet, Deum; manifestum,

„ quod

„ quod & mandata ejus facere nititur. „ Quando enim quis erga aliquem fraterne afficitur, omnia facere ſtudet, „ ut dilectum attrahere poſſit in amorem ſuum. Et nos quoque, ſi Dominum fraterne dilexerimus, & mandata ejus implere, nihilque eorum, quæ „ exacerbare poterunt dilectum, facere „ ſtudebimus. Hoc fuerit regnum cœlorum, infinitaque bona, ſi germane „ ac amice, & ſicut oportet, eum dilexeris, & propter charitatem in eum, „ & erga conſervos multam declaraveris dilectionem. In his enim duobus „ mandatis univerſa lex pendet & prophetæ; nempe ut diligas Dominum „ Deum tuum ex toto corde tuo, & ex „ tota mente tua, & ex omnibus viribus tuis, & proximum tuum ſicut te „ ipſum. Hæc omnium virtutum ſumma & fundamentum. Simul enim „ cum charitate Dei ingreditur dilectio „ proximi. Nam qui Deum diligit, non deſpiciet fratrem, neque opes pluris, „ quam membrum ejus faciet, ſed magnam præferet benignitatem, memor ejus, qui dixit: qui fecerit aliquid uni horum minimorum, mihi „ fecerit. Et cogitans, quod propter miniſterium in conſervum Deus ipſe „ ſit, qui ſibi vindicet factum, magna „ cum alacritate omnia operabitur, magnumque ſtudium habebit eleemoſynæ, „ non ad vilitatem reſpiciens pauperis, „ qui apparet, ſed ad magnitudinem „ ejus, qui promiſit ſe habiturum perinde, ac ſi ſibi factum eſſet, quæcunque illi facta ſunt.

Regula XIV.

AMor *Dei ſervat ordinem dilectionis, omnia reducendo ad Deum.* S. Auguſt. *l.* 1. *de Doctr. Chriſt. cap.* 26. 27. 28. 29. „ Quoniam præcepto non eſt opus, ut ſe quiſque & corpus ſuum diligat, reſtabat, ut de illo, quod ſupra „ nos eſt, & de illo, quod juxta nos eſt, „ præcepta ſumeremus. Diliges, inquit, „ Dominum Deum tuum ex toto corde „ tuo, & ex tota anima tua, & ex tota „ mente tua, & diliges proximum tuum „ tanquam te ipſum. Nullum rerum diligendarum in his duobus præceptis prætermiſſum eſt; cum enim præcurrat dilectio Dei, ejuſque dilectionis modus „ præſcriptus appareat, ita ut cætera in „ illum confluant, de dilectione tua nihil dictum videtur, ſed cum dictum ſit; „ diliges proximum tuum tanquam te ipſum; ſimul & tui abs te dilectio non „ prætermiſſa eſt. Ille autem juſte & ſancte vivit, qui rerum integer æſtimator „ eſt: ipſe eſt autem, qui ordinatam dilectionem habet; ne aut diligat, quod „ non eſt diligendum, aut non diligat, „ quod eſt diligendum; aut amplius diligat, quod minus eſt diligendum; aut „ æque diligat, quod vel minus vel amplius diligendum eſt, aut minus vel amplius, quod æque diligendum eſt. Omnis peccator inquantum peccator, „ non eſt diligendus. Et omnis homo inquantum homo eſt, diligendus eſt propter Deum, Deus vero propter ſeipſum. Et ſi Deus omni homine amplius „ diligendus eſt, amplius quiſque debet „ diligere Deum, quam ſeipſum. Item „ amplius alius homo diligendus, quam „ corpus noſtrum, quia propter Deum omnia iſta diligenda ſunt, & poteſt nobiſcum alius homo Deo perfrui, quod „ non poteſt corpus, quia corpus per animam vivit, qua fruimur Deo. Omnes autem homines æque diligendi ſunt; „ ſed cum omnibus prodeſſe non poſſis, „ his potiſſimum conſulendum eſt, qui „ pro locorum & temporum vel quarumlibet rerum opportunitatibus contractius „ tibi quaſi quadam ſorte junguntur; ſicut enim, ſi tibi abundaret aliquid, quod „ dare oporteret ei, qui non haberet; „ nec duobus dari poſſet, ſi tibi occurrerent duo, quorum neuter alium vel indigentia vel erga te aliqua neceſſitudine ſuperaret, nihil juſtius faceres, quam „ ut ſorte eligeres, cui dandum eſſet, „ quod dari utrique non poſſet: ſic in „ hominibus, quibus omnibus conſulere „ nequeas, pro ſorte habendum eſt, prout quiſque tibi obligatius temporaliter „ adhærere potuerit. Omnium autem,

„ qui nobiscum frui possunt Deo, partim „ eos diligamus, quos ipsi adjuvamus, „ partim eos, a quibus adjuvamur; partim „ eos, quorum & indigemus adjutorio, & indigentiæ subvenimus; partim „ quibus nec ipsi conferimus aliquid commodi, nec ab eis, ut nobis conferatur, „ attendimus. Velle tamen debemus, ut „ omnes nobiscum diligant Deum, & totum, quod vel eos adjuvamus, vel adjuvamur ab eis, ad unum illum finem „ referendum est Si enim in theatris nequitiæ, qui aliquem diligit histrionem, „ & tanquam magno vel etiam summo „ bono ejus arte fruitur, omnes diligit, „ qui eum diligunt secum, non propter „ illos, sed propter eum, quem pariter „ diligunt: & quanto est in amore ejus „ fervention, tanto agit, quibus potest „ modis, ut a pluribus diligatur, & tanto pluribus cupit eum ostendere, & „ quem frigidum videt, excitat eum, „ quantum potest, laudibus illius. Si autem contravenientem invenerit, odit „ in illo vehementer odium dilecti sui, „ & quibus modis valet, instat, ut auferat. Quid nos in societate dilectionis „ Dei agere convenit, quo perfrui beate „ vivere est, & a quo habent omnes, qui „ eum diligunt, & quod sunt, & quod „ eum diligunt; de quo nihil metuimus, „ ne cuiquam possit cognitus displicere; „ & qui se vult diligi, non ut sibi aliquid, sed ut eis, qui diligunt, æternum præmium conferatur, hoc est, ipse quem diligunt.

Regula XV.

HOmo *tenetur perpetuo tendere ad amorem Dei perfectissimum, qualis tamen tantum in altera vita haberi potest.* S. Augustinus *l. de perfectione justitiæ contra Celestium Cap. 6. 7. 8.* „Peccatum est, cum vel non est charitas, „ quæ esse debet; vel minor est, quam „ debet, sive hoc voluntate vitari possit, sive non possit; quia si potest, „ præsens voluntas hoc facit; si autem „ non potest, præterita voluntas hoc fecit, & tamen vitari potest, non quando superba voluntas laudatur, sed „ quando humilis adjuvatur. Non igitur potest homo esse sine peccato, „ nisi adjuvet gratia Dei. Nemo ad saturitatem justitiæ, cum hic exierit, „ perveniet, nisi ad eam, cum hic est, „ esuriendo & sitiendo cucurrerit. Beati quippe qui esuriunt & sitiunt justitiam quoniam ipsi saturabuntur. Quamdiu ergo peregrinantes a Domino per „ fidem ambulamus, hæc est nostra in „ ipsa peregrinatione justitia, ut ad illam perfectionem, ac plenitudinem „ justitiæ, ubi in specie decoris ejus „ jam plena & perfecta charitas erit, „ nunc ipsius cursus rectitudine & perfectione tendamus, castigando corpus „ nostrum & servituti subjiciendo, & „ eleemosynas in dandis beneficiis, & „ dimittendis, quæ in nos sunt commissa peccatis, hilariter & ex corde „ faciendo, & orationibus indesinenter „ insistendo, & hoc faciendo in doctrina sana, qua ædificatur fides recta, „ spes firma, charitas pura. Hæc est „ nunc nostra justitia, qua currimus esurientes & sitientes ad perfectionem, „ plenitudinemque justitiæ, ut ea postea saturemur. Quotquot ergo perfecti, hoc sapiamus, hoc est, quotquot „ perfecte currimus, hoc sapiamus, quod „ nondum perfecti sumus, ut illic perficiamur, quo perfecte adhuc currimus, ut cum venerit, quod perfectum „ est, quod ex parte est, destruatur, „ id est, jam non ex parte sit, sed ex „ toto. Quia charitas non auferetur, „ sed augebitur & implebitur. In qua „ plenitudine charitatis præceptum illud implebitur: diliges Dominum „ Deum tuum ex toto corde tuo, & „ ex tota mente tua, & ex tota anima „ tua, nam cum adhuc est aliquid carnalis concupiscentiæ, quod vel continendo frænetur, non omnimodo ex „ tota anima diligitur Deus. Non enim „ caro sine anima concupiscit, quamvis caro concupiscere dicatur, quia „ carnaliter anima concupiscit. Tunc „ erit justus sine ullo omnino peccato, „ quia nulla lex erit in membris ejus

„ re-

„ repugnans legi mentis ejus, ſed prorſus toto corde, tota anima, tota „ mente diliget Deum, quod eſt primum, ſummumque præceptum. Cur „ ergo non præciperetur homini iſta perfectio, quamvis eam in hac vita nemo habet? non enim recte curritur, „ ſi quo currendum eſt, neſciatur. Quomodo autem ſciretur, ſi nullis præceptis oſtenderetur? ſic ergo curramus „ ut apprehendamus; curramus credendo, ſperando, deſiderando; curramus „ corpus caſtigando, & eleemoſynas „ dando, & malis ignoſcendis, & currentium vires ut adjuventur orando, „ & ſic audiamus præcepta perfectionis, „ ne currere negligamus ad plenitudinem charitatis. Beatus, cui non imputavit Dominus peccatum. Non imputat his, qui fideliter ei dicunt: dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos „ dimittimus debitoribus noſtris.

Regula XVI.

AMor Dei *nunquam optat, non dari legem Dei in hac vel illa materia.* S. Auguſt. *in Pſal. 67.* „ Per ſpiritum „ ſanctum diffunditur charitas in cordibus noſtris, ut liberaliter faciamus, „ quod timendo qui facit, ſerviliter facit. Nec eſt amicus recti, quando „ mallet, ſi fieri poſſet, id quod rectum eſt, non juberi.

Regula XVII.

AMor Dei *non conſiſtit cum amore terrenorum pure terreno.* S. Auguſtinus *in 1. Epiſt. Joan. cap. 2. tract. 2.* „ Tenentes iſta non habebitis concupiſcentiam mundi; non habendo concupiſcentiam mundi non vos ſubjugabit nec deſiderium carnis, nec deſiderium oculorum, nec ambitio ſæculi; & facitis locum charitati venienti, ut diligatis Deum; quia ſi fuerit ibi dilectio mundi, non ibi erit dilectio Dei. Talis eſt quiſque, qualis eſt dilectio. Terram diligis, terra es. Deum diligis; quid dicam, Deus „ eris? non audeo dicere ex me, ſcripturas audiamus. Ego dixi; dii eſtis, „ & filii excelſi omnes. Si ergo vultis „ eſſe dii, & filii excelſi, nolite diligere mundum, neque ea, quæ in „ mundo ſunt. Quia ſiquis diligit mundum, non eſt charitas patris in eo.

Regula XVIII.

AMor Dei *ſe addicit contemplationi, quantum illi licet vel per ſortem vitæ, vel per œconomiam temporis.* S. Auguſt. *de verbis Domini Serm. 27.* „ Cui „ non offertur occaſio vitæ activæ, aut „ adſunt plurimi alii pro alieno ſervitio „ digne obeundo, licet eligere vitam „ contemplativam quaſi per ſortem vitæ. Vel qui ſemel adſcriptus eſt vitæ „ activæ, licite poteſt tantum parſimonia temporis indulgere contemplationi, quantum ſibi neceſſarium, aut aliis non adeo neceſſarium. Sanctum „ Evangelium cum legeretur, audivimus a fœmina religioſa Dominum ſuſceptum eſſe hoſpitio, & ipſa Martha vocabatur. Et cum eſſet ipſa occupata in cura miniſtrandi, ſoror ejus „ Maria ſedebat ad pedes Domini, & „ audiebat verbum ejus; laborabat illa; vacabat iſta. Illa erogabat, hæc „ implebatur. Verumtamen multum laborans in illa occupatione, & negotio miniſtrandi interpellavit Dominum, & de ſorore ſua conqueſta eſt, „ quod eam laborantem non adjuvaret. „ Dominus autem pro Maria reſpondit „ Marthæ, & ipſe ejus factus eſt advocatus, qui judex fuerat interpellatus. „ Martha, inquit, circa multa es occupata, quando unum eſt neceſſarium. „ Maria meliorem partem elegit, quæ „ non auferetur ab ea. Audivimus enim „ & interpellationem interpellantis, & „ ſententiam judicis; quæ ſententia interpellanti reſpondit, ſuſceptam defendit. Erat enim Maria intenta dulcedini verbi Domini: intenta erat „ Martha, quomodo paſceret Dominum; intenta erat Maria, quomodo „ paſceretur a Domino. A Martha con-

„ vivium Domino parabatur, in cujus „ convivio Maria jam jucundabatur. „ Cum ergo Maria suaviter audiret ver- „ bum dulcissimum, & corde intentis- „ simo pasceretur, interpellato Domino „ a sorore sua, quomodo putamus eam „ timuisse, ne diceret ei Dominus: surge „ & adjuva sororem tuam? mira „ enim suavitate tenebatur, quæ profe- „ cto major est mentis, quam ventris. „ Excusata est; sedit secura. Quomodo „ autem excusata? attendamus, inspi- „ ciamus, perscrutemur quod possumus, „ ut pascamur & nos. Quid enim? „ putamus, reprehensum esse ministe- „ rium Marthæ, quam cura hospitali- „ tatis occupaverat, quæ ipsum Domi- „ num hospitio receperat? quomodo „ recte reprehendebatur, quæ tanto ho- „ spite lætabatur? hoc si verum est, „ dimittant homines, quod ministrant „ egentibus; eligant sibi partem melio- „ rem, quæ non auferetur ab eis: va- „ cent verbo; inhient Doctrinæ dulce- „ dini; occupentur circa scientiam sa- „ lutarem; nihil eis curæ sit, quis in „ vico peregrinus sit, quis egeat pane, „ quis indumento, quis visitandus, quis „ redimendus, quis sepeliendus: vacent „ opera misericordiæ; uni instetur scien- „ tiæ. Si melior pars est, cur non o- „ mnes hoc faciunt, quando ipsum Do- „ minum in hac causa patronum habe- „ mus? non enim timemus in hac re, „ ne offendamus ejus justitiam, cum „ patronam teneamus ejus sententiam. „ Et tamen ita non est; sed sicut di- „ xit Dominus, ita est. Quomodo in- „ telligis, non est? est autem, quo „ modo intelligere debes. Ecce, adver- „ te. Circa multa es occupata, quan- „ do unum est necessarium. Maria me- „ liorem partem elegit. Non tu ma- „ lam, sed illa meliorem. Sed unde „ meliorem? quia tu circa multa, illa „ circa unum. Præponitur unum mul- „ tis. Non enim a multis unum, sed „ multa ab uno. Multa sunt, quæ fa- „ cta sunt; unus est, qui fecit. Atten- „ damus igitur occupationes nostras cir- „ ea multa. Necessarium est ministe- „ rium corpora refecturis. Quare hoc? „ quia esuritur, quia sititur. Misericordia „ miseris necessaria est. Frangis panem esu- „ rienti, quia invenisti esurientem. Tol- „ le famem; cui frangis panem? tolle „ peregrinationem; cui exhibes hospi- „ talitatem? tolle nuditatem, cui præ- „ paras vestem? non sit ægritudo; quem „ visitas? non sit captivitas, quem re- „ dimis? non sit rixa, quem concor- „ das? non sit mors, quem sepelis? in „ illo sæculo futuro non erunt ista ma- „ la; ergo nec ista ministeria. Bene „ ergo Martha circa corporalem Domi- „ ni, quid dicam, necessitatem an vo- „ luntatem; ministrabat carni morta- „ li. Sed quis erat in carne mortali? in „ principio erat verbum, & verbum „ erat apud Deum, & Deus erat ver- „ bum. Ecce, quod Maria audiebat. „ Verbum caro factum est, & habita- „ vit in nobis. Ecce Martha, cui mi- „ nistrabat. Ergo Maria meliorem par- „ tem elegit, quæ non auferetur ab ea. „ Hoc enim elegit, quod semper ma- „ nebit; ideo non auferetur ab ea. „ Circa unum se voluit occupari: jam „ tenebat: mihi autem adhærere Deo „ bonum est. Non ergo Dominus opus „ reprehendit, sed munus distinxit. Cir- „ ca multa es occupata, porro unum „ est necessarium. Jam hoc sibi Ma- „ ria elegit. Transit labor multitudi- „ nis, & remanet charitas unitatis. „ Ergo quod elegit, non auferetur ab „ ea; a te autem quod elegisti, aufe- „ retur, auferetur a te labor, ut re- „ quies detur; tu navigas; illa jam in „ portu est. Videtis ergo, charissimi, „ & intelligitis, in his duabus mulie- „ ribus duas vitas esse figuratas, præ- „ sentem & futuram, laboriosam, & „ quietam, ærumnosam & beatam, „ temporalem & æternam; erant in „ duabus fœminis duæ vitæ, ambæ in- „ nocentes, ambæ laudabiles; sed una „ laboriosa, altera otiosa, nulla faci- „ norosa, quam cavere debet laborio- „ sa; nulla desidiosa, quam cavere de- „ bet otiosa. Erant ergo in illa domo „ istæ duæ vitæ, & ipse fons vitæ. In

„ Mar-

„ Martha erat imago præſentium ; in „ Maria futurorum. Quod agebat Martha , ibi ſumus ; quod agebat Maria , hoc ſperamus ; hoc agamus bene , ut illud habeamus plene . Nam „ quid inde habemus ? inquantum habemus? quamdiu hic ſumus, quantum „ eſt , quod inde habemus? nam & modo inde aliquid agimus , remoti a „ negotiis , ſepoſitis familiaribus curis , „ conveniſtis, ſtatis,auditis. Inquantum „ hoc agitis , Mariæ ſimiles eſtis .

Regula XIX.

AMor Dei reddit animam ſimilem ac conformem Deo, quoad omnes voluntates , affectus , & diſpoſitiones Dei. S. Leo *Serm.* 1. *de jejunio decimi menſis.*

„ Si fideliter , dilectiſſimi , atque ſapienter creationis noſtræ intelligamus „ exordium , inveniemus hominem ideo „ ad imaginem Dei conditum , ut imitator ſui eſſet authoris ; & hanc eſſe „ naturalem noſtri generis dignitatem , „ ſi in nobis quaſi quodam ſpeculo divinæ benignitatis forma reſplendeat . „ Ad quam utique quotidie nos reparat „ gratia ſalvatoris , dum quod cecidit „ in Adam primo ; erigitur in ſecundo . Cauſa autem reparationis noſtræ „ non eſt niſi miſericordia Dei , quem „ non diligeremus , niſi prius nos ipſe „ diligeret , & tenebras ignorantiæ noſtræ ſuæ veritatis luce diſcuteret. Nos „ ergo diligamus Deum, quoniam ipſe „ prior dilexit nos . Diligendo nos Deus „ ad imaginem ſuam nos reparat , & ut „ in nobis formam ſuæ bonitatis inveniat , dat , unde ipſi quoque , quod „ operatur , operemur , accendens ſcilicet mentium noſtrarum lucernas, & „ igne nos ſuæ charitatis inflammans , „ ut non ſolum ipſum, ſed etiam quidquid diligit , diligamus . Nam ſi inter homines ea demum firma amicitia eſt, quam morum ſimilitudo ſociarit , cum tamen parilitas voluntatum ſæpe in reprobos tendat affectus, „ quantum nobis optandum atque nitendum eſt , ut in nullo ab iis, quæ „ Deo ſunt placita , diſcrepemus ? de „ quo dicit propheta : quoniam ira in „ indignatione ejus , & vita in voluntate ejus ; quia non aliter in nobis „ erit dignitas divinæ Majeſtatis , niſi „ imitatio fuerit voluntatis . Dicente „ itaque Domino : diliges Dominum „ Deum tuum ex toto corde tuo , & „ ex tota mente tua , & diliges proximum tuum ſicut teipſum , ſuſcipiat „ fidelis anima authoris ſui atque rectoris immarceſcibilem charitatem , „ totamque ſe etiam ejus ſubjiciat voluntati , in cujus operibus atque judiciis nihil vacat a veritate juſtitiæ , „ nihil a miſeratione clementiæ . Quoniam etſi magnis quis laboribus , & „ multis fatigetur incommodis , bona „ eſt illi cauſa tolerandi , qui ſe adverſis vel corrigi intelligit , vel probari. „ Charitatis vero iſtius pietas perfecta „ eſſe non poterit , niſi diligatur & „ proximus ; quo nomine non ii tantum intelligendi ſunt , qui nobis amicitia , aut propinquitate junguntur , „ ſed omnes prorſus homines, cum quibus nobis natura communis eſt , ſive „ illi hoſtes ſint , ſive ſocii , ſive liberi, ſive ſervi. Unus enim nos conditor finxit ; unus nos creator animavit , eodem cuncti cœlo & aere , iiſdem utimur diebus & noctibus. Cumque alii ſint boni , alii mali ; alii „ juſti , alii injuſti , Deus tamen omnibus largitor , omnibus eſt benignus . Et merito etiam inimico præcipit diligi , & pro perſecutoribus ſupplicari , qui ex omnibus quotidie gentibus , fractis olivæ ſuæ ramis germen inſerens oleaſtri , de inimicis reconciliatos , de alienis adoptivos , de „ impiis facit juſtos , ut omne genu flectatur , & omnis lingua confiteatur, „ quia Dominus noſter Jeſus Chriſtus „ in gloria eſt Dei patris . Cum ergo „ Deus bonos nos eſſe velit , quia bonus „ eſt , nihil nobis debet de ejus judiciis diſplicere. Nam non per omnia illi gratias agere , quid eſt aliud , quam aliqua ex parte eum reprehendere? Audet plerumque humana inſipientia ad-

„ ver-

„ versus creatorem suum non solum de
„ inopia, sed etiam de copia murmu-
„ rare; ut & cum aliquid non suppe-
„ tit, querula, & cum quædam exu-
„ berant, sit ingrata. Multæ messis
„ Dominus horreorum suorum plenitu-
„ dinem fastidivit, & ad copiam vin-
„ demiæ affluentis ingemuit: nec de
„ magnitudine fructuum gratulatus, sed
„ de vilitate conquestus est. Si autem
„ parcior fuerit in susceptis terra semi-
„ nibus, & castigatiore proventu vites
„ oleæque defluxerint, accusatur annus,
„ arguuntur elementa, & nec aeri par-
„ citur, nec cœlo, cum fideles & pios
„ discipulos veritatis nihil magis com-
„ mendet & muniat, quam perseverans
„ in Deum indefessa laudatio, dicente
„ Apostolo: semper gaudete, sine in-
„ termissione orate, in omnibus gra-
„ tias agite. Hæc enim voluntas Dei
„ est in Christo Jesu in omnibus nobis.
„ Hujus autem devotionis quemadmo-
„ dum poterimus esse participes, nisi
„ rerum varietas constantiam mentis e-
„ xerceat? ut amor directus in Deum
„ nec inter secunda superbiat, nec in-
„ ter adversa deficiat. Quod placet Deo,
„ placeat & omnibus nobis, de omni
„ mensura munerum ejus gaudeamus.
„ *Ibidem Serm.* 8. Jejunet mens a vi-
„ tiis, & curas cupiditatesque terrenas
„ regis sui lege dijudicet. Meminerit
„ primam dilectionem Deo, secundam
„ deberi proximo, omnesque affectus
„ suos hac regula dirigendos, ut nec a
„ cultu Domini recedat, nec ab utili-
„ tate conservi. Quomodo autem Deus
„ colitur, nisi ut quod ipsi placet, pla-
„ ceat & nobis? nec ab ejus imperio
„ noster unquam resultet affectus, quo-
„ niam si hoc, quod ille vult, volu-
„ mus, ab illo sumet infirmitas nostra
„ virtutem, a quo ipsam accepimus vo-
„ luntatem.

Regula XX.

Amor Dei omnibus creaturis utitur ad laudem Dei. S. Leo *Sermon.* 4. *de jejunio septimi mensis.* „ Qui acceperunt
„ Spiritum sanctum, & a quibus timor
„ Domini non de pœnæ formidine, sed
„ de Dei charitate conceptus est, illæ-
„ so fidei pede laqueos conterunt cap-
„ tionum, ut creaturarum omnium pul-
„ chritudine ad laudem & gloriam sui
„ utantur authoris, eumque diligant su-
„ per omnia, per quem facta sunt om-
„ nia. In hujus admirationem dilectis-
„ simi omnium fidelium tendat affectio,
„ de hoc sibi delectationes non corru-
„ ptibiles sed æternas sapiens continen-
„ tia petat, & in amorem boni, sine
„ quo nullus est bonus, incontaminata
„ castitas inardescat. Ad hoc enim sunt
„ nobis tradita exercitia Christiana,
„ ut resecata omni illicita voluptate in
„ sanctas & spirituales delitias æstue-
„ mus.

Regula XXI.

Amor Dei in nulla creatura quærit voluptatem, nisi tanquam medio ad Deum. Ibid. Serm. 5. „ Qui se dicit in
„ Christo manere, debet sicut ille am-
„ bulavit, & ipse ambulare; alioqui
„ falsæ professionis imagine utimur, si
„ cujus nomine gloriamur, ejus insti-
„ tuta non sequimur. Quæ utique no-
„ bis onerosa non essent, & ab omni-
„ bus nos periculis liberarent, si nihil
„ aliud, quam quod amandum jubetur,
„ amaremus. Duo namque amores sunt,
„ ex quibus omnes prodeunt voluntates, ita diversæ qualitatibus, sicut di-
„ viduntur authoribus. Rationabilis e-
„ nim animus, qui sine dilectione es-
„ se non potest, aut Dei amator est,
„ aut mundi. In dilectione Dei nulla
„ nimia; in dilectione autem mundi
„ cuncta sunt noxia. Et ideo æternis
„ bonis inseparabiliter inhærendum, tem-
„ poralibus vero transeunter utendum
„ est, ut peregrinantibus nobis & ad
„ patriam redire properantibus, quid-
„ quid de prosperitatibus mundi hujus
„ occurrerit, viaticum sit itineris, non
„ illecebra mansionis. Ideo beatus Apo-
„ stolus prædicat dicens: tempus breve
„ est; reliquum est, ut qui habent u-

„ xo-

„ xores, tanquam non habentes ſint, „ & qui flent, tanquam non flentes, „ & qui gaudent, tanquam non gaudentes, & qui emunt, tanquam non poſſidetes ſint, & qui utuntur hoc „ mundo, tanquam non utantur; præterit enim figura hujus mundi. Sed „ quod de ſpecie, de copia, de varietate blanditur, non facile declinatur, „ niſi in illa viſibilium pulchritudine „ creator potius, quam creatura diligatur. Qui cum dicit: diliges Dominum Deum tuum ex toto corde „ tuo, & ex tota mente tua, & ex „ tota virtute tua; in nullo nos vult „ ab amoris ſui vinculis relaxari. Et „ cum huic præcepto proximi quoque „ copulat charitatem, imitationem nobis ſuæ bonitatis indicit, ut quod „ diligit, diligamus, & quod operatur, operemur. Quamvis enim Dei „ agricultura ſimus, & ædificatio; & „ neque qui plantat, ſit aliquid, neque qui rigat; ſed qui incrementum „ dat, Deus, in omnibus tamen exigit noſtri miniſterii ſervitutem, & „ nos diſpenſatores ſuorum vult eſſe donorum, ut qui fert Dei imaginem, „ Dei faciat voluntatem. Propter quod „ in Oratione Dominica ſacratiſſime „ dicimus: fiat voluntas tua ſicut in „ cœlo, & in terra. Quibus verbis „ quid aliud poſtulamus, quam ut Deus „ ſicut in cœlo angelos, ita & in terra homines miniſtros ſuæ faciat voluntatis. Hoc autem petentes amamus Deum, amamus & proximum, „ & non diverſa in nobis ſed una dilectio eſt. Hic affectus, quo amor terrenus excluditur, bonorum operum „ conſuetudine roboratur.

Regula XXII.

AMor Dei *in ſolo Deo delectatur. Ibid. Serm.* 7. „ Diligenti Deum ſuffi„ cit ei placere, quem diligit. Quia „ nulla major expetenda eſt remuneratio, quam ipſa dilectio; ſic enim „ charitas ex Deo eſt, ut Deus ipſe „ ſit charitas. Quod utique pius & ca„ ſtus animus ſic gaudet implere, ut „ in nullo extra illum cupiat delectari. Veriſſimum namque eſt, quod „ dicit Dominus: ubi eſt theſaurus tuus, „ ibi erit & cor tuum; & ubi oblectatio fruendi conſtituitur, ibi cura cor„ dis conſtringitur.

Regula XXIII.

AMor Dei *facit, quod Deus amat; & amat, quod Deus facit. Ibid. Serm.* 9. „ Agnoſcat homo ſui generis „ dignitatem, factumque ſe ad imagi„ nem & ſimilitudinem ſui creatoris in„ telligat; nec ita de miſeriis, quas „ per peccatum illud maximum & com„ mune incidit, expaveſcat, ut non ſe „ ad miſericordiam ſui reparatoris at„ tollat. Ipſe enim dicit: Sancti eſto„ te, quoniam ego ſanctus ſum; hoc „ eſt, me diligite, & ab iis, quæ mi„ hi diſplicent, abſtinete. Facite, quod „ amo; amate, quod facio. Et cum „ videtur eſſe difficile, quod jubeo, ad „ jubentem accurrite, ut unde datur „ præceptum, præſtetur auxilium.

Regula XXIV.

AMor Dei *eſt amor totius juſtitiæ.* S. Leo *homil. de octo beatit. Cap.* 5. „ Beati qui eſuriunt & ſitiunt juſtitiam, „ quoniam ipſi ſaturabuntur. Nihil hæc „ eſuritio corporeum; nihil expetit ſi„ tis iſta terrenum, ſed juſtitiæ bono „ deſiderat ſaturari, & in omnium oc„ cultorum introducta ſecretum ipſo Do„ mino opat impleri. Felix mens, quæ „ hunc concupiſcit cibum, & ad ta„ lem æſtuat potum, quem utique non „ expeteret, ſi nihil de ejus ſuavitate „ guſtaſſet. Audiens autem dicentem „ ſibi prophetam: Guſtate & videte, „ quoniam ſuavis eſt Dominus, accepit „ quandam ſupernæ dulcedinis portio„ nem, & in amorem caſtiſſimæ vo„ luptatis exarſit, ut ſpretis omnibus „ temporalibus ad edendam, bibendam„ que juſtitiam toto accenderetur affe„ ctu, & illius primi mandati appre„ hen-

„ henderet veritatem, dicentis: diliges Dominum Deum tuum ex toto „ corde tuo, & ex tota mente tua, & „ ex tota virtute tua, quoniam nihil „ est aliud diligere Deum, quam amare justitiam. Sicut autem illic dilectioni Dei proximi cura subjungitur, „ ita & huic desiderio justitiæ virtus „ misericordiæ copulatur. Beati misericordes, quoniam ipsorum miserebitur Deus. Agnosce Christiane tuæ „ sapientiæ dignitatem, & qualium disciplinarum artibus ad præmia voceris, intellige. Misericordem te misericordia, justum vult te esse justitia, ut in creatura sua creator appareat, & in speculo cordis humani per „ lineas imitationis expressa Dei imago „ resplendeat.

Regula XXV.

Amor Dei in omni actione procurat gloriam Dei. S. Maximus Taurin. *hom. 2. de non timendis hostibus.* „ Si „ Dominus sum, ubi timor meus? si „ pater, ubi amor meus? hoc est; si „ servus es; redde Domino timoris obsequium. Si filius, exhibe patri pietatis affectum. Tu autem! cum gratias „ non agis, Deum nec diligis, nec vereris. Qui est igitur utilis Christianus, semper debet patri ac Domino „ suo laudes dicere, & in ejus gloriam omnia procurare; sicut ait Apostolus: sive manducatis, sive bibitis, „ sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei.

Regula XXVI.

Amor Dei erga Deum talis est, qualis erga patrem. Petrus Chrysologus *in Orat. Domin. Serm. 67.* „ Accedamus, filioli, quo charitas vocat, „ trahit amor, invitat affectio. Deum „ patrem viscera sentiant, vox personet, „ loquatur lingua, spiritus clamet, & „ totum quod est in nobis, respondeat „ gratiæ, non timori; quia qui judicem „ mutavit in patrem; amari voluit, „ non timeri. Pater noster qui es in „ cœlis.

Regula XXVII.

Amor Dei studet imitari Deum. Clemens Alexandrinus, *Oart. ad Gentes.* „ Mehus est & præstantius imitatorem „ simul & cultorem optimæ ac præstantissimæ eorum, quæ sunt, essentiæ „ fieri. Non poterit enim quis Deum „ imitari, nisi per ea, per quæ sancte „ servit; neque sancte servire poterit, „ nisi eum imitetur. Amor enim cœlestis hac ratione accedit hominibus, „ quando honestum verbo divino accensum effulget in anima; maxime vero, quando sic in unum concurrunt „ germanæ ac sinceræ voluntates, ut „ una voluntas videatur & vita - - - „ Oportet autem veritati adhærentes „ Deum sequi totis viribus, & existimare omnia ejus esse, sicut sunt. „ Præterea seipsos permittere Deo, Dominum Deum diligentes, & hoc nostrum esse munus per totam vitam existimantes. Si autem sunt communia ea, quæ sunt amicorum (est autem homo Dei amicus Deo intercedente) fiunt hominis omnia, quia „ Dei sunt omnia, & sunt omnia utriusque communia, Dei & hominis. „ Nobis ergo nunc restat, ut dicamus, „ eum solum, qui est pius & religiosus, „ esse Christianum, & temperantem, „ & generosum, & ea ratione imaginem Dei cum similitudine, ut qui a „ Christo Jesu sit factus cum prudentia, „ atque adeo jam Deo similis.

Regula XXVIII.

Amor Dei habet omnia cum Deo communia, etiam sensus animi. Clemens Alex. *Lib. 2. Strom.* „ Spes est „ exspectatio bonorum; Charitas autem „ est consensio quoad sensus animi, „ quoad vitam, & quoad mores; seu, „ ut paucis dicam, vitæ societas, aut „ exhibitio amicitiæ & benevolentiæ „ cum recta ratione ad usum amicorum.

„ Ami-

„ Amicus autem quaſi alter ego dicitur: „ ἑταῖρος, ἕτερος ἐγώ Charitati autem „ adhæret & hoſpitalitas, & humanitas, per quam fit bona affectio, & „ bona affectio, quæ eſt quoddam amicitiæ artificium circa amicorum dilectiones. Dilectio autem eſt perfecta & abſoluta demonſtratio: & diligi eſt placere moribus, ducique, & rapi. In idem autem ducuntur per conſenſum animorum, quatenus ſcientiam habent communium bonorum. „ Nolite, inquit Apoſtolus, conformari huic ſæculo, ſed renovamini ſpiritu mentis veſtræ, ut probetis, quæ ſit voluntas Dei beneplacens & perfecta. Quænam eſt ergo actio Deo amica & conſentiens? una, & quæ ratione nititur antiqua; nempe illa, quod ſimile ſimili tunc amicum ſit, quando utrunque eſt commenſuratum; quæ autem abſque menſura ſunt, nec ſibi invicem, nec aliis pariter non habentibus menſuram commenſurata ſunt. Itaque eum, qui Dei amicus futurus eſt, talem fieri neceſſe eſt. Hinc ſapiens Dei amicus eſt; quia Deo ſimilis. Qui autem inſipiens ac intemperans eſt, a Deo diverſus eſt. Hinc ab iſtis fugere oportet; fuga a talibus eſt aſſimilatio Dei, aſſimilatio autem Dei eſt juſtum & ſanctum fieri cum prudentia. Talis ſecundum rectam rationem aſſimilatio Dei, finis eſt, & perfecta in adoptionem filiorum Dei reſtitutio. Aperte Apoſtolus dicit: imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti. Aſſimilari Deo, ut quis ſanctus ac juſtus fiat ſecundum rectam rationem, finem fidei noſtræ conſtituit. *Et lib.* 6. Qui novit futurorum comprehenſionem, futuro occurrit per charitatem. Ideoque nec optabit quidem conſequi ea, quæ hic ſunt, cui perſuaſum eſt, fore ut conſequatur ea, quæ vere bona ſunt. Præterea optabit quamplurimos ſibi fieri ſimiles ad Dei gloriam. Tunc enim quis in ſtatu ſalvationis eſt, dum ſalvatori aſſimilatur, quatenus naturæ humanæ fas eſt, ad ejus pervenire imaginem. *Et lib.* „ 7. Nobis propoſitum eſt oſtendere, „ eum ſolum, qui eſt vera cognitione „ præditus, vere Deum colere, prout „ decet ejus Majeſtatem. Eum autem, „ qui ſic Deum colit prout decet ejus „ Majeſtatem, conſequitur amor Dei, „ & in Deum pietas. Dei ergo cultus „ eſt continua cura ei, qui eſt cognitione præditus, & ejus perpetua in „ Deo occupatio per charitatem, quæ „ nunquam intermittitur. Is vero ſolus „ eſt verus cultor Dei, qui recte circa res humanas Deo ſervit. Sicut enim plantarum cultura tunc eſt optima, quando per eam naſcuntur & „ comportantur fructus; ita pius ac religioſus Dei cultus eorum hominum, „ qui per ipſum crediderunt, in ſe accipiens, cum plures per ipſum ad „ agnitionem venerint & ſalvi facti ſint, „ optimum comportat proventum. Qui „ autem convenienter Deum colit, ut „ decet ejus majeſtatem, is ſolus erit „ Dei amicus, & Deo aſſimilatur. Ea „ ratione erit Deum amans; nam ut „ qui patrem honorat, amat patrem; „ ita qui Deum honorat, Deum amat. „ Qui pro accepto beneficio refert Deo „ pro viribus gratias per charitatem, is „ jam eſt amicus. Una eſt autem præcipua gratiæ relatio, ea facere, quæ Deo „ ſunt optima.

Regula XXIX.

AMor Dei non conſiſtit cum delectationibus vanis circa res terrenas. S. Gregorius M. *lib.* 18. *Moral. cap.* 8. ad verba Job. *Aut poterit in omnipotente delectari?* „ Qui terrenarum rerum amore vincitur, in Deo nullatenus delectatur. Eſſe quidem ſine delectatione anima nunquam poteſt; nam aut „ infimis delectatur aut ſummis, & „ quanto altiori ſtudio exercetur ad ſumma, tanto majore faſtidio torpeſcit ad „ infima; quantoque acriore cura inardeſcit ad infima, tanto tepore damnabili frigeſcit a ſummis: utraque enim ſimul & æqualiter amari non poſſunt. Unde Joannes Apoſtolus ſciens

„ in-

„ inter spinas amorum sæcularium super-
„ næ charitatis messem germinare non
„ posse, priusquam æterni amoris semi-
„ na proferat, de audientium cordibus
„ amorum sæcularium spinas eradicat;
„ dicens: nolite diligere mundum, ne-
„ que ea, quæ in mundo sunt: moxque
„ subjungit: quia siquis diligit mundum
„ non est charitas patris in eo. Ac si
„ aperte dicat: utrique amores se in uno
„ corde non capiunt; nec in eo seges
„ supernæ charitatis pullulat, in quo
„ illam spinæ infimæ delectationis ne-
„ cant.

Regula XXX.

AMor Dei *semper operatur magna*. S. Gregorius M. „ Ad vosmetipsos, fratres charissimi, introrsum redite; si vere Deum amatis, exquirite. Nec tamen sibi aliquis credat, quidquid sibi animus sine operis attestatione responderit. De dilectione conditoris lingua, mens, & vita requirantur. Nunquam est amor Dei otiosus; operatur enim magna, si est, si vero operari renuit, amor non est. „ *In Evang. hom.* 30.

Regula XXXI.

AMor Dei *nunquam mensuram habet aliam, nisi ut agat, quantum potest*. S. Gregorius *in Evang. hom.* 39. „ Notandum est, quia in dilectione proximi mensura ponitur amoris, cum dicitur: diliges proximum tuum, sicut teipsum. Dei autem dilectio nulla „ mensura constringitur, cum dicitur: „ diliges Dominum Deum tuum ex toto „ corde tuo, & ex tota anima tua, & „ ex tota virtute tua. Non enim jubetur quisque, quantum diligat, sed ex „ quanto, cum dicitur: *ex toto*; quia „ ille veraciter Deum diligit, qui sibi „ de se nihil relinquit.

Regula XXXII.

AMor Dei *omnes affectiones animi præparat Deo*. Isidorus Hispal. *lib. 2. de differ. num.* 32. „ Dilectio in Deum „ origo est dilectionis in proximum, & „ dilectio in proximum cognitio est dilectionis in Deum. Porro dilectio Dei „ a timore inchoat, sed non sub timore perseverat. Nam dilectio ex timore servilis est, non libera, quia non „ constat ex amore Dei, sed ex timore supplicii. In tribus rebus dilectio „ Dei exprimitur, ut nihil remaneat „ in homine, quod non divinæ dilectioni subdatur. Nam dum dicitur: dilige Deum ex toto corde tuo, omnes cogitationes in Deum referendas „ præcipit. Dum vero dicitur: ex tota „ anima, omnes affectiones animæ ad „ Deum referri jussit; dum vero adjecit: ex tota mente; indicat omnem „ rationem humanam, qua intelligimus & discernimus, in rebus divinis „ esse occupandam.

Ex his omnibus patet, Amorem Dei non consistere in solis actibus voluntatis internis otiosis, sed in præparatione animi ad agendum omne id, quod quis videt placere Deo. Hoc propositum agendi omne id, quod quis viderit placere Deo, est de præcepto dilectionis Dei. Qui illud in uno vel altero leviter infringit, leviter peccat: qui vero in animo suo sic constitutus est, ut parum aut nihil implere velit ultra ea, quæ Deus sub comminatione æternæ pœnæ explicite præcepit, non habet amorem Dei. Huc tendunt omnes textus SS. Patrum, dum dicunt, sine charitate seu amore Dei neminem salvari posse. Quamvis enim, mea quidem sententia, necessarium non sit ad justificationem, ut quis doleat de peccatis suis ex motivis amoris Dei expliciti ac perfecti, necessarium tamen est, ut peccator in conversione sua velit suam felicitatem posthac unice constituere in Deo, & per opera virtutum placere Deo; quæ voluntas seu propositum est ipsissimus amor Dei. Non ergo in hoc mul-

multum laborandum eſſe cenſeo, ut dolor ſeu attritio de peccatis in pœnitentibus procedat ex motivo amoris Dei perfecti, ſed ſufficit, dummodo procedat ex quocunque motivo ſupernaturali. Illud vero unice inculcandum eſt pœnitentibus, ut eliciant verum propoſitum ſervandi omnia mandata, agendi vitam vere Chriſtianam, & placendi Deo, per opera illi grata. Verum quidem eſt, quod ab omnibus doceatur, pœnitentes obligari ad eliciendum propoſitum ſervandi omnia mandata, adeoque etiam mandatum dilectionis. Sed quia hoc propoſitum ſe tantum extendit ad vitanda ea, quæ ſunt determinate prohibita ſub gravi peccato & ſub pœna inferni, & ad eliciendum aliquem actum amoris Dei ter ſaltem vel quater in anno; ideo magna pars pœnitentium non eliciens propoſitum placendi Deo per ſtudium virtutum, ac perfectionis Chriſtianæ, quod ſolum propoſitum eſt verus amor Dei, deficit a regula amoris Dei. Tales ergo pœnitentes, qui ſolum proponunt vitare mortalia ob metum inferni, nec ſimul proponunt agere vitam virtuoſam placitam Deo tendentem ſerio ad perfectionem, eoipſo ſolum abſtinent a peccato ex timore inferni, non ex amore Dei; & ideo ob defectum amoris Dei non juſtificantur; ſed eorum confeſſio vel invalida eſt, vel ſaltem informis. Informem autem in iis pœnitentibus confeſſionem eſſe cenſeo, qui non ſcienter omiſerunt hanc partem propoſiti, ſed exiſtimarunt, ſe ſufficienter ad abſolutionem fuiſſe diſpoſitos.

CAPUT X.

De neceſſitate amandi Deum.

EX hucuſque dictis conſtat, amorem Dei conſiſtere in affectu amicitiæ, quo non ſolum quærimus fruitionem Dei tanquam noſtri ſummi Boni, ſed etiam viciſſim intendimus eidem placere per actus amoris practicos. Quæritur, an hic amor Dei ſit neceſſarius ad noſtram juſtificationem, ac ſalutem?

Dico, *nemo poteſt juſtificari ſine præfato amore Dei*. Ratio eſt, quia SS. Patres conſentiunt, nullum opus eſſe fructuoſum ad ſalutem ſine dilectione Dei, quæ doctrina ad minimum ſupponit, ad operandum *ſalubriter*, ut oportet, in operante requiri diſpoſitionem animi actualem vel habitualem quærendi Deum, eidemque placendi per actus amoris practicos. Per hoc tamen non doceo, contritionem vel attrionem in Sacramento Pœnitentiæ neceſſario debere procedere ex motivo amoris; ſed ſufficit ad ſalutarem ſuſceptionem Sacramenti, dummodo ad attritionem, quæ ob metum inferni vel turpitudinem peccati concipitur, ſubſequatur tanquam actus imperatus *ſerium propoſitum ſe ſalvandi* (utique per fruitionem Dei) *& Deo placendi per actus amoris practicos, ſuo ſtatui congruos*. Propoſitum enim ſe ſalvandi, & placendi Deo per actus amoris practicos ſuo ſtatui congruos eſt actualis amor Dei, *imperatus* quidem a timore, ſed poſtmodum ipſemet *imperans* obſervationem mandatorum & beneplacitorum Dei.

Hunc ergo amorem neceſſarium eſſe ad juſtificationem actu; atque ad operandum ſalubriter eum eſſe neceſſarium habitualiter, quatenus ejus habitualis diſpoſitio dignum reddit operantem, ex ſequentibus Textibus SS. Patrum probari ſufficienter cenſeo.

I.

S. Hieronymus in Cap. 5. ad Gal. ad illud: fructus autem ſpiritus eſt charitas:
„ Quæ alia inter fructus ſpiritus debuit
„ tenere primatum niſi charitas, ſine
„ qua virtutes cæteræ non reputantur
„ eſſe virtutes? & ex qua naſcuntur u-
„ niverſa, quæ bona ſunt? ſiquidem ip-
„ ſa & in lege & in Evangelio obtinet
„ principatum: diliges Dominum Deum
„ tuum ex toto corde tuo.

II.

S. Ambroſius in C. 11. Lucæ ad illud

lud: præteritis judicium & charitatem Dei. „ Peccatum grande committunt, dum „ meliora despiciunt, & non ex affe- „ ctu Deum diligunt.

III.

S. Basilius in Regulis Brev. Interrog. 257. „ Quinam sunt illi, de quibus di- „ citur, paleas autem comburet igne „ inextinguibili? ii nimirum, qui eo „ modo utiles sunt iis, qui digni sunt „ regno cœlorum, quemadmodum pa- „ leæ tritico; neque id ex ullo chari- „ tatis instinctu erga Deum proximum- „ ve faciunt, sive in donis spiritus sive „ in corporis officiis, atque ita imper- „ fectos seipsos deserunt.

IV.

S. Leo Serm. 10. *de quadrag.* „ Sit er- „ go sanctus Dei populus, sit benignus. „ Quamvis enim magnum sit habere fi- „ dem rectam, sanamque Doctrinam, „ & multa laude digna sit circumcisio „ gulæ, lenitas mansuetudinis, puritas „ castitatis; nudæ sunt tamen omnes „ virtutes sine charitate, nec potest di- „ ci in qualibet excellentia morum fru- „ ctuosum, quod non dilectionis partus „ ediderit.

Idem dicit Serm. 2. de jejunio Pentecostes. S. Leonem loqui de dilectione habituali, colligitur ex simili modo loquendi circa dilectionem proximi. Nam Epist. 103. ad Episcopos Ægypti commendat mutuam inter eos charitatem, *sine qua*, inquit, *nullæ possunt prodesse virtutes*: Certum enim est, reliquas virtutes prodesse, etsi non procedant ex motivo dilectionis proximi.

Idem Serm. 7. de jejunio septimi mensis. „ Cum dicatur: Diliges Dominum „ Deum tuum ex toto corde &c. Chri- „ sto Domino dicente cognovimus, quod „ in his duobus mandatis universa lex „ pendet & prophetæ: tantaque est sub „ hujus geminæ charitatis edicto utriusque copula testamenti, ut sine ista- „ rum connexione virtutum nec lex „ quemquam inveniatur justificasse nec „ gratia.

V.

S. Augustinus Epist. 144. *ad Anastasium.* „ Lex adducit ad fidem; fides impetrat „ spiritum largiorem; spiritus diffundit „ charitatem; implet charitas legem. „ Inaniter autem putat victorem se esse „ peccati, qui pœnæ timore non pec- „ cat; quia etsi non impletur foris ne- „ gotium malæ cupiditatis, ipsa tamen „ mala cupiditas intus est hostis. Et quis „ coram Deo innocens invenitur, qui „ vult fieri, quod vetatur, si subtrahas, „ quod timetur? ac per hoc in ipsa vo- „ luntate reus est, qui vult facere, quod „ non licet fieri, sed ideo non facit, „ quia impune non potest fieri. Nam „ quantum in ipso est, mallet non esse „ justitiam peccata prohibentem & pu- „ nientem. Et utique si mallet non es- „ se justitiam, quis dubitaverit, quod, „ si posset, eam auferret? ac per hoc „ quomodo justus est justitiæ talis ini- „ micus, ut eam, si potestas detur, præ- „ cipientem auferat, ne comminantem „ vel judicantem ferat? inimicus ergo „ justitiæ est, qui pœnæ timore non „ peccat, amicus autem erit, si ejus „ amore non peccat. Tunc enim vere „ timebit peccare; nam qui gehennas „ metuit, non peccare metuit, sed ar- „ dere; ille autem peccare metuit, qui „ peccatum ipsum sicut gehennas metuit.

Idem in Enchirid. Cap. 121. „ Om- „ nia præcepta referuntur ad charita- „ tem. Quod vero fit vel timore pœ- „ næ, vel intentione carnali, ut non „ referatur ad illam charitatem, quam „ diffundit Spiritus sanctus in cordibus „ nostris, nondum fit, quemadmodum „ fieri oportet, quamvis fieri videatur.

Idem lib. 15. *de Trinit. C.* 1. *&* 18. „ Cum Spiritus sanctus fuerit datus ho- „ mini, ipsum accendit in dilectionem „ Dei & proximi. Propter quod dicit: „ nos diligamus, quia prior dilexit nos. „ Et Apostolus: dilectio Dei diffusa est „ in cordibus nostris. Nullum est isto „ dono Dei excellentius. Solum est, „ quod

„ quod dividit inter filios regni æterni, „ & filios perditionis æternæ. Dantur „ & alia per Spiritum sanctum munera, sed sine charitate nihil prosunt. „ Nisi ergo tantum cuique impertiatur „ Spiritus sanctus, ut eum Dei & proximi faciat amatorem, a sinistra non „ transfertur ad dexteram. Nec spiritus proprie dicitur donum nisi propter dilectionem, quam qui non habuerit si linguis hominum loquatur & „ Angelorum, factus est æs tinniens &c. Quantum ergo bonum est, sine quo ad æternam vitam neminem bona tanta perducunt? ipsa vero dilectio, sive charitas, nam unius rei est utrumque nomen, perducit ad regnum.

Idem l. de spiritu & littera Cap. 14. „ Mandatum si fit timore pœnæ, non „ amore justitiæ, serviliter fit, non liberaliter; & ideo nec fit. Non enim „ fructus est bonus, qui de charitatis „ radice non surgit. *Et Cap.* 30. Per „ liberum arbitrium justitiæ dilectio, „ per justitiæ dilectionem legis operatio. *Et Cap.* 31. Qui sub lege sunt, „ timore pœnæ justitiam suam facere „ conantur, & ideo non faciunt Dei „ justitiam, quia charitas eam facit, „ qua non libet, nisi quod licet; non „ timor, qui cogitur in opere habere, „ quod licet, cum aliud habeat in voluntate, qua mallet, si fieri posset, „ licere, quod non licet. Timor ergo „ ille servilis est, & ideo quamvis in „ illo Domino credatur, non tamen justitia diligitur, sed damnatio timetur. Filii vero clamant: Abba pater, cum autem clamant, aliquid petunt; & quid petunt, nisi quod esuriunt, & sitiunt? & hoc quid est, „ nisi quod de illis dictum est; Beati, „ qui esuriunt & sitiunt justitiam.

Idem in Epist. ad Galat. ad illud: in libertatem vocati estis. „ Judæi, qui timore ista implere cogebantur, quædam opera legis implebant, quæ in „ Sacramentis sunt, illa vero quæ ad „ bonos mores pertinent, implere omnino non poterant; non enim implet „ ea nisi charitas. Quia & hominem si „ propterea non occidit aliquis, ne & „ ipse occidatur, non implet præceptum „ justitiæ. Sed si ideo non occidat, „ quia injustum est, etiamsi id possit „ facere impune, non solum apud homines, sed etiam apud Deum. Recte itaque Dominus ait: non veni „ solvere legem, sed adimplere, quia „ erat ablaturus timorem carnalem, spiritalem autem charitatem daturus, „ qua sola lex impleri potest. Plenitudo enim legis charitas. Quapropter „ Apostolus monstravit, opera ad bonos mores pertinentia non impleri nisi dilectione, per quam fides operatur. Prima vita hominis est ante legem, qua nulla nequitia & malitia „ prohibetur; secunda est sub lege ante gratiam, quando prohibetur quidem, & conatur se abstinere a peccato, sed vincitur; quia nondum justitiam propter Deum, & propter ipsam justitiam diligit, sed eam sibi „ vult ad conquirendum terrena servire; itaque ubi viderit ex una parte „ illam, ex alia commodum temporale, trahitur pondere temporalis cupiditatis, & relinquit justitiam. Tertia est vita sub gratia, quando nihil „ temporalis commodi justitiæ proponitur, quod nisi charitate spiritali, „ quam Dominus exemplo suo docuit, „ & gratia donavit, fieri non potest.

Idem l. 14. *de civit. Dei. C.* 28. „ Fecerunt civitates duas amores duo; terrenam scilicet amor sui usque ad contemptum Dei; cœlestem vero amor „ Dei usque ad contemptum sui. *Et l.* „ 15. *Cap.* 21. Mihi videtur, quod definitio brevis & vera virtutis Ordo „ est amoris. *Et l.* 21. *c.* 16. Pugnandum est adversus vitia, quæ labo iosa „ difficultate superantur; neque id fit „ veraciter atque sinceriter, nisi veræ „ delectatione justitiæ. Tunc vita vitia deputanda sunt, cum Dei amore „ vincuntur, quem nisi Deus ipse non „ donat.

Idem cont. 2. *Epist. Pelag. l.* 2. *cap.* 9. „ Cupiditas boni non homini a Domi-

„ no esset, si bonum non esset; quid „ est enim boni cupiditas, nisi charitas? tunc bonum concupiscí incipit, „ quando dulcescere cœperit; quando „ autem timore pœnæ, non amore justitiæ fit bonum, nondum bene fit „ bonum; nec fit in corde, quod fieri „ videtur in opere, quando mallet homo non facere si posset impune. Ergo benedictio dulcedinis est gratia Dei, „ qua fit in nobis, ut nos delectet, & „ cupiamus, hoc est, amemus, quod „ præcipit nobis. Similia habet lib. 3. „ cap. 4. & alibi sæpius.

VI.

Gregorius M. l. 1. *Mor. cap.* 11. „ Ecclesia rectitudinis vias timore inchoat, „ sed charitate consummat; cui tunc „ est funditus a malo recedere, cum ex „ amore Dei jam cœperit nolle peccare; cum vero adhuc timore bona agit, a malo penitus non recessit; „ quia eoipso peccat, quo peccare vellet, si inulte potuisset. Recte ergo, „ cum Deum timere Job dicitur, recedere etiam a malo perhibetur, quia „ dum metum charitas sequitur, ea quæ „ metu relinquitur, etiam per cogitationis propositum culpa calcatur.

VII.

Isidorus lib. 2. *sent. cap.* 38. „ Sine „ charitate & humilitate quælibet virtus in vitio deputatur. *Et in Cantica ad illud: recti diligunt te.* Nullus te diligit, nisi rectus; & nullus „ est rectus, nisi qui te diligit.

Possem de necessitate amoris divini plures textus adducere, sed id frustraneum esse duco, cum jam omnes fateri debeant, in omni homine justo debere esse propositum servandi omnia mandata, adeoque etiam tendendi ad perfectionem, & placendi Deo, quod propositum, cum habeat delectationem prævenientem ad id, quod vult ac eligit, juxta S. Augustinum & veritatem est actualis amor Dei.

DISCUS-

DISCUSSIO THEOLOGICA

DE CONTRACTU CENSUALI PERSONALI UTRINQUE REDIMIBILI,

UBI OSTENDITUR

Innumera committi posse in hoc contractu peccata, partim justitiæ, partim charitati, adeoque tam legi naturali, quam divinæ contraria.

INDEX.

§. I. *Utrum contractus censualis personalis utrinque redimibilis vigeat in Germania?*

§. II. *Utrum hic contractus sit antiquus in Bavaria?*

§. III. *Cujus naturæ sit hic contractus?*

§. IV. *Quomodo differat a mutuo?*

§. V. *An sit licitus cessante omni particulari titulo* lucri cessantis, damni emergentis, *aut* periculi?

§. VI. *Quandonam detur obligatio mutuandi gratis? id est sine ullo censu?*

§. VII. *Quandonam non detur obligatio mutuandi gratis?*

§. VIII. *An iste contractus sit jure naturali illicitus, ubi non habetur moderata taxa census annui.*

§. IX. *An hic contractus sit licitus præcise ob consuetudinem provinciæ, aut legem principis? saltem ubi taxa census annui est moderata?*

§. X. *Solvuntur objectiones.*

§. XI. *In quibus circumstantiis hic contractus sit usurarius.*

§. XII. *An hic contractus sit saltem periculosus, aut de usura suspectus.*

§. XIII. *An sit abolendus, aut saltem limitandus?*

§. XIV. *Quam timide loquantur ipsemet Patroni hujus contractus?*

§. XV. *An Gabriel Biel approbet hunc contractum?*

§. XVI. *An eundem approbet Lessius?*

§. XVII. *An eum approbet Valentia?*

§. XVIII. *An in favorem hujus Contractus recte citetur Conradus?*

§. XIX. *Aut Glossa?*

§. XX. *Vel Joannes Major?*

§. XXI. *Aut Covarruvias? Et quinam alii Authores citentur pro hoc contractu?*

§. XXII. *An hic contractus sit approbatus per Constitutiones Romani Imperii?*

§. XXIII. *An hic contractus positive approbetur in Jure Bavarico?*

§. XXIV. *Utrum usuræ saltem moderatæ in ratione quinque pro centum fuerint antiquitus positive approbatæ per Imperatores, præsertim Christianos?*

§. XXV. *An alii contractus huic contractui censuali similes viguerint quinque anterioribus sæculis.*

§. XXVI. *Utrum omnis usura sit peccatum mortale?*

§. XXVII. *Utrum sit hæreticum, si quis dicat, usuras moderatas, aut usuras minus rigorose sumptas, esse licitas?*

DISCUSSIO THEOLOGICA

DE

CONTRACTU CENSUALI

PERSONALI

UTRINQUE REDIMIBILI.

§. I.

Utrum contractus cenſualis perſonalis utrinque redimibilis vigeat in Germania?

Uid ſit contractus cenſualis perſonalis utrinque redimibilis, ſuppono notum ex authoribus. Eſt enim pactio creditionis cum mutuatario, vi cujus mutuatarius creditori ſe obligat ad annuum cenſum & ad reſtituendam creditori pro ejus arbitrio ſummam, cenſibus interea perceptis non computatis in ſortem, ita tamen ut & mutuatarius habeat libertatem, reſtitutione ſummæ reſolvendi contractum. Contractus vocatur *perſonalis*, quia obligatio mutuatarii non inhæret bonis immobilibus, quibus pereuntibus pereat & obligatio ſolvendi cenſus, ſed inhæret perſonæ, ad quamcunque fortunam devenerit, & omnibus etiam illius perſonæ juribus perſonalibus, cum quibus tranſit etiam ad hæredes. *Creditor* vocetur *emptor* cenſus; mutuatarius autem vocatur *venditor* cenſus. Ratio autem cenſus ad ſortem ſeu ſummam ordinarie in Germania ſe habet ut 5 ad 100. His prænotatis.

Dico 1. Contractus cenſualis perſonalis utrinque redimibilis ſæculo decimo quinto exeunte necdum fuit communiter uſitatus, nec approbatus in Germania.

Probatur teſtimonio Conradi Summenhard Eximii Theologi in Germania, qui ſcripſit initio ſæculi 16. In præclaro ſuo opere *de Contractibus*, edito anno 1513. quæſt. 84. Concluſ. 5. ſic ſcribit: *Emptio redditus redimibilis depravatur per hoc, quod facultas repetendi pretium eſt apud emptorem, & non apud venditorem. -- Et ſicut prædicta ratio ſufficienter condemnat emptionem redditus unius floreni pro viginti, quando emptor habet facultatem repetendi pretium, & venditor non habet facultatem redimendi; ita etiam ex eadem patet ratio reproban-*

di emptionem redditus unius floreni pro viginti, quando uterque habet facultatem, ille repetendi pretium, & alter redimendi redditum; qui tamen contractus nonnunquam inter nobiles & militares nostræ patriæ (Sueviæ) *reperitur*. Ex hoc testimonio Conradi patet, contractum istum non fuisse celebratum passim, sed *nonnunquam*; neque in quavis conditione hominum, sed inter *nobiles & militares*. Plura de mente Conradi circa hunc contractum, & quomodo admittat, eum speculative defendi posse, videantur infra §. 18.

Dico 2. Sæculo decimo sexto in Germania nondum passim viguit contractus censualis personalis utrinque redimibilis.

Probatur 1. Ex Constitutione Caroli V. Imperatoris edita Augustæ anno 1548. ubi contractus censuales utrinque redimibiles tanquam usurarios habendos & puniendos esse declarat. Tit. *De usurariis contractibus* sic habet: *Quia redemptiones censuum ubique terrarum communiter receptæ sunt, ideo non nisi centum florenis quinque floreni annui census, ut consuetum est, emi debent; & renuntiatio ejusdem census per viam redemptionis, ut redimendi jus est, penes venditorem, non emptorem erit, non attenta quacunque forma ea concepta sit in instrumento. Et si quid ultra datum, acceptum vel tractatum fuerit, volumus* (eas) *conventiones tanquam usurarias & infirmas censeri* (&) *per judicem puniri oportere*. Vide infra §. 22. num. 3. Hanc constitutionem Carolinam pro scopo habuisse contractus censuales *personales*, non autem *reales*, colligitur ex observantia immediate subsequente, de qua in probatione sequente.

Probatur 2. Sæculo decimo sexto in Archiviis non extant exempla contractuum censualium personalium utrinque redimibilium; sed tantum contractuum censualium realium utrinque redimibilium aut redimibilium ex parte solius venditoris, prout monstrabitur §. 2.; Ergo illo tempore nondum viguerunt contractus censuales personales utrinque redimibiles, saltem passim. *Antecedens probatur*, ex Archivio nostro Pollingano, ubi pro anno 1559. 1568. & 1598. tantum habentur censuum realium utrinque redimibilium obligationes.

Exemplum 1.

Nos Gregorius Præpositus & N. Decanus monasterii Pollingani testamur, quod pro centum florenis vendiderimus in perpetuum Wolfgango Leys & ejus hæredibus censum annuum quinque florenorum de, ex, & in bonis propriis nondum alias obligatis nostræ Ecclesiæ -- Reservavimus tamen nobis facultatem redemptionis & retrovenditionis perpetuam. Præterea si Wolfgangus Leys, aut ejus hæredes pecuniam suam aliquando repeterent, aut illa indigerent, & hoc dimidio prius anno denuntiarent, spondemus, nos præfatam summam cum omnibus restantibus censibus sine morâ persoluturos: ad quod oppignoramus omnia bona Ecclesiæ. Actum anno 1559., id est, undecim annis post præfatam constitutionem Carolinam. Similis quoad substantiam est altera obligatio de anno 1568, & 1598. prout patet ex earum formulis germanico idiomate exhibendis §. 2.

Dico. 3. Sæculo XVII. contractus censualis personalis utrinque redimibilis sensim tandem invaluerunt in Germania, primum quidem timide, ad finem autem illius Sæculi etiam intrepide.

Probatur. 1. Ex testimonio Laymani, qui scripsit anno 1630. & Haunoldi, qui scripsit anno 1670. Prior hic affert. 5. c. 18. sic scribit: *Census utrinque redimibilis, præsertim realis, pacto etiam assecurationis adjecto probabiliter defenditur. Probatur. Contractus, qui in aliqua regione celebrari solitus est, præsertim a viris doctis & honestis, licet dubii & obscuri juris sit, atque usuræ quandam speciem præseferre videatur, non tamen ideo injustus & usurarius censeri debet. Passim autem in Germania nostra a viris etiam probis & doctis instituitur census iste utrinque redimibilis cum pacto assecurationis. -- Denique plures audivi, qui adeo contractum illum Germanicum in his regionibus invaluisse testantur, ut sine maxima negotiationum & commerciorum jactura tolli non posse videatur. Cur in assertione addiderim, PRÆ-*

SER-

SERTIM REALIS, cauſa eſt, quia a contractu perſonali utrinque redimibili cum pacto aſſecurationis multi viri docti magis abhorrent, quod majorem uſuræ ſimilitudinem gerere videatur. Ita Layman.

Haunoldus vero in ſuo Opere *De Jure & juſtitia* edito anno 1671. Tom. 2. tr. 9. Controv. 10. §. 8. dicit: *Uſus receptiſſimus habet, ut abſque ullo ſcrupulo exigantur in ſingulos annos quinque v. g. pro centum, abſque eo, quod alius titulus allegetur, aut in judicio probandus ſit. Ac proinde videntur creditores exigere quinque non recurrendo ad alios titulos, ſed quia contractus ſolet ita communiter fieri, & non improbatur a Republica. Hunc titulum* (dominii alti) *impugnat Wadingus, quia non probatur, Rempublicam approbare hanc conſuetudinem, ſed ſolum tolerat. Ad hoc tamen videtur reſponderi poſſe, ſatis approbari per hoc, quod in judiciis & tribunalibus talia auctaria adjudicentur.* Ita Haunoldus, cui tamen non aſſentio, quod ſine omni titulo particulari hunc cenſum perſonalem approbet, vel a Republica poſitive approbari exiſtimet, prout videbimus infra.

In *Confirmationem* ſervit teſtimonium P. Sporer, qui ſcripſit Sæculo XVII. exeunte tract. 6. cap. 6. num. 26. ſic ſcribit. *Juxta hactenus probabiliter dicta per emptionem cenſus perſonalis utrinque redimibilis per ſe ſalvari poſſe videtur uſitatiſſimus ille in Germania contractus accipiendi 5. pro 100.*

Probatur. 2. Ex variis formulis obligationum, partim Sæculo XVII. vergente, partim hoc primum, quod currit, Sæculo XVIII. initarum etiam authoritate publica. Una hujuſmodi obligationum, quæ conſtituta eſt a Statibus Provincialibus Bavariæ, ex idiomate germanico latine reddita ſic ſonat: *Nos Statuum Provincialium Deputati & Commiſſarii teſtamur pro nobis & noſtris ſucceſſoribus, quod nobis ad facilitandam exonerationem debitorum Electoralium a venerabili Monaſterio Polligano titulo ſpontanei mutui,* (freywilligen anlehens) *Summa N. N. in numerata pecunia perſoluta fuerit. Spondemus itaque & promittimus ſub fide publica, quod præfato Monaſterio Pollingano a die dati hodierni 100 ſolum ſimus præſtaturi annuum cenſum* (verzinſen) *in ratione quinque pro centum, eumque a Steuris, aliiſque deductionibus liberum; ſed etiam, cum reſervata fuerit utrinque redimibilitas, promittimus, nos ipſam ſummam, ſi dimidio prius anno a nobis illius ſummæ reſtitutio petita fuerit, fideliter in pecunia proba reſtituturos & perſoluturos. In horum fidem tradidimus præfato Monaſterio præſentes Provincialis aſſecurationis in forma conſueta litteras. Actum Monachii 9. Februarii 1732.* Infra appreſſa ſunt quatuor Deputatorum Provincialium Sigilla cum ſubſcriptione Præfecti ærarii publici. Similes obligationes reperiuntur plurimæ, ubi tamen obſervo, in obligationibus privatorum pro aſſecutione ſummæ obligari ac hypothecari omnia aut aliqua determinata bona debitorum, prout ex ſequentibus obligationum formulis ſeu potius copiis patebit.

Formulæ obligationum privatarum ex idiomate germanico latine reddite.

1. *Ego N. N. Teſtor tenore præſentium, quod Nobili D. Franciſco Auer J. U. Licentiato, & Regiminis Electoralis Landishutani Advocato, item D. Petro Oberndorfer interioris conſilii ibidem conſiliario, conſtitutis tutoribus relictorum liberorum a N. N. debeam ſexaginta florenos, quos impendi ad emendos duos agros N. N. Promitto proin, me annuatim in die S. Udalrici pro hac ſumma penſionem & intereſſe trium florenorum perſoluturum. Ut vero præfati tutores aſſecurentur, ideo ex pacto hypothecamus iis prædictos duos agros a me emptos, in ſpecie vero omnia mea bona mobilia & immobilia, præſentia & futura, ita ut ſi moram traxero in reſtituenda ſumma, ad quam renuntiandam dimidio prius anno utraque pars ſibi liberam reſervavit facultatem, aut in perſolvendo Intereſſe, ipſis liberum ſit, capere poſſeſſionem hypothecæ ſpecialis vel generalis, donec plenam ſolutionem obtinuerint. In horum fidem damus præfatis tutoribus præſentes obligationis litteras, munitas ſigillo Prænobilis D. Auguſtini Heislinger J. V. Doctoris & Sereniſſimi Electoris Bavariæ in Præfectura Rovenburgiana*

Vicarii, & aliorum duorum teſtium N. N. Actum 3. Julii 1674.

2. *Nos Heinricus N. & Georgius N. teſtamur, quod æditui Eccleſiæ S. Georgii in Griesbach N. N. viginti florenos commodaverint Joanni N., & quod nos hujus ſummæ fidejuſſores, atque in caſu defectus debitores noſmetipſos judicialiter conſtituerimus. Promittimus proin præfatis ædituis, nos pro illa ſumma viginti florenorum annuatim in die S. Michaelis cenſum unius floreni perſoluturos; & ſi præfati æditui aut eorum Succeſſores illam ſummam a principali debitore, aut a nobis repetierint, ipſam ſummam, præmiſſa tamen nobis prius trimeſtri renuntiatione, cum Intereſſe nondum ſoluto reſtituturos. Ne autem præfati æditui aut eorum Succeſſores vel ipſa Eccleſia propterea per expenſas, aut moram damnificentur, poterunt ea omnia quærere in noſtris fidejuſſorum bonis, domibus, & mobilibus nullo excepto, quorum tamdiu apprehendere poſſeſſionem poterunt, donec ſumma cum reſiduis Intereſſis & expenſis perſoluta fuerit. In horum fidem damus has obligationis & fidejuſſionis litteras præfatis ædituis, quas conſcripſit & ſuo ſigillo communivit Nobilis D. Andreas Ebner Sereniſſimi Electoris Bavariæ in Dingefingana Præfectura Vicarius. Teſtes fuerunt Ferdinandus Streite Procurator judicialis cauſarum & Thomas N. Datum 9. Aprilis 1670.*

Similis quoad ſubſtantiam formæ ſunt aliæ obligationes erectæ coram Magiſtratibus urbium; aut coram aliis Dominis Juriſdictionalibus, etiam Eccleſiaſticis, ut plane de univerſali praxi ſaltem in Bavaria dubitari non poſſit. Addo unicam Monaſterii alicujus, in quo nec minimum erat periculum ſolutionis promptæ recuperandæ.

3. *Nos D. G. Elilandus Abbas, Waldramus Prior, & totus Conventus Monaſterii N. teſtamur, quod Illuſtriſſima D.D. N. N. Sereniſſimi Principis Electoralis gubernatrix nobis commodaverit ſummam. N. pro annuo cenſu in Provincia conſueto, & utrinque, facta prius ſemeſtrali renuntiatione, redimibili. Promittimus proin fide ſacerdotali, nos eam ſummam, ſi nobis prius anni dimidio renuntiatio facta fuerit, fideliter reſtituturos. Ut vero præfata Illuſtr. Domina aſſecuretur, hypothecamus illi omnia & ſingula bona noſtræ Eccleſiæ, ita ut ſi in reſtitutione præfatæ ſummæ quingentorum florenorum moroſi fuerimus, poſſit a Conſilio Aulico petere immiſſionem in bona noſtri Monaſterii, eaque tamdiu poſſidere, donec plenam ſolutionem tam Summæ capitalis, quam reſiduorum cenſuum obtinuerit. ----- Actum in noſtro Monaſterio. N. 11. Julii 1693.*

§. II.

Utrum conſuetudo conſtituendi contractus cenſuales utrinque redimibiles ſit antiqua in Bavaria?

IN *Bavaria ab anno* 1500. uſque ad annum 1560. tantum viguerunt contractus cenſuales reales, redimibiles ex parte ſolius venditoris.

Ab anno 1560. uſque ad annum 1620. viguerunt contractus cenſuales reales utrinque redimibiles.

Ab anno 1620. irrepſerunt etiam contractus cenſuales perſonales utrinque redimibiles, quamvis nondum per id temporis a Doctoribus Ingolſtadianis habiti fuerint pro licitis.

Hæc omnia aſſerta probantur ex variis obligationum exemplis, quæ ſumpſi ex noſtro Archivio Pollingano. In latinum ex germanico verſa ſic ſonant.

1. *Exempla contractuum cenſualium realium, redimibilium ex parte ſolius venditoris, ab anno* 1513. *uſque ad annum* 1561.

Exemplum I.

Nos Joannes Vendt Præpoſitus, & Conventus Pollinganus teſtamur, quod venditione perpetua Joanni Gartner &c. & ejus hæredibus vendiderimus quinque florenos ex omnibus ac ſingulis Eccleſiæ noſtræ prædiis, bonis, ac cenſibus, ubicunque poſſeſſis, aut in futurum obtinendis; pro quibus præfatus Joannes Gartner nobis ſolvit centum florenos. -- Conceſſit nobis tamen præfatus Joannes Gartner ſuo & hæredum nomine hoc beneficium, ut haberemus jus cenſum annuatim

tim reemendi ac redimendi. Actum Pollingæ 1524. Similis tenoris eſt alia ejuſdem Præpoſiti obligatio de anno 1513. & 1525.

Exemplum II.

Nos Gregorius Præpoſitus, & Conventus Pollinganus teſtamur, quod Ludovico Lindaver vendiderimus annui cenſus quindecim florenos ex prædio Eccleſiæ noſtræ in Egertſried, quod in emphiteuſin habet Paulus Lampl, pro quibus præfatus Ludovicus nobis ſolvit trecentos florenos. Conceſſit nobis tamen præfatus Ludovicus Lindaver ſuo & ſuorum hæredum nomine beneficium, ut haberemus perpetuum jus reemendi. Actum Pollingæ 1536.

Exemplum III.

Nos Gregorius Præpoſitus & Conventus Pollinganus teſtamur, quod venditione perpetua vendiderimus Wolfgango Herzog civi Monacenſi decem florenos annui perpetui cenſus ex prædio noſtro ſito in Geiſelbronn, in quo nunc Bartholomæus Oſtermays habet Emphiteuſin alteratam, pro quibus præfatus Wolfgangus nobis ſolvit ducentos florenos. Attamen reſervavimus nobis & noſtris ſucceſſoribus jus perpetuum reemptionis. Actum Pollingæ 1536.

Exemplum IV.

Ego Alexander Verchl Civis W. teſtor meo & meorum hæredum nomine, quod DD. Gregorio Præpoſito Pollingano & Conventui illius vendiderim ſex florenos annui cenſus ex mea domo pro centum quadraginta ſeptem florenis. Reſervavi tamen mihi & meis hæredibus jus perpetuum reemendi reſtitutione ſummæ & cenſuum reſtantium. Actum 1561.

2. *Exempla contractus cenſualis realis utrinque redimibilis ab anno* 1560. *uſque ad annum* 1620.

Exemplum I.

Nos Gregorius Præpoſitus, Decanus, & Conventus Pollinganus teſtamur noſtro & noſtrorum ſucceſſorum nomine, quod pro centum florenis venditione perpetua vendiderimus Wolfgango Leys & ejus hæredibus quinque florenos annui cenſus ex bonis noſtræ Eccleſiæ propriis. Reſervavimus tamen nobis & noſtris ſucceſſoribus perpetuum jus reemptionis. Præterea, ſi præfatus venditor Wolfgangus Leys aut ejus hæredes indigebunt ſua pecunia aut eam repetent, idque dimidio prius anno inſinuant, obligamus nos ad ſolvendam præfatam Summam capitalem, & ad ſolvendos omnes cenſus nondum perſolutos, atque ad hoc hypothecamus omnia bona noſtræ Eccleſiæ. Actum Pollingæ 1559.

Exemplum II.

Nos Erhardus Præpoſitus & Conventus Pollinganæ Eccleſiæ teſtamur, quod pro ſexaginta florenis venditione perpetua Caſparo Baur & ejus hæredibus vendiderimus tres florenos annui cenſus ex prædio & ejus redditibus, quod nunc poſſidet Wolfgangus Baur ejus filius. Reſervavimus tamen nobis jus perpetuum redemptionis, ita ut, quandocunque ipſi ſexaginta florenos cum reſtantibus cenſibus PERSOLVERIMUS non poſſint eſſe inviti. Si vero venditor aut ejus hæredes ſummam principalem repoſcant, volumus, ut id tribus prius menſibus ante tempus annui cenſus inſinuetur; tunc enim perſolvemus ſummam principalem cum reſtantibus cenſibus ſine diminutione. Ad quod hypothecamus præfatum prædium in Spazenhauſen. Actum Pollingæ 1568.

Exemplum III.

Nos Joannes Pfefferlin civis Schongavienſis & Anna ejus uxor teſtamur noſtro & noſtrorum hæredum nomine, quod DD. Caſparo Præpoſito Pollingano, ejus Conventui, eorumque ſucceſſoribus vendiderimus pro triginta florenis unum florenum annui cenſus ex propria noſtra domo & horto in oppido Schongaviano ſitis. Et quamvis hoc ſit & vocetur venditio perpetua, reſervavimus tamen nobis jus redimendi hoc pacto, ut, ſi nos aut noſtri hæredes, aut præfatus D. Præpoſitus & ejus Conventus aut

eo-

eorum successores summam principalem ibidem relinquere nollent, una contrahentium pars alteri id dimidio prius anno insinuet; qua insinuatione facta obligatos nos fatemur ad persolvendos præfatos triginta florenos cum omnibus censibus restantibus. Actum 1598.

3. *Exempla contractus censualis personalis utrinque redimibilis ab anno* 1620. *usque in præsens.*

Exemplum I.

Nos Chilianus Præpositus, Paulus Decanus, & Conventus Monasterii Pollingani testamur, quod Joannes Zimerer nobis mutuos dederit quadringentos florenos. Promittimus nostro & nostrorum successorum nomine, nos singulis annis persoluturos censum in ratione quinque pro centum. Si vero nobis non placuerit, eam pecuniam diutius servare aut relinquere, una pars alteri dimidio prius anno restitutionem insinuet; qua insinuatione facta solvemus summam capitalem cum censibus restantibus. Ut Joannes Zimerman & ejus hæredes securitatem habeant, hypothecamus ipsis prædium nostrum in Forsteriet &c. Actum 1623.

Exemplum II.

Nos Chilianus Præpositus, Chrysostomus Decanus, & Conventus Pollinganus testamur, quod D. Balthasari Kever debeamus quingentos florenos, quos ille nobis dedit mutuos. Promittimus pro iis censum annuum viginti quinque florenorum. Si vero nobis non amplius visum fuerit, eam pecuniam diutius reservare, aut creditor eam diutius apud nos relinquere noluerit, una pars alteri dimidio prius anno summam renuntiet. Ut vero præfatus creditor securitatem habeat, hypothecamus ipsi omnia nostra bona in communi eo pacto, ut si post semestralem præviam renuntiationem morosi fuerimus in persolvenda summa capitali & annuis censibus, præfatus creditor potestatem habeat usucapiendi bona nostra. Actum Pollingæ 1632.

Exemplum III.

Similis tenoris est alia obligatio Antheri, Præpositi nostri, anno 1646.

Dixi, eo tempore, nempe anno 1620. a Doctoribus Ingolstadianis contractus censuales personales utrinque redimibiles nondum fuisse habitos pro licitis: idenim non solum patet ex Opusculo Henrici Canisii Professoris Canonum Ingolstadiani, edito anno 1709., sed etiam colligitur ex Responso Facultatis Juridicæ Ingolstadiensis, dato & impresso anno 1623. sub titulo, *Relatio & nova decisio causæ &c. Authore Henrico Petræo Spinæ*. ubi universim tam a Doctoribus Ingolstadianis, quam a Petræo Spirensi *Icto* supponitur, contractum commodatæ pecuniæ ad arbitrium creditoris resolubilem pertinere ad contractum *mutui*, non ad *emptionem census*. Petræus ibi fol. 181., citat Gailium pro se, qui lib. 2. observ. 7. num. 14. sic scribit: *Illud pugna caret, contractum illum mutuum esse, non emptionem, quando pecunia non alienatur in omne tempus, sed arbitrio creditoris permittitur, ut eam certo die repetere possit, & interim ei annua pensio quædam ex pecunia solvatur*. Et fol. 169. Doctores Ingolstadienses dicunt: *In emptione census annui jus redimendi conceditur soli venditori, non emptori ut patet ex constitutione imperii de anno* 1548.

§. III.

Cujus naturæ sit contractus censualis utrinque redimibilis, nunc usitatus in Germania?

Dico 1. Contractus censualis, ab uno circiter sæculo usitatus in Germania, non est pure realis. *Probatur*. In contractu censuali, nunc usitato in Germania, expresse deducitur in pactum, ut pereuntibus omnibus bonis debitoris, nihilominus persona maneat obligata ad solutionem tam census, quam sortis, prout patet ex formulis obligationum §. 1. & 2. adductis. Ergo contractus censualis germanicus non est pure realis,

lis ; hujus enim natura eſt , ut conſtituatur in bonis frugiferis , quibus extinctis etiam extinguitur jus & obligatio ad cenſum.

Confirmatur ex *Articulo* 7. Tit. 13. Juris Bavarici , ubi expreſſe ſtatuitur , ut debitor facta ceſſione bonorum , ſi poſtmodum ad pinguiorem fortunam venerit , teneatur ad ſolutionem *omnium* , quæ ante ceſſionem bonorum debuerat , conſequenter etiam ad ſolutionem cenſuum prius debitorum . Ex quo patet , cenſum & ſortem per ceſſionem , cui æquiparatur in hoc ſubhaſtatio bonorum, non fuiſſe extincta.

Dico 2. Contractus cenſualis, ab uno circiter ſæculo in Germania uſitatus , non eſt perſonalis in eo ſenſu, ut cenſeatur conſtitui in induſtria perſonæ.

Probatur 1. Quia in nullo ejuſmodi contractu , quamvis judicialiter in optima forma erecto , & a Notariis publicis conſcripto illud conſtitutionis cenſualis ſubjectum exprimitur , prout tamen deberet exprimi more contractuum cenſualium realium, in quibus exprimitur cenſum conſtitui *in & ex* bonis immobilibus debitoris.

Probatur 2. In proceſſu ſubhaſtationis, aut in judicialibus excuſſionibus debitorum nec minima fit unquam reflexio aut cenſuum remiſſio pro illo tempore, quo induſtria , opera, & labor debitoris non erat lucratoria ultra neceſſaria ſuſtentationi congruæ , aut conſervationi vitæ ; prout tamen fieri deberet, ſi cenſus foret conſtitutus in induſtria perſonæ , idipſum fatentibus ipſis Theologis germanis , cenſum hunc germanum in induſtria perſonæ conſtitui exiſtimantibus.

Probatur 3. In contractibus cenſualibus, non quidem realibus, attamen cum oppignoratione bonorum, conceditur in germania creditori immiſſio in bona debitoris ſine ullo reſpectu aut exceptione pro illis annis , in quibus ultra neceſſaria vitæ nil potuit lucrari induſtria perſonæ ; prout tamen fieri deberet reſpectus & exceptio; ſi cenſus foret conſtitutus in induſtria perſonæ. Antecedens patet ex formulis obligationum adductis §. 1. & 2.

Dico 3. Contractus cenſualis, ab uno circiter ſæculo in Germania uſitatus, non habet naturam contractus ſocietatis cum duplicis aſſecurationis pacto, nempe pacto aſſecurationis uno pro ſorte , & altero pro certa portione lucri, prout Valentia exiſtimat.

Probatur 1. Contractus cenſualis in Germania uſitatus habet locum reſpectu quorumvis cujuſcunque conditionis hominum ac maxime eorum , qui ex bonis vel induſtria ultra neceſſariam ſuſtentationem vix lucrantur annuum cenſum , ſeu quinque pro centum ; econtra contractus ille ſocietatis , quem Valentia in contractu cenſuali Germanico includi exiſtimat , ſolum habet locum in caſu , quo lucrum cenſuario provenit probabiliter ad minimum in ratione decem vel undecim pro centum , ita tamen ut ex illo lucro veroſimili relinquantur tria vel quatuor pro aſſecuratione ſortis, & alia duo vel tria pro aſſecuratione cenſus ordinarii, ſeu lucri determinate quinarii.

Probatur 2. Si in contractu cenſuali Germanico involveretur ille contractus ſocietatis , tunc ob enormem lucrorum & periculorum varietatem poſſet & deberet variari ille cenſus ; deberent examinari tam a contrahentibus , quam a judicibus & confeſſariis circumſtantiæ aggravantes vel alleviantes tam lucri ſperati quam periculi ; nec ordinarie ac in pleriſque caſibus illa æſtimatio lucrorum & periculorum conſiſteret intra limites cenſus quinarii , prout oſtenſum eſt probatione prima ; adeoque, cum taxæ legales fiant juxta ea , quæ communiter ut in pleriſque inſunt & accidunt, non poſſet fieri generalis taxa legalis lucrorum & periculorum. Cum ergo ea variatio cenſuum , & examinatio ſingularum circumſtantiarum notabiliter aggravantium nec fiat, nec expediat, non eſt præſumendum , contractum generalem germanicum tacite ſequi naturam contractus ſocietatis.

Dico 4. Contractus cenſualis, a centum

tum circiter annis in Germania usitatus, non fundatur in dispositione Reipublicæ, suo dominio alto Censualistæ jus ad exigendum censum adjicientis, & Censuario obligationem ad solvendum censum imponentis, prout sensit Haunoldus.

Probatur 1. Illa dispositio Reipublicæ neque est expressa, neque tacita, ergo non datur. Quod non sit expressa, patet, quia nulla proferri potest lex aut constitutio, in qua reperiatur ulla de hac re dispositio. Quod autem nec extet dispositio Reipublicæ tacita, *probatur*. Nulla est hujus dispositionis necessitas, nulla utilitas, nulla æquitas, nulla pietas; ergo non datur. Tunc enim solum locum habent dispositiones legislatorum tacitæ, quando eas, ut præsumantur, possit boni communis necessitas, aut evidens utilitas, aut morum & consuetudinum receptarum æquitas, aut Christiana charitas. Jam vero ad illam dispositionem nec cogit necessitas, aut evidens utilitas, aut charitas; quia si pecunia elocatur cum periculo sortis, jam datur titulus propinquus statuendi, determinandi, ac taxandi moderatum censum, quin opus sit ut confugiatur ad titulum generalissimum dominii alti, prout dicetur conclusione sequente. Si vero pecunia elocetur diviti sine ullo periculo sortis particulari, quod non æque reperiatur in creditore, profecto non est causa, in favorem creditoris constituendi suprema potestate dominii alti censum; sicut non est causa constituendi ejusmodi censum in favorem depositarii, cui æquiparandus est ejusmodi mutuatarius dives. *Quod si quis dicet*; hac ratione futurum, ut mercatores, nobiles, & Ecclesiarum Prælati non reperiant creditores pro v. g. augendis commerciis publicis, struendis operibus splendidis, & suscipiendis magnis moliminibus &c. ne sic quidem apparet ulla necessitas statuendi census. Si enim est periculum sortis, jam habetur titulus peculiaris, de quo agetur in conclusione sequente. Si vero nullum fuerit periculum, licebit constituere contractum censualem realem, aut societatis proprie talem, neutri contrahentium ultra limites pacificationis onerosum aut lucrosum.

Probatur 2. Illa dispositio Reipublicæ legem de mutuo naturalem, divinam, ac Ecclesiasticam ad fines a Deo præstabilitos summopere necessariam, prout colligitur ex severitate legum, redderet prorsus otiosam, idque sub prætextu boni publici, cui & illa ipsa lex ex opposito servit; nam illud ipsum, quod hactenus prohibitum erat & comprehensum sub nomine usuræ in bonum totius generis humani, sub prætextu ejusdem boni publici redderet licitum sine ullo alio motivo distincto ac separabili a mutuo, sed ex sola quadam nova formalitate reperibili in omni mutuo. Dedecet autem legislatorem Christianum, sic corrigere leges naturales & divinas, ut practice in ipso opere idem ipsum sine ulla alia externa circumstantia fiat licitum, quod per leges naturales & divinas practice in eodemmet opere & in eademmet circumstantia externa est illicitum. Si Deus & naturæ lumen voluisset in mutuo tantum mutari directionem intentionis internam, non prohibuisset opus, de se indifferens, sed tantum prohibuisset intentionem pravam, prout fit in materia simoniæ circa actiones spirituales lucrosas, v. g. lectionem Missæ, prædicationem, Sacramentorum administrationem &c. neque enim Deus hic prohibet celebrationem Missæ cum receptione eleemosynæ, sed intentionem simoniacam. Hic vero prohibet usuram in opere, non intentionem solum usurariam ex opere. Hinc

Dico 5. Contractus censualis in Germania usitatus est *juris realis* in re usu consumptibili *pro jure personali* ad eandem in specie rem nullo alio charitatis aut justitiæ titulo debita permutatio, & inæqualis valoris per censum lege taxatum legitima compensatio.

Dixi 1. Quod sit *juris realis pro jure personali permutatio*. Quia creditor cedit debitori suum *jus reale*, quod habet in pecunia vel alia re usu consumptibili; ac vicissim ab eodem accipit *jus personale*

sonale ad eandem pecuniam, aut rem usu consumptibilem in specie restituendam.

Dixi 2. *Nullo alio charitatis aut justitiæ titulo debita.* Ubi enim creditor ex obligatione justitiæ aut charitatis tenetur debitori indigenti gratis succurrere, tunc tenetur celebrare contractum mutui, & non habet locum contractus censualis, utrinque onerosus.

Dixi 3. *Inæqualis valoris compensatio.* Quia jus personale ad pecuniam regulariter in æstimatione morali minoris valet, quam jus reale; manifestum enim est, quod ejusmodi *jura personalia* seu debita non censualia longe minoris vendantur, quam est ipsa summa seu *jus reale* in summa. Sic non ita pridem summam nobis debitam mille quingentorum florenorum, seu potius jus personale ad illam summam vendidimus pro dimidio illius summæ. Ex hoc ipso autem sequitur, quod, ubi *jus personale ad rem* non est inæqualis valoris cum *jure reali in re*, sicut nonnunquam contingit, quod in eo casu non habeat locum contractus censualis pluribus monstrabitur §. 4. 5. & 11.

Dixi 4. *Per censum lege taxatum*, nempe in ratione quinque pro centum; neque enim approbo contractus censuales quorundam locorum in Germania, in quibus consuetudine privata nonnullarum urbium etiam extra commercia viget census auctior: neque enim avaritia quorundam mercatorum, aut potentium, in ejusmodi urbibus prævalentium repræsentat æquitatem Statutorum Imperialium, in Comitiis Imperii generalibus provide sancitorum. De quo vide infra §. 11.

Dixi 5. *legitima.* Cum enim valor juris personalis ad sortem in comparatione ad jus reale varius sit pro vario periculo amittendæ sortis, amittendi occasionem alterius lucri, incurrendi damnum, &c. cujus periculi æstimatio regulariter non potest convenienter relinqui privato contrahentium judicio, aut Notariorum vel Judicum examini; ideo Respublica ex casibus occurrentibus seligendo terminos medios frequentius occurrentes constituit taxam generalem ac moderatam illius *Juris personalis periculosi*, decrevitque, universim illud in ratione quinque pro centum minoris, quam *jus reale in re* æstimandum, adeoque in contractibus censualibus, nullo alioquin charitatis titulo debitis, in ea ratione compensandum & commutandum esse. Exempla hujusmodi taxarum legalium habentur innumera v. g. in esculentis, poculentis, fructibus, mercibus, juribus, debitis, *actionibus* ut vocantur mercatoriis. Sic Parisiis, & Londini taxantur ac venduntur *Actiones*, ut vocant, generali quodam pretio, eoque vario pro incremento vel decremento periculi. Sic in nonnullis regionibus tempore vindemiæ ponuntur taxæ generales pro urna vini, quamvis in quavis classe taxarum generalium magna sit pretiorum intrinsecorum differentia. Idem contingit in taxa publica frumentorum tempore penuriæ; in taxa mercium &c. in quibus non obstante varietate quoad bonitatem intrinsecam, nec obstante varietate laboris, expensarum, & industriæ &c. prætio æstimabilium, taxatur tamen pretium commune ac medium, contemperatum casibus frequentius ac ut plurimum occurrentibus. Eodem ergo modo potest etiam lege aut consuetudine constitui taxa generalis *Juris personalis periculosi* ad sortem, commodatam mutuatario.

§. IV.

An & quomodo Contractus censualis germanicus differat a Mutuo?

Dico. Contractus censualis germanicus differt a Mutuo per hoc, quod in Mutuo creditor *pro jure reali in re* usu consumptibili accipiat *jus personale ad eandem rem, nulli conjunctum periculo* sortis, lucri cessantis, aut damni emergentis; aut si pro jure reali accipit jus personale conjunctum cum periculo, id vel ex obligatione justitiæ vel charitatis aut ex motivo ultroneæ largitatis.

Econ-

Econtra contractus censualis germanicus solum locum habet, ubi creditor pro jure reali accipit jus personale conjunctum cum periculo notabili amittendæ sortis, aut cessaturi lucri, aut emersuri damni, nullo ipsum ad subeundum tale periculum obligante titulo justitiæ aut charitatis. Ex hoc autem discrimine primario sequitur alterum, quod nempe in Mutuo nil reperiatur pretio æstimabile, ratione cujus ultra sortem possit creditor exigere censum. Si enim jus personale ad recuperandam pecuniam omni caret periculo amittendæ sortis, aut cessaturi interea ex carentia pecuniæ lucri, aut emersuri damni; eoipso jus personale, quod creditor accipit, in æstimatione morali est ejusdem valoris, ac ipsum jus reale, quod tradit debitori, adeoque non recipit aliquid minori pretio æstimabile, ratione cujus possit exigere compensationem per constitutionem census. Si vero creditor *pro jure reali* accipiat *jus personale*, conjunctum quidem cum periculo, attamen in casu, ubi ad gratis subeundum tale periculum illum obligat aliquis titulus justitiæ aut charitatis; jus personale erit quidem in æstimatione morali minoris valoris, quam *jus reale* quod cedit debitori; non tamen illa inæqualitas jurium erit in tali casu pretio æstimabilis in ordine ad compensationem; quia susceptio periculi, ad quam in casu particulari obligat justitia aut charitas, non præbet jus ad compensationem. Econtra in censuali contractu germanico, quem hic defendo, ponitur intercedere notabile periculum amittendæ sortis, cessaturi interea ex carentia pecuniæ lucri, aut emersuri damni; ponitur etiam, creditorem versari in tali casu, in quo ad subeundum tale periculum non obligetur ullo titulo justitiæ aut charitatis. Itaque jus illud personale, quod creditor in eo casu accipit loco juris realis, erit in æstimatione morali minoris valoris, quam erat jus reale; igitur illud detrimentum, quod creditor patitur in commutatione juris realis pro personali, erit pretio æstimabile; adeoque, cum ad subeundum ejusmodi detrimentum nulla in casu ponatur obligatio justitiæ aut charitatis, illud detrimentum præbet creditori jus ad compensationem æquitati congruam, qualis commode dari & accipi potest per censum annuum.

Dices. 1. Praxis & sensus multorum Doctorum in Germania tenet, censum annuum a quovis postulante mutuum accipi posse, etiamsi non intercedat ullum speciale periculum sortis, aut cessaturi lucri, aut emersuri damni. Ergo ab eo, qui suscipit defensionem census germanici, non debet fundari differentia hujus contractus censualis a Mutuo in speciali aliquo ac notabili periculo, quod creditor simul cum jure personali ad sortem accipit a debitore loco juris realis.

Respondeo. Naturam census germanici non posse ac debere desumi ab aliquo prædicato, de quo ipsimet authores litigant; quod proin non omnes recipiunt; neque enim natura compositorum moralium, qualia sunt contractus, alia est, quam ex arbitrio humano constituitur: consequenter nec illud prædicatum ad naturam contractus censualis germanici pertinere potest, quod illi non tribuitur ferme universali arbitrio nationis germanicæ. Jam vero in hoc solo omnes authores germaniæ & praxis universalis conspirant; licitum esse censum germanicum, quando fundatur in speciali periculo, quod creditor in se suspicit, nullo ad id ipsum obligante titulo justitiæ aut charitatis. In hoc solo proin prædicato, quia omnium arbitrio recepto, constitui debet natura, & constitutivum differentiæ essentialis a mutuo in contractu censuali germanico.

§. V.

An contractus censualis germanicus sit illicitus cessante omni titulo particulari lucri cessantis, damni emergentis, *aut* periculi?

QUæstio versatur in casu, quo creditor ex mutuatione pecuniæ nec patitur detrimentum, nec privatur

tur lucro alioquin veroſimiliter obtinendo, nec incurrit periculum amittendæ ſortis, aut alterius incommodi.

Dico. Contractus cenſualis germanicus eſt illicitus ceſſante omni titulo particulari lucri ceſſantis, damni emergentis, aut periculi.

Probatur 1. Quilibet ſaltem ſub peccato veniali tenetur proximo, poſcenti gratuitum charitatis ſubſidium, exhibere gratis auxilium, ſi illud exhibere poſſit ſine ſuo damno, incommodo, aut periculo. Hoc enim dictat illa lex naturalis: *Prout vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis ſimiliter. Luc. 6.* Hinc & eodem loco Salvator dicit: *Omni petenti te tribue*, puta, ſi id præſtare poſſis ſine tuo damno, incommodo aut periculo; nec habeas rationabilem cauſam denegandi beneficium. Ergo in tali caſu non licet creditori obligare mutuatarium ad contractum potius oneroſum cenſus aut ſocietatis, quam ad contractum gratuitum mutui, quem mutuatarius conſideratis ejuſmodi circumſtantiis rationabiliter petit.

Probatur 2. Si ex parte creditoris nec reperitur lucrum ceſſans, nec damnum emergens, nec periculum damni aut incommodi, *jus perſonale* ad ſortem in æſtimatione morali non eſt minoris valoris, quam jus reale. Nihil enim creditoris intereſt, ſive pecunia ſit in ſua arca, ſive ſit in manu mutuatarii; cum ponatur, ſummam tam ſecure repeti poſſe e manu mutuatarii, quam ex arca propria. Immo non pauci deponunt ſuas pecunias apud ditiores non obſignatas, tribuendo ditioribus liberam facultatem utendi pecuniis depoſitis; eo quod credant, ſecurius ſuas pecunias ſic aſſervari, aut conſervari, quam in arca propria. Atqui ſi *jus perſonale* ad pecuniam, quod creditor a debitore accipit, eſt ejuſdem valoris, ac ipſum *jus reale*, quod creditor debitori tribuit, cum accipiatur æquale pro æquali, non poterit exigi auctorium cenſus, aut debitori imponi onus ineundi contractum cenſualem: ſic enim jam exigeretur aliquid pretio æſtimabile ultra æqualitatem dati & accepti.

Dices. 1. Etiamſi ex parte creditoris nec reperiatur lucrum ceſſans, nec damnum emergens, nec periculum damni aut incommodi, licet tamen creditori dicere, ego nolo tibi dare mutuum gratuitum, ſed volo a te emere aliqua bona mobilia vel immobilia. Ergo etiam licet obligare mutuatarium ad conſtitutionem cenſus utrinque redimibilis, cum contractus cenſualis utrinque redimibilis ſit eminenter favorabilior & acceptior omnibus indigentibus, quam venditio bonorum incommoda.

Reſpondeo 1. Negando antecedens: quia, ut dixi in probatione prima, quando proximus rationabiliter a me determinate petit mutuum gratuitum, quod poſſim præſtare ſine damno, incommodo, aut periculo; non licet mihi, illum obligare ad ineundum contractum ipſi oneroſum, ac nocivum, mihi autem lucroſum.

Reſpondeo 2. poſito, quod non detur obligatio, cuivis rationabiliter poſcenti dandi mutuum gratuitum, quando id fieri poteſt ſine meo detrimento, incommodo, aut periculo, nihilominus in tali caſu non erit licita conſtitutio cenſus; quia conſtitutio cenſus ſe habet per modum emptionis, aut per modum locationis, aut per modum ſocietatis: neutro autem horum modorum licitus erit ille contractus. Nam in emptione ſervari debet æqualitas. Cum ergo in caſu jam ponatur dari æqualitas inter terminos permutationis, nempe inter *jus reale* & *jus perſonale*, non poterit creditor pro ceſſione ſui juris realis aliquid a debitore exigere ultra jus perſonale. In locatione locatarius v. g. operæ aut induſtriæ debet a locante recipere pretium, quod non compenſet alio æquivalenti. Atqui in noſtro caſu locatarius ſuæ induſtriæ tribuit locanti ultra ſuam operam aliud pretio æquivalens, nempe *jus perſonale* ad ſortem, quod in hoc caſu ponitur æquivalere juri reali. De contractu autem Societatis jam ſupra

§. 3.

§. 3. dictum est, eum non posse universim habere locum in contractu censuali; & *confirmatur* specialiter pro hoc præsente casu: quia conferens suam portionem in Societatem, ad hoc ut juste accipiat partem proportionalem lucri, requiritur, ut collata portio non statim in ipso momento contractus compensetur alio æquivalenti. Id autem fit in præsenti; quia creditori statim in ipso momento contractus loco *juris realis*, quod quasi in Societatem infert, datur *jus personale*, quod in circumstantiis præsentis casus æquivalet juri reali.

Dices 2. In *Controversiis novis moralibus* observ. 5 docui, contractum censualem germanicum licite universim constitui sine ullo titulo speciali, seu particulari, dummodo in casu particulari ad mutuandum gratis non obliget lex charitatis. Ergo hoc loco priora retractantur.

Respondeo. Ibi quæstionem fuisse *de speciali designatione tituli particularis* in mente creditoris; an videlicet creditor teneatur in sua mente designare aliquem titulum particularem ad licitam constitutionem census? & fuit dictum, in praxi laboriosa hac designatione non opus esse, dummodo creditor in hoc securum se sciat, quod in tali particulari casu ad mutuandum gratis non teneatur ex obligatione charitatis. Si enim creditor agnoscit, se in tali casu ad mutuandum gratis non teneri ex obligatione charitatis, eoipso jam intercedit aut lucrum cessans, aut damnum emergens, aut periculum damni, incommodi, vel molestiæ pretio æstimabilis; cum juxta dicenda §. 6. cessantibus his tribus titulis universim teneatur ad mutuandum gratis lege charitatis. Hic vero non est quæstio *de designatione* particularis tituli in mente creditoris, puta, expressa, ac specifica; sed est quæstio *de existentia* ac reali necessitate tituli particularis in contractu censuali; & defendo, non posse dari contractum censualem licitum, quin reipsa ac quoad se involvat titulum particularem. Quod si tamen illa mea sententia, §. 6. proferenda, falsa esset, dum videlicet docco, dari obligationem saltem sub veniali gratis succurrendi cuivis poscenti mutuum, si id fieri possit sine nostro damno, incommodo, aut periculo; tunc plane sequeretur, non semper licitum esse contractum censualem, quando ad mutuandum gratis nulla obligat lex charitatis; & in hac hypothesi ipsus dicerem, in contractu censuali licito non solum requiri existentiam tituli particularis, sed etiam designationem in mente creditoris; ne forte incidat in contractum censualem destitutum tali titulo, adeoque illicitum. Sed in mea sententia, ubi omnis contractus censualis in casu non obligantis ad mutuum gratuitum charitatis involvit necessario titulum particularem, non erit opus explicita designatione tituli.

Dices 3. Eoipso, quod illa mea sententia de obligatione charitatis ad mutuum gratuitum in casu quæstionis partim sit incerta, partim plerisque incognita, partim usu, sensuque germanorum non recepta, debuisset ac etiamnum debet populus obligari ad designandum titulum particularem.

Respondeo. Me præfato loco aperte monuisse, nulli licitum esse contractum censualem, qui ad mutuandum gratis tenetur obligatione charitatis. Monui etiam, cum illo loco per modum *observationum* præcise laborarem in confutando, alterius temporis & loci fore, ut explicarem casus præcipuos, in quibus ad mutuandum gratis urgeat lex charitatis. Id igitur hujus loci & temporis est, ubi non suscipitur alienæ doctrinæ perstrictio, sed contractus censualis exacta discussio. Hinc & ultro fateor, ob multitudinem eorum, qui in casu quæstionis existimant, se ex obligatione charitatis non teneri ad mutuandum gratis, urgendum, docendum, prædicandum, immo & definiendum esse, contractum censualem germanicum illicitum esse cessante particulari titulo lucri cessantis, damni emergentis, aut periculi.

Dices 4. Juxta D. Thomam dantur casus, in quibus non tenemur mutuare;

& tamen si mutuemus, tenemur id exequi sine lucro. Ergo non est verum, universim licitam esse constitutionem census lucratoriam, adeoque quæri posse lucrum, quandocunque non obligamur ex lege charitatis ad mutuandum.

Respondeo 1. D. Thomam id velle dicere, ut si quis ultro, non ad id obligante lege charitatis, velit in gratiam amici mutuare, non possit propterea exigere compensationem. Hæc enim duo sibi invicem repugnant, profiteri exhibitionem gratuiti beneficii, & exigere compensationem.

Respondeo 2. Sensum verborum Divi Thomæ forte esse hunc. Etiamsi non teneamur cuivis poscenti mutuare ex obligatione justitiæ, si tamen quis teneatur ex charitate id genus gratuiti beneficii exigente, non posse exinde quæri lucrum. Si hæc non placent, dic, D. Thomam, abstrahendo a lege charitatis, nullum permittere censum, nisi reipsa interveniente titulo particulari.

Dices 3. In omni mutuo intercedit aliquale periculum damni, incommodi, aut molestiæ. Ergo si periculum est sufficiens titulus ad exigendum censum periculi compensatorium, sequitur iterum, in praxi universim posse constitui censum sine respectu ad ullum titulum particularem, utpote in omni mutuo imbibitur.

Respondeo. Periculum, quod authores ponunt pro titulo, non debere esse generale, aut commune, aut tam levis considerationis, ut in æstimatione morali prudentum & proborum habeatur pro nullo. Denique damnum illud aut malum, cujus incurrendi datur periculum, debet esse pretio æstimabile. Non debet esse *generale*, id est, tam creditori quam debitori *commune*, quale est ex fulmine, incendio, furto, incursione hostium &c. Nec debet esse *levis momenti*, quale est periculum casus prorsus extraordinarii ac rariſſimi, v. g. si timeretur, ne mutuatarius, qui est alioquin vir probus, debitum sit negaturus, aut præ desperatione aufugiturus &c. Debet etiam damnum, aut incommodum, cujus incurrendi datur periculum, esse pretio æstimabile: hoc enim incommodum v. g. quod creditor timeat se habiturum anxietates animi, aut quod metuat publicationem suarum divitiarum, non est per se pretio æstimabile incommodum. Jam ex hoc patet, non in omni mutuo intervenire particulare periculum, puta vel amittendæ sortis, vel ex carentia pecuniæ incurrendi damni, aut elabendæ interea occasionis opportunæ ad lucrum.

Ut autem appareat, qualia pericula particularia ad exigendum licite censum merito in considerationem venire possint, salva semper lege charitatis, quæ nonnunquam etiam in se recipi pericula præcipit ad sublevandum amicum vel pauperem, ponam hic aliqua ejusmodi periculorum pro conditione regionis vel personæ, vel temporis particularium specimina.

Itaque causæ frequentium damnorum vel in amittenda totaliter aut partialiter lucri, vel in privatione occasionis captandi interea lucri, vel in incurrenda necessitate subeundi propterea damni, possunt & solent esse sequentes.

1. *Exactiones exorbitantes* principum territorialium, sæpe inopinato erumpentes; aut eorum, quibus locatio generalis tributorum, steurarum &c. ut integris provinciis colligendarum facta est. Hoc modo scribitur ferme singulis annis circiter viginti millia familiarum ad pauperatem redigi; & ex eadem causa innumeræ familiæ hastæ tandem subjiciuntur in Germania.

2. *Devastationes bellicæ* frequentes in iis provinciis, in quibus frequenter constituitur theatrum bellicum, prout intra quadraginta annos jam bis factum hoc nostro tempore.

3. *Judicum iniquitas*, qui aut inescati annuis debitorum munusculis, aut ducti commodo suorum principum, quibus subditi alioquin non possent solvere steuras &c. tamdiu non procedunt ad subhastationem, donec bona debitorum aut distracta, aut tantopere obærata sint, ut debita in duplo aut triplo excedant

valorem bonorum residuorum; cujus praxis habentur innumera exempla.

4. *Debitorum malitia*, prodigalitas, fastus, luxuria, gula, ludendi consuetudo, imperitia &c. ex quibus vitiis singulis frequenter inducuntur ad occultam distractionem bonorum, ad novas oppignorationes bonorum reticita fraudulenter hypotheca anteriore, ad fraudulenter celandam naturam bonorum oppignorandorum, reticendo, quod sint feudalia, emphyteutica, fideicommissa subjecta pactis familiæ &c.

5. *Infortunia extraordinaria*, lue animalium, incendiis, terræ motibus, inundationibus, peste, &c. quæ omnia in uno loco sunt frequentiora, quam in alio; aut certe magis ac frequentius infestant bona immobilia, & alia mobilia v. g. pecora, quam pecuniam in arca clausam. Certe ex combinatione harum causarum tam frequenter in Germania perduntur summæ capitales, aut earum pars magna, ut rarus omnino casus sit, in quo conservatio summæ creditæ non notabiliter ac in arca creditoris minus tuta ac certa sit. Itaque nemo tam stultus est, qui *jus in re* commutare libenter velit pro *jure ad rem* personali; & experientia monstrat, ejusmodi jura personalia ad rem frequentissime vendi & emi pro dimidio summæ, aut pro tertia ejus parte. Hinc mirum non est, opus esse coæquatione seu taxatione illorum jurium, & quidem publica, cum omnium horum periculorum judicio privatorum fieri non posset æstimatio sine innumeris inconvenientiis, turbis, litibus, excessibus &c.

§. VI.

Quandonam detur obligatio mutuandi, seu commodandi gratis?

SUppono ex D. Thoma 2. 2. qu. 78. art. 1. ad 4., non semper dari obligationem, cuivis poscenti mutuum obsequi. *Dicendum*, inquit, *quod dare mutuum non semper tenetur homo, & idea quantum ad hoc ponitur inter consilia; sed quod homo lucrum de mutuo non quærat, hoc cadit sub ratione præcepti.* Exinde ergo consurgit maximi momenti quæstio, in quibus casibus titulo justitiæ aut charitatis detur obligatio mutuandi gratis? Hanc quæstionem exacte discutit eximius Theologus & Canonista Conradus Summenhart in opere suo *de contractibus* tract. 2. & 4. Ex quo proin potissimum eruo sequentes conclusiones.

Dico. 1. Constituto in extrema necessitate datur obligatio mutuandi gratis, si non in promptu sint alia sublevandæ illius necessitatis subsidia. *Extrema* autem *necessitas* vocatur illa, in qua constituti exhalarent spiritum, nisi eis subveniatur cibo, potu, vestimento, aut alio simili requisito ad cujuscunque statum proportionato. Ubi tamen D. Thomas in 4. Dist. 15. qu. 2. art. 1. ad 4. in simili casu, nempe de obligatione erogandi eleemosynam, observat, in praxi jam tunc obligare casum extremæ necessitatis, quando occurrunt probabilia signa eventuræ extremæ necessitatis. *Dicendum*, inquit, *quod tempus, ad quod obligat præceptum de eleemosynis faciendis, accipitur ex parte accipientis, quando apparent probabilia signa extremæ necessitatis futuræ, nisi ei subveniatur, ut cum aliquis vidit alios impotentes vel pigros ad subveniendum, & pauperem indigentem cibo, & potu, & aliis vitæ necessariis, nec sibi satisfacere posse; non enim expectanda est ultima necessitas, quia tunc forte non posset juvari natura jam fame vel siti consumpta.*

Conclusio sic explicata *probatur*. In casu extremo necessitatis datur obligatio etiam donandi, seu aliquid non tantum de superfluis, sed etiam necessariis vitæ & status subtrahendi. Ergo multo magis dabitur obligatio mutuandi gratis, quo casu adhuc restituendum est commodatum. Dixi, etiam de *necessariis vitæ aliquid*, quo videlicet subtracto vita propria nihilominus conservaretur, quamvis ægre, quia sicut *decentia status* non con-

conſiſtit in indiviſibili, ita nec *neceſſitas vitæ*.

Excipitur tamen ab hac concluſione caſus, in quo Reipublicæ magis neceſſaria eſt conſervatio ſtatus in divite, quam conſervatio vitæ in paupere, quia bono communi cedere debet conſervatio unius individui.

Excipitur ſecundo caſus, in quo dives ſe privando neceſſariis ſuo ſtatui incurreret pro ſe, uxore, liberis, familia, grave periculum animæ. Sicut enim plus eſt anima quam corpus, ita magis vitandum eſt periculum animæ propriæ ſeu concreditæ, quam vitæ alienæ. Verum hi duo caſus, qui excipiuntur a Conrado, videntur magis eſſe ſpeculativi quam practici. In praxi enim illud modicum, quod impenditur conſervandæ alienæ vitæ, regulariter facile reparari poterit intra exiguum temporis, ne incurratur periculum animæ, aut totalis ſubverſio ſtatus. Vide Conradum tr. 2. qu. 19. concluſ. 8. ubi pro concluſione etiam citat D. Bernardinum.

Dico. 2. Conſtituto in neceſſitate gravi datur obligatio mutuandi gratis, ſaltem ex ſuperfluis ſtatus.

Pro explicatione hujus concluſionis ſciendum, *ſuperflua ſtatus* hic vocari illa, quibus poſitis jam exceditur conditio ſtatus, non illa, quibus ablatis adhuc remanet decentia ſtatus: quia, ut D. Thom. 2. 2. 78. 2. 4. c. obſervat, multa etiam pertinentia ad decentiam ſtatus poſſunt ſubtrahi, ut nihilominus remaneat decentia ſtatus, in inferiore videlicet gradu decentiæ. *Dicendum*, inquit, *quod de rebus exterioribus dicitur nobis aliquid neceſſarium dupliciter: Uno modo, ſine quo non poteſt aliquis eſſe & vivere. Alio modo dicitur nobis neceſſarium quo indigemus ad honeſte vivendum vel decenter ſecundum ſtatum noſtrum. Sed talis decentia non conſiſtit in aliquo indiviſibili, quia multis additis homo non excedit ſtatus ſui conditionem; multis etiam ſubtractis conditio ſtatus ſui decenter conſervatur. Sed tantum poſſet addi, quod eſſet ultra conditionem ſui ſtatus, & tantum diminui, quod non ſervaretur honeſtas vel ſui ſtatus decentia. Et hoc quidem ſermone determinari non poteſt, ſed ſtatur in hoc prudentiæ arbitrio & diſcretionis. -- Illud, quo poſito vel ſubtracto nihilominus decentia ſtatus manet, poteſt in eleemoſynam dari; ſed de hoc eſt conſilium non præceptum. Illud autem quod neceſſarium reputatur ad aliquid, quod eſt ultra decentiam ſtatus, debet in eleemoſynam diſpenſari; & hoc cadit ſub præcepto.* Ita D. Thomas, qui eodem loco monet, ad decentiam ſtatus pertinere, quod ad decentiam ſuorum requiritur. Dixi, *hic*, quia idem D. Thom. terminum ſuperflui ſtrictius ſumit 2. 2. qu. 32. art. 5. ad 3. prout dicetur in fine probationis 3. ad ſequentem concl. 3.

Concluſio ſic explicata *probatur*. De ſuperfluo ſtatus datur obligatio faciendi eleemoſynam etiam non gravi neceſſitate preſſis, prout ex textu D. Thomæ proxime relato colligitur. Ergo multo magis datur obligatio mutuandi, ubi retinetur jus ad repetendam ſortem, præſertim erga gravi neceſſitate preſſos.

Dico. 3. Conſtituto in gravi neceſſitate datur obligatio mutuandi gratis de non neceſſariis ad decentiam ſtatus, niſi cum mutuo conjungatur periculum decidendi infra decentiam ſtatus, ſi pecunia commodetur graviter indigenti.

Pro explicatione hujus concluſionis notandum, quod detur medium inter *neceſſaria ſtatus*, & *ſuperflua ſtatus*, nempe illud, *quo poſito vel ſubtracto nihilominus manet decentia ſtatus*, prout D. Thomas in textu proxime relato loquitur. Ex his *non neceſſariis*, ſeu *indifferentibus* ad decentiam ſtatus juxta D. Thomam non datur obligatio faciendi eleemoſynam; ajo tamen, ex his dari obligationem mutuandi gratis, ſaltem relate ad graviter indigentes, dummodo periculum cum mutuo conjunctum tale non ſit, ut omiſſione vel dilatione reſtitutionis creditor conſideratis aliis ordinariis periculis vel extraordinariis actualibus circumſtantiis facile in ſe vel in ſuis poſſit delabi infra decentiam ſtatus.

Concluſio ſic explicata *probatur* 1.

Christus Matth. 25. declarat, eos damnationis reos esse, qui non succurrunt indigentibus in gravi necessitate constitutis, idque sine ulla distinctione bonorum *superfluorum*, & *indifferentium* ad decentiam status. Ergo etiam sine ulla distinctione eorum bonorum damnationis rei sunt non mutuantes gratis indigentibus in gravi necessitate constitutis. *Consequentia* probatur, quia eadem, immo sæpe major, ratio est mandati divini circa relevamen indigentium per mutuum, ac per eleemosynam vel alios modos subsidii. Dixi *sæpe major*, quia sæpe facilius est mutuare, quam aliis modis v. g. per eleemosynas continuas, aut ministeria corporalia alienam indigentiam sublevare. *Antecedens* autem patet ex verbis Christi, in extremo judicio contra immisericordes proferendis. Evangelista l. cc. sic scribit: *Cum venerit filius hominis in majestate sua & omnes angeli cum eo, tunc sedebit super sedem majestatis suæ; & congregabuntur ante eum omnes gentes, & separabit eos ab invicem, sicut pastor separabat oves ab hœdis; & statuet oves quidem a dextris suis, hœdos autem a sinistris. -- Tunc dicet & his, qui a sinistris erunt: discedite a me maledicti in ignem æternum. Esurivi enim & non dedistis mihi manducare; sitivi, & non dedistis mihi potum; hospes eram, & non collegistis me; nudus, & non operuistis me; infirmus, & in carcere, & non visitastis me. -- Amen dico vobis, quamdiu non fecistis uni de minoribus his, nec mihi fecistis. Et ibunt hi in supplicium æternum.* Hæc omnia, ut jacent, tantum monstrant necessitatem *gravem*, non *extremam*.

Probatur 2. D. Joannes in Epist. 1. cap. 3. docet, non impleri præceptum charitatis a divite, si in gravi necessitate constituto non præbeat auxilium. Ergo etiam violatur idem præceptum, si dives in gravi necessitate constituto ac indigenti mutuo recusat hoc auxilium, si hoc sine periculo labefactandi sui status fieri possit. Nec Evangelista in divite facit distinctionem circa bona *necessaria*, & circa bona *indifferentia* status, quia utrisque sublatis nihilominus est & denominatur dives, seu habens substantiam hujus mundi. Verba Evangelistæ sic habent: *Qui habuerit substantiam hujus mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in illo? Filioli mei, non diligamus verbo, neque lingua, sed opere & veritate. In hoc cognoscimus, quod ex veritate sumus, & in conspectu ejus suadebimus corda nostra -- & quidquid petierimus, accipiemus ab eo; quoniam mandata ejus custodimus. -- Et hoc est mandatum ejus, ut credamus in nomine filii, & diligamus alterutrum, sicut dedit mandatum ejus.* In hoc textu iterum sermo de necessitate gravi. Hanc enim insinuant hi termini: *necessitatem pati*; & *viscera misericordiæ*; qui solum usurpari solent in necessitate gravi, non in levi.

Probatur 3. Datur obligatio, *de non necessariis* ad decentiam status succurrendi per eleemosynam indigenti in gravi necessitate constituto. Ergo etiam in hoc casu datur obligatio succurrendi per mutuum gratuitum, si alio modo v. g. per continuas eleemosynas succurrere nemo possit aut velit.

Antecedens, probatur authoritate Alensis & D. Thomæ. Prior parte 4. *de Sacramento pœnitentiæ* qu. 34. membro 1. ad quæstionem; An qui fortunæ bonis abundat, necessario teneatur facere eleemosynam? sic respondet. *Ad hoc potest dici, quod debito justitiæ debet ille, qui abundat bonis fortunæ, proximo subvenire. Sed aliquibus debet subvenire de rigore, sive de necessitate justitiæ, ut illis qui sunt in extrema necessitate -- peccaret enim, si non subveniret, & mortaliter, ut opinor. -- Aliquibus* (debet subvenire) *de æquitate, utpote illis, qui sunt in evidenti & notabili necessitate. Aliquibus de dispensatione justitiæ, utpote illis, qui in communi consuetudine mendicant, nec tamen apparet in eis signum aliquod notabilis sive gravis indigentiæ, si præsumatur, quod habeant ad pertranseun-*

dum

dum tempus illud. In primo caſu tenetur ſubvenire tentione neceſſitatis; peccaret enim, ſi non ſubveniret, & mortaliter, ut opinor. In ſecundo caſu tenetur tentione æquitatis, id eſt, tenetur de bono & æquo ſubvenire; ſi enim aliquis in non neceſſariis abundat, & non ſubvenit proximo exiſtenti in notabili & evidenti indigentia, præjudicat æquitati juſtitiæ; niſi illa, unde deberet tali ſubvenire (reſervet aliis;) *ut fortaſſe aliquibus, de quorum bonitate magis certus eſt; vel ſunt magis propinqui; quia ſecundum Ambroſium magis ſubveniendum magis propinquis* dist. 86. *Eſt etiam, & etiam magis domeſticis fidei. In tertio autem caſu eſt meritorium ſubvenire, non tamen eſt demeritorium non ſubvenire, ſi ex cauſa aliqua levi, tamen rationabili, non ſubveniat, ut ſi præſumatur, quod habeat indigens, quod illi ſufficiat ad tempus illud tranſeundum.*

Idem part. 3. qu. 59. membro 3. art. 4. §. 1. ſic ſcribit: *In duobus caſibus omittit* (id eſt, peccat peccato omiſſionis) *dives, ſi non dat pauperi indigenti. Primus eſt, indigenti poſito in extrema neceſſitate; & hoc dicit ei conſcientia. Si non tunc dat, peccat mortaliter. Secundus caſus eſt in valde indigenti, ſed non in extrema neceſſitate. Si enim habet quis multa ſuperflua, nec proponit melius diſpenſare, vel æque bene, & tunc non dat, peccat mortaliter. Et ſic intelligitur illud* 1. Joan. 3. *Qui habuerit ſubſtantiam hujus mundi, &c.* & Eccleſ. 4. *Eleemoſynam pauperis ne defraudes, ſed redde ei debitum ſuum. Et in Canone Ambroſius: Non minoris criminis eſt habenti tollere, quam cum poſſis & abundans ſis, indigentibus denegare. Et: Nemo dicat proprium, quod commune eſt; plus quam ſufficit ad ſumptus, violenter obtentum eſt.*

In hoc poſteriore textu Alenſis ponit terminum *ſuperflua*, ubi in priore textu poſuerat, non *neceſſaria*; & infra ex Ambroſio: *plus quam ſufficit ad ſumptus*. Ex quo colligitur, quod Alenſis hunc terminum *ſuperflui* non ſumat in ampliori ſignificatione, prout dicit exceſſum ſupra decentiam ſtatus ſummam, & prout D. Thomas in 4. ſumpſerat, ſed in ſtricto re ſenſu, prout dicit *non neceſſaria*, ſeu *indifferentia* ad decentiam ſtatus, utpote quibus poſitis vel ablatis nihilominus remanet decentia ſtatus. Immo ipſemet D. Thomas videtur correxiſſe ſuam priorem explicationem ſuperflui 2. 2. qu. 32. art. 5. ad 3. ubi *ſuperfluum* & *non neceſſarium* pro eodem ſumit; ſic enim ſcribit: *Dicendum, quod eſt aliquod tempus dare, in quo mortaliter peccat, ſi eleemoſynam dare omittat. Ex parte quidem recipientis, cum apparet evidens & urgens neceſſitas. Ex parte vero dantis, cum habet ſuperflua, quæ ſecundum ſtatum præſentem non ſunt ſibi neceſſaria, prout probabiliter æſtimari poteſt. Nec oportet, quod conſideret omnes caſus, qui poſſunt contingere in futurum. Sed debet dijudicari ſuperfluum & neceſſarium ſecundum ea, quæ probabiliter & ut in pluribus occurrunt.* Ex his ergo patet, quod D. Thomas in ultimo vitæ ſuæ tempore, quo ſcripſit. *Summam*, terminum ſuperflui ſumpſerit, prout opponitur *neceſſario*, ac proin idem ſonat, ac *non neceſſarium* ſeu *indifferens* ad decentiam ſtatus.

Probatur 4. Authoritate D. Antonini, qui ita docet part. 2. tit. 1. cap. 7. §. 2. *Omnis uſura*, inquit, *lege evangelica prohibetur. Dicitur enim* Luc. 6. *Mutuum date nihil inde ſperantes. Et hæc authoritas habet duas particulas. Prima eſt: Mutuum date. Quod quantum ad eos, qui commode poſſunt mutuare ſine notabili detrimento ſui ſtatus erga eos, qui ſunt in magnis neceſſitatibus conſtituti, & quaſi extremis, videtur eſſe præceptum. Quia ſi hoc dicimus de eleemoſyna, a fortiori in mutuo, argumento* dist. 86. *in ſingulis. Alias autem videtur eſſe in conſilio.* Hoc ſolo textu ſpectato videretur D. Antoninus obligationem mutuandi ſolum reſtringere ad caſum neceſſitatis quaſi extremæ; ſed ſi inſpiciatur exactius ejus mens, apparet, eum hoc loco inſiſtere doctrinæ certæ, abſtrahere autem a caſu dubio, nempe a caſu neceſſitatis gravis, quamvis nondum quaſi extremæ; hinc quaſi adhuc dubitando dicit: *alias*, id eſt, extra caſum neceſſitatis quaſi extremæ, *videtur* eſſe in conſilio. Sed re melius exa-

minata declarat, se propendere in eam sententiam, quod etiam in casu necessitatis gravis, quamvis nondum quasi extremæ, detur obligatio dandi eleemosynam, adeoque mutuandi gratis: hac enim argumentatione, tenemur dare eleemosynam; ergo a fortiori tenemur mutuare gratis, D. Antoninus ipsemet utitur non solum in præfato textu, sed etiam §. 15. ejusdem cap. 7. Itaque part. 2. cap. 24. §. 4. sic habet: *Non est dubium, quin illud Christi, quod supereſt, date eleemosynam, sit præceptum respectu illorum, qui sunt in extrema necessitate. De illis autem qui non sunt in extrema necessitate, licet sint in magna verecundia, non audeo definire, nec plene condemnare majorem partem divitum. Sed secundum authoritatem* Joan. 1. cap. 3. *qui non solum loquitur de necessitate extrema, sed notabili & verecunda, videtur sonare hoc.*

Probatur 5. SS. Patres, dum severissime inculcant obligationem subveniendi indigentibus, non loquuntur de casibus extraordinariis ac raris extremæ necessitatis, sed loquuntur de casibus obviis; neque loquuntur de solis divitibus habentibus *superflua supra decentiam* status; sed loquuntur de divitibus habentibus *non necessaria* seu indifferentia ad decentiam status. Ergo datur obligatio subveniendi adeoque & mutuandi gratis gravi indigentia pressis ex non necessariis seu indifferentibus ad decentiam status; cum mutuandi eadem, immo major sit ratio, si aliis mediis indigenti subvenire nemo possit aut velit. *Antecedens* probatur ab inductione quorundam textuum, quibus addi possent plurimi alii simillimi.

I.

D. Basilius in Psalm. 14. ad illa verba: *QUI PECUNIAM SUAM NON DEDIT AD USURAM.* Sic scribit: *Homo animal politicum est, & sociale. In communi vero convictu ad sublevandam alienam inopiam opus est in alios liberali rerum largitione. PETENTI NAMQUE Te, da. Vult te omnino erga petentes ob fraternam charitatem esse facilem in simplicitate, ad rationis tamen libellam, ut petentis te appendas necessitatem -- His qui misericordiam in illos maxime ostendunt, qui patienter tribulationem ferre didicerunt, illa a Domino verba dicentur: ESURIVI ET DEDISTIS MIHI MANDUCARE &c.* Et *QUI VULT A TE MUTUUM ACCIPERE, NE AVERTARIS; quod præceptum pendet ex prius dictis: Nam & pauper, qui hic te petit, utique mutuum ex te petit, illum tibi ostendens divitem in cœlis, qui pro eo solvet debitum. --- Inhumanitas est maxima, si is qui egestate premitur, mutuum ad vitæ subsidium quærat, dans vero minime sorte contentus ex miseri calamitate proventus & opes sibi excogitet. Dominus enim palam nobis præcipit: NE VULTUM AVERTAS AB EO, QUI ABS TE MUTUUM PETIT. Avarus autem videns inopem necessitate coactum ad genua sua supplicem procumbentem non miseretur illius; communem non cogitat naturam; sed negando perseverat. Postquam vero conspicit miserum illum usuram sortis ultro offerentem subridere incipit. Tunc videamus, inquit, si non nihil relictum est depositi argenti -- Officium tuum fuerat, hominis depressi egestatem consolari ac leniorem reddere; tu contra potius adauges, fructum ex homine destituto quærens. --- Et tu inopum calamitates materiam tibi constituis augendi proventus? Quod accipis ex paupere, omne superat odii in homines exemplum. Ex calamitatibus pauperum quæstum facis; ex lachrimis argentum tibi corradis, nudum strangulas; famelicum cædis; misericordia nulla subit mentem. Igitur a volente accipere mutuo ne vultum avertas; nec pecuniam tuam dederis ad usuram.*

II.

Gregorius Nyssenus in oratione *contra usurarios*, dicit: *Illum qui mutuum petit, ne averseris; ob inopiam tibi fit supplex, foribusque tuis assidet; cum egens sit, confugit ad tuas copias, ut ab*

eò egestatem depellas. At tu contrarium facis; opitulator vertitur in hostem; non enim opem fers, ut ex illa, qua premitur inopia, evadat, sed seris afflicto mala, nudum exuens, vulneratum denuo vulnerans, curas curis accumulans, dolores doloribus addens. -- Sed, inquient (usurarii). *Ergo a mutuo dando supersedebimus, & quam vitam agent inopes & afflicti? Digna profecto moribus istorum oratio! ut enim minantur se pauperibus non daturos mutuum; sic minantur, egenis venientibus sese occlusuros januam. Ego vero primo dandum & donandum esse prædico, & annuntio; deinde ad mutuum quoque exhortor. Altera enim donationis species est mutuum; sed addo, hoc dandum esse sine fœnore, & exactione usuraria; eoque modo, quo id divina oracula præcipiunt. Æque enim obnoxius est pœnæ, qui non dat mutuum, & qui dat sub conditione usuræ. Illius namque inhumanitas, hujus vero cauponarius quæstus merito condemnatur. Ast illi ultro ad alterum extremum se conferunt, omnique modo a dando abstinere volunt; quod sane imprudens est propositum, & contra jus fasque furiosa contentio, lisque & bellum contra Deum. Vel enim non dabo, inquit; vel mutuum dantis contractum faciam fœneratitium.*

III.

D. Ambrosius Lib. De Tobia cap. 2. *Quod Tobias commodavit pecuniam, & non fœneravit, justi servavit officium. Malum est enim fœnus, quo quæruntur usuræ; sed non illud fœnus malum, de quo scriptum est: fœnera proximo tuo in tempore necessitatis illius: nam David ait: Justus miseretur & commodat.* Cap. 3. *Multi dispendii metu non fœnerant, dum fraudem verentur. Et hoc est, quod petentibus consueverunt referre. Horum unicuique dicitur:* (Eccl. 29.) *Perde pecuniam propter fratrem & amicum, & non abscondas illam sub lapide in perditionem. Pone thesaurum tuum in præceptis altissimi, & proderit tibi magis quam aurum. Sed obsurduerunt aures hominum ad tam salutaria præcepta; & maxime divites. Simul ut aliquis necessitate constrictus, aut pro suorum redemptione sollicitus, quos captivos barbarus vendit, rogare cœperit, statim dives vultum avertit, naturam non recognoscit, humilitatem supplicis non miseretur, non lachrimis movetur, jurans quod non habeat. At ubi usurarum mentio facta fuerit, arridet. Quæremus, inquit, domi, si quid nobis peculii est. Frangam propter te argentum paternum, plurimum damni erit; quæ usuræ compensabunt. Misericordes plane viri? usuras solvit, qui victu indiget. Quid gravius?*

Idem Lib. 3. de officiis cap. 3. docet, omnes lege naturali humanitatis adstringi, ut indigentibus gratis subveniant. *Christus*, inquit, *exinanivit se; tu expolias, quem Christus induit? Hoc enim agis, quando alterius detrimento tua commoda augeri expetis. Si quid dolet unum membrum, compatiuntur ei membra omnia. Unde quam grave est, ut detrahamus aliquid ei, cui nos compati oportet? Hæc utique lex naturæ est, quæ nos ad omnem stringit humanitatem, ut alter alteri tanquam unius partes corporis deseramus: nec detrahendum quidquam putemus, cum contra naturam sit non juvare.*

Ex his ergo Basilii, Nysseni, & Ambrosii textibus colligitur, non solum dari præceptum negativum, ex mutuo respectu indigentium non exigendi lucrum; sed etiam dari præceptum naturale positivum, mutuandi gratis proximo in necessitate constituto.

IV.

Lactantius inter officia necessaria justi, ex præcepto observanda, ponit etiam hoc, ut necessitatem patienti pecuniam commodet gratis. Lib. 6. cap. 18. sic scribit: *Sed omittamus Philosophos; faciamus, quæ jubet illuminator noster Deus. Quæ observare cultor Dei debet, facilia sunt. Non mentiatur unquam. Est enim nefas, in re aliqua esse fallacem. Itaque justus non dicet illud Lucilianum. HOMINI AMICO NON EST*

MENTIRI MEUM; *sed etiam inimico existimabit non esse mentiri suum. Pecuniam si quam crediderit, non accipiat usuram, ut & beneficium incolume sit, quod succurrit necessitati, & abstineat se prorsus alieno. In hoc enim genere officii debet suo esse contentus, quem oporteat alias ne proprio quidem parcere, ut bonum faciat, plus autem accipere, quam dederit, injustum est; quod qui facit, insidiatur quodammodo, ut ex aliena necessitate prædetur. At justus nunquam prætermittet, quo minus aliquid misericorditer faciat, nec inquinabit se hujusmodi quæstu, sed id efficiet, ut sine ullo suo damno idipsum quod commodat intes bona opera numeretur. Munus non accipiet a paupere, ut si ipse præstiterit, eo bonum sit, quo fuerit gratuitum.* In hoc textu Lactantius inter officia obligatoria justi ponit non solum, ut usuram in mutuo caveat, sed etiam ipsam concessionem mutui.

V.

D. Hyeronimus in cap. Isaiæ 58. ad illa verba: *DISSOLVE COLLIGATIONES IMPIETATIS*, docet, omne lucrum in mutuo, quod pauperem gravat, iniquum esse; sed eos gratis juvandos esse. *Dissolve*, inquit, *colligationes impietatis, solve fasciculos deprimentes; sive ut 70 manifestius transtulerunt, obligationes violentarum cautionum, quas nostri commutationes pro Chirographis interpretati sunt. Significat autem chartarum fasciculos, in quibus fœneratorum calumniæ continentur, & opprimuntur pauperes ære alieno. Non ergo præcipit propheta, ne exigat unusquisque quod juste dedit, & juste repetit; sed ubi iniqua est cautio, ubi pauperes opprimuntur calumnia, ibi fasciculi cautionum & omnia iniquitatis vincula rumpenda sunt. — De debitoribus jungitur apertius: dimitte eos, qui confracti sunt liberos; hoc est, qui paupertate sunt fracti, quos afflixit inopia, ne liberos sinas mendicare, & omne onus, quo deprimuntur, rumpe. — frange esurienti panem tuum. Si panem non habes, & esurientium plurima multitudo est, præbe, de quo nullum damnum pateris, in quo nulla dispendia sunt; pauperes absque tecto induc in domum tuam; Si videris nudum operi eum; & domesticos seminis tui ne despexeris. Eadem & Dominus loquitur: Esurivi & dedistis mihi manducare &c.* Idem in Ezechielem cap. 22. ad illa verba: *USURAM ET SUPERABUNDANTIAM ACCEPISTI; ET AVARE PROXIMOS TUOS CALUMNIATA ES, MEIQUE OBLITA ES. Malitiam hujus criminis non repetit ex eo, quod ex mutuo lucrentur, sed quod ex paupere lucrum quærant, cui per se tenerentur opitulari. Necessitatem, inquit, pauperum verterunt in lucrum, ut usuram & superabundantiam acciperent: & propter avaritiam amicos calumniati sunt.*

Probatur 6. Ex iis, quæ habentur in Decreto Gratiani ex Basilio, & aliis Patribus Dist. 47. ubi sic scribit: *Usuræ arte ex ipso auro aurum nascitur. Sed ais: quid injustum est, si cum aliena non invadam, propria diligentius servo? O impudens dictum! propria dicis? Quæ? ex quibus reconditis in mundum intulisti? Proprium nemo dicat, quod est commune; quod plus est, quam sufficit, sumptum, etiam violenter obtentum est. Nunquid iniquus est Deus, ut nobis non æqualiter distribuat vitæ subsidia? ut tu quidem esses affluens & abundans, aliis vero deesset & egerent? Tu vero susceptis Dei muneribus nihil te putas agere iniquum, si tam multorum vitæ subsidia solus obtineas? Quis enim tam injustus, tam avidus, tam avarus, quam qui multorum alimenta suum non usum, sed abundantiam & delitias facit? Neque enim minus est criminis, habenti tollere, quam cum possis & abundes, indigentibus denegare. Esurientium panis est, quem tu detines; nudorum indumentum est, quod tu recludis, & miserorum redemptio est, & absolutio pecunia, quam tu defodis. Tot*

te

te ergo ſcias invadere bona, quot poſſis præſtare quod velis.

Hæc iterum oſtendunt, non ſolum prohiberi uſuram ex mutuo, ſed etiam recuſationem mutui erga indigentes.

Dixi; verba a Gratiano relata ex D. Baſilio aliiſque SS. Patribus deſumpta eſſe. Certe D. Baſilius Hom. 6. in illud Luc. 12. *Hominis divitis uberes fructus ager attulit*, ſic ſcribit: *Quis, quæſo, eſt avarus? Ille, qui eo, quod ſatis eſſe debet, non eſt contentus. Quis vero peculator? Ille, qui ad ſe unum transfert, quæ ſingulorum ſunt. Tu ergo non avarus. Tu non peculator, cum ea quæ ad diſpenſandum diſtribuendumque receperis, tibi propria facis? Num qui veſtem diripuerit, ſpoliator nominabitur: qui autem nudum non texerit, modo poſſit, alterius cujuſdam nominis appellatione dignus erit? Eſurientis eſt panis, quem tu retines; nudi eſt veſtis, quam in arca cuſtodis; diſcalceati calceus, qui apud te marceſcit; egentis argentum, quod tu terræ infoſſum poſſides. Quare tot injurius es hominibus, in quot poteras opem conferre. O quanta trepidatio, ac ſudor, quantæ ob oculos tenebræ in die judicii ſe tibi circumfundent, condemnationem audienti: Ite maledicti in tenebras exteriores. Eſurivi enim, & non dediſtis mihi manducare; ſitivi, & non dediſtis mihi bibere; nudus eram, & non operuiſtis me. Non enim ibi rapax accuſatur; ſed qui ſubſtantiam non communicaverit, condemnatur. Ita Baſilius.* Eodem modo loquitur Hom. 7. *In divites avaros*, ubi damnationis reos oſtendit, in ſuperflua ſuam pecuniam expendentes, & pauperibus non ſubvenientes. Similia habet Hom. 23. *Quod non adhærendum rebus ſæcularibus*. Idem in Regulis *Moralibus Regula* 48. cap. 1. ſic ſcribit: *Omni petenti te tribue. Sine affectione, ſine miſericordia, qui talia agunt, digni ſunt morte.* Et cap. 2. cujus titulus: *QUOD QUIDQUID QUIS HABET ULTRA NATURALEM SUAM NECESSITATEM AD VICTUM, ID NECESSARIO IN BENEFICIUM ALTERIUS DEBET CONFERRE EX MANDATO DOMINI. Qui habet duas tunicas, det non habenti; & qui habet eſcas, ſimiliter faciat. Luc. 3. Veſtra abundantia illorum inopiam ſuppleat, ut fiat æqualitas* (proportionalis juxta conditionem ſtatus videlicet) *ſicut ſcriptum eſt: Qui multum, non abundavit, & qui modicum, non minoravit.*

Quod vero & alii SS. Patres iiſdem principiis inhæreant, patebit ex probatione ſequente.

Probatur 7. SS. Patres ponunt ea principia, ex quibus neceſſario conſequitur obligatio gratis mutuandi indigentibus gravi neceſſitate preſſis ſaltem ex ſuperfluo ſtatus ſeu non neceſſario. *Antecedens* probatur ab inductione.

I.

D. Hieronymus in Epiſt. 150. *ad Hedibiam q.* 1. ſcribit: „ Dices; mulierem nobilem non omnia poſſe vendere, quæ multis adjumentis hujus vitæ indigeat; Audi igitur Apoſtolum commonentem. Non ut aliis refrigerium, vobis autem tribulatio: ſed ex æqualitate veſtra abundantia illorum ſuſtentet inopiam. Unde inquit Dominus: Qui habet duas tunicas, det non habenti alteram. Quidquid ergo corpori noſtro ſufficere poteſt, & humanæ ſuccurrere imbecillitati, hoc una appellanda eſt tunica, & quidquid in præſentibus alimentis neceſſarium eſt, hoc unius diei victus appellatur. Unde præceptum eſt: Non cogitetis de craſtino, hoc eſt, de futuro tempore. Et Apoſtolus; Habentes, inquit, victum & veſtitum his contenti ſimus. Si plus habes, quam tibi ad victum veſtitumque neceſſarium eſt, illud eroga, & in illo debitricem te eſſe noveris.“ Ex his D. Hieronymi infero. Si ſuperfluum erogandum ex debito, multo magis erit gratis mutuandum.

Idem ſimilia principia ponit in textibus ſupra relatis in probatione 5. n. 5.

II.

II.

S. Ephrem Serm. ad illud: *Nihil intulimus in hunc mundum*: scribit: „ Si „ quis divitias habet, non est Dominus „ rerum, sed dispensator, eo quod & „ ipse ab altero tradita sibi bona acce- „ perit, rursusque post ipsum in alte- „ rum transferentur opificis arbitratu. „ Hæc scientes sapientes œconomi ne „ negligant opus justitiæ, beatitudine „ illa perfrui volentes -- Dicit namque „ Spiritus sanctus: Bonus (beatus) vir, „ qui miseretur & commodat; dispen- „ sit, dedit pauperibus: cornu ejus e- „ xaltabitur in gloria: peccator vide- „ bit, & irascetur. " Hæc oppositio, quam Scriptura & S. Ephrem facit inter gratis commodantem, & peccatorem, ostendit, illam commodationem gratuitam erga indigentes esse obligationis, qua obstringitur fidelitas.

III.

Theodoretus in Ezechielem Sect. 13. ad illa verba: *Nonne satis vobis, quia bonum pastum pascebatis? & reliquias pastus vestri conculcabatis pedibus vestris.* hoc explicat de superfluo divitum, & ostendit, ultra necessaria status nil usurpandum sed erogandum; adeoque multo magis gratis indigenti mutuandum. „ Contra locupletes, inquit, hæc „ habetur oratio, qui divitiis ad lasci- „ viam abutebantur; neque id solum, „ quod sibi usui esset ex ipsis percipie- „ bant, sed etiam ultra eorum, qui- „ bus opus habebant, fines egrediebam- „ tur. Quod etiam in præsenti ab ali- „ quibus fieri videmus. Testatur etiam „ Lazari parabola, quæ divitem illum „ ostendit, ne de micis quidem e men- „ sa cadentibus pauperi impertitum fuis- „ se.

IV.

S. Ambrosius de officiis l. 1. cap. 30. „ Grandis culpa, si sciente te fidelis „ egeat, si scias eum sine sumptu esse, „ fame laborare, ærumnam perpeti, „ qui præsertim egere erubescat. Si in „ causam ceciderit, aut captivitatis suo- „ rum, aut calumniæ & non adjuves. „ Si sit in carcere, & pœnis & sup- „ pliciis propter debitum aliquod justus „ excrucietur; nam etsi omnibus debe- „ tur misericordia, tamen justo am- „ plius. Si tempore afflictionis nihil a „ te impetret. Omnibus quidem debe- „ mus misericordiam, sed ubi causa „ manifestatur, persona cognoscitur, „ tempus urget, largius se debet pro- „ fundere misericordia. Cæterum Do- „ minus non vult effundi opes, sed dis- „ pensari.

Idem lib. 3. de officiis cap. 3. „ Tu „ exspolias, quem Christus induit? Hoc „ enim agis, quando alterius detrimen- „ to tua commoda augeri expetis. Hæc „ lex naturæ est, quæ nos ad omnem „ stringit humanitatem, ut alter alteri „ tanquam unius partes corporis invi- „ cem deferamus. Nec detrahendum „ quidquam putemus, cum contra na- „ turam sit, non juvare. -- Subvenire „ humanitatis est, duritiæ autem, plus „ extorquere quam dederis. Etenim si „ ideo inops auxilio tuo eguit, quia „ non habuit unde de suo redderet, „ nonne impium est, si sub humanita- „ tis simulatione amplius ab eo po- „ scas, qui non habebat unde minus sol- „ veret? Et hanc humanitatem vocas, „ ubi est iniquitatis auctio? Hoc præ- „ stamus aliis animantibus, quod alia „ genera animantium conferre aliquid „ nesciunt. Homini soli tributum est, „ ut omnes tanquam suos pascat. De- „ betur istud ipso naturæ jure. Quod „ si non licet non dare, quomodo de- „ trahere licet?

V.

D. Chrysostomus in Ep. ad Rom. Hom. 2. „ Quomodo contra Dei voluntatem „ amamus, dixerit aliquis? Cum Chri- „ stum tabescentem despicimus, liberis „ autem, amicis, & cognatis supra „ quam necesse sit elargimur?

Idem

Idem in Ep. 1. *ad Cor. Hom.* 10. ad illa verba: *Non eſtis veſtri, ſed empti eſtis pretio*. „ Omnia enim ſunt Dei. „ Non ergo ea, quæ ſunt Domini, nobis attribuamus. Anima tua non eſt „ tua, & quomodo tuæ ſunt pecuniæ? „ Quomodo ergo quæ non ſunt tua, „ conſumis in iis, in quibus non oportet? Quoniam autem non ſunt noſtra, ſed Domini, oportebat ea impendere in conſervos. Tua autem „ ſunt etiam conſervorum communia, „ ſicut ſol eſt communis & aer. Non „ vides, quod & manus miniſtrant, & „ os comminuit, & venter digerit? „ Num dicit venter; quoniam accepi, „ debeo totum detinere? Neque tu ergo hoc dicas in pecuniis. Si tu ſolus „ fruaris, tu quoque perdideris. Ejus „ qui accipit, eſt impertiri. Quomodo „ ergo ventris eſt vitium, cibos detinere & non diſtribuere; nam toti „ corpori affert exitium, ita divitum „ eſt vitium, id quod habent apud ſe „ detinere; hoc enim & ſeipſos perdit „ & alios. Agricola ſi domi infoſſa ſervet ſemina, graviſſimam efficiet famem. Ita etiam dives, ſi hoc fecerit in pecuniis, ante pauperes ſeipſum perimet, ſævam gehennæ flammam in caput ſuum exſtruens.

Idem in Ep. ad Coloſſ. Hom. 8. „ Peribunt, qui Chriſtum non aluerunt. „ Quid enim, ſi alis pauperem? Sed „ quamdiu ſic luxui & delitiis indulges, omnia ſunt ſupervacanea. Non „ enim quæritur, multane dederis, ſed „ num minus dederis, quam ferant facultates. Illud enim eſt ludentis.

Idem in 2. *Ep. ad Tim. Hom.* 6. „ Si „ fratrem deſpicis juvare, teipſum neglexiſti. Quo pacto? Membrum tuum „ jacturam haud exiguam pertulit. Si „ qui pecunias connumerare (ὀχρημάτων μὴ μεταδιδὲς) non vult, in gehennam mittitur; qui in rebus neceſſariis periclitantem videt, manumque non porrigit, multo magis quam „ ille id patietur, idque eo magis, quo „ majus detrimentum contigit.

Idem in eandem Ep. Hom. 5. „ Virginibus non incæſtus, non adulterium, „ non invidiæ, non livoris, non ebrietatis, non infidelitatis crimen inuritur, ſed olei tantum defectus, quia „ ſcilicet miſericordiam non exercuerant, neque eleemoſynas fecerant; id „ quippe ſignificat oleum. Et illi, qui „ ſupremæ damnationis ſententiam luent, „ quibus dicitur: Diſcedite maledicti in „ ignem æternum, ſolum quod Chriſtum non paverint, crimine exagitantur, nullaque cæterorum fit mentio.

Idem in cap. 17. *Matth. Hom.* 57. „ Gravis morbus & gravi indigens ſtudio in Eccleſiam incidit. Nam cum „ neque juſtis laboribus partam pecuniam recondere jubeamur, ſed apertas pauperibus domos tenere, ex aliorum inopia opes nobis colligimus, „ excuſabile avaritiæ & rapinæ genus „ inveniſſe putantes. Nec de illis quidquam mihi dicas, quæ exterioris ſunt „ legis. Nam & publicanus exteriorem „ ſervat legem, tamen punitur. Quod „ ſane nos quoque patiemur, niſi deſinamus pauperes conterere, atque egeſtate, neceſſarioque alimento & „ penuria in cauponationem impudentem abuti. Ea enim de cauſa pecuniis abundas, ut paupertate homines „ liberes, non ut in paupertatem cauponando intrudas. Tu vero ſimulatione ſolaminis majores facis ærumnas, & liberalitatem vendis fœnore.

Idem in cap. 23. *Matth. Hom.* 75. „ Quomodo poſſibile eſt divitem ſalvari? Si quæ habet, communia illi „ cum indigentibus ſint. Si cupiditatem „ ab animo evellat; ſi ultra neceſſarium uſum non procedat.

Idem in cap. 24. *Matth. Hom.* 78. explicans illud Evangelicum; *ſi dixerit malus ſervus in corde ſuo, tardat dominus meus venire, & inceperit percutere conſervos, comedet & bibet cum ebriis &c.* ſic ſcribit: „ Huic ſimiles profecto ſunt, „ qui pecuniam habentes pauperibus non „ erogant. Diſpenſator & tu es pecuniarum tuarum non minus ac qui Eccleſias gubernant. Quemadmodum

„ igi-

„ igitur illi non habent potestatem ea, „ quæ a vobis collata sunt pauperibus, „ temere dispergere; quandoquidem ad „ alimenta pauperum constituta sunt, „ pari tu quoque modo non debes te„ mere tua consumere. Nam etsi pa„ ternam hæreditatem accepisti, atque „ ea ratione, quæcunque habes, tua „ sunt; Dei tamen sunt universa. Si „ tu, quæ dedisti, diligenter dispensari „ vis, Deum non arbitraris majori exa„ ctione a nobis rationem dispensatio„ nis petiturum, sed toleraturum, ut „ perperam cuncta disperdantur? Non „ est ita: non est. Ideo enim & apud „ te pecuniam esse passus est, ut ali„ menta pauperibus in opportunitate „ concedas. Quid est porro in oppor„ tunitate? (ἐυκαίρω) cum egent, cum „ famescunt. Sicut igitur tu conservo „ ad dispensandum dedisti; sic Domi„ nus tibi, ut opportune dispenses. Tu „ vero non modo non præbes, verum „ etiam verberibus cædis. Quod si cul„ pa non dare est, quæ venia erit ver„ beranti? Non accepisti ut devorare „ habeas, sed ut ad eleemosynam uta„ ris. An forsan tua te credis habere? „ Res pauperum tibi credita est. Per„ pende quomodo in omnibus fere pa„ rabolis ille punitur, qui sua pecunia „ probe usus non est. Neque virgines „ aliena rapuerunt, sed sua non eroga„ verunt.

Idem Conc. 2. *de Lazaro*. „ Hic ni„ hil a divite accepit injuriæ, neque „ enim illius pecunias usurpaverat di„ ves, sed suas non impartierat. Quod „ si is, qui sua non impartiit, accu„ satorem habet eum, cui negavit mi„ sericordiam, qui aliena quoque ra„ puerit, quam veniam consequetur?-- „ Et hoc rapina est, non impartiri de „ tuis facultatibus -- Heriles enim pe„ cuniæ sunt, undecunque eas college„ rimus. Ideo tibi plura possidere con„ cessit Deus, ut non in scortationes, „ temulentiam, ingluviem, in vestes „ sumptuosas, aliamque mollitiem con„ sumeres, sed ut ea distribueres egen„ tibus. Quemadmodum enim receptor „ quispiam, qui regias pecunias acce„ pit, si neglexerit his, quibus jussus „ est, distribuere, inque proprias con„ sumpserit delitias, pœnas dat ac per„ ditur; ita sane & dives receptor est „ quispiam pecuniarum, quæ pauperi„ bus distribui debebant. Itaque cum „ in mandatis habeat, eas distribuere „ suis conservis egentibus, siquid am„ plius quam postulet necessitas, in se„ ipsum insumpserit, gravissimas illic „ daturus est pœnas. Non enim sunt „ ipsius quæ possidet, sed conservorum „ illius. Parcamus igitur illis, tanquam „ alienis. Quomodo autem illis parce„ mus tanquam alienis? Si illos non „ in usus supervacuos insumpserimus, „ neque in nostros tantum usus, sed „ pauperum manibus impartiverimus. „ Etiamsi fueris opulentus; sed plus „ quam opus est, insumpseris, rationem „ reddes pecuniarum tibi creditarum. „ Accepisti plura cæteris, non ut ea „ solus consumas, sed ut eorum cæte„ ris bonus fias dispensator.

Idem Serm. 66. „ Cur in pentecoste „ acta &c. Usura & eum qui accipit, „ & eum qui solvit, damno afficit: „ ejus enim qui accipit, animam per„ dit, & ejus qui solvit egestatem af„ fligit. Quid crudelius fieri potest, „ quam cum ex proximi egestate quis„ piam quæstum facit, & in fratrum „ calamitatibus lucra sectatur; cum qui „ porrigere manum debuerat, eum in „ barathrum propellit, qui subsidio in„ digebat? Quid facis, o homo? non „ idcirco ad tuas fores appulit pauper, „ ut ipsius augeas paupertatem, sed ut „ ipsum liberes paupertate: perinde a„ gis, ac qui venena miscent cibis.

Idem Hom. 20. *in Gen.* „ Num co„ go, ut omnia vestra abjiciatis? fruere omni prosperitate, & cum satisfe„ ceris tuo usui, quæ supervacua tibi „ & otiosa jacent, in necessarium usum „ converte, aliisque distribue fame la„ borantibus & gelu rigescentibus.

Idem in Gen. Hom. 50. „ Quæ utili„ tas magnarum facultatum? Inde na„ scuntur invidiæ, odium grave, insi-

„ diæ,

„ diæ, & innumera alia mala. Inde „ colliguntur innumera peccata, doli, „ calumniæ, fraudes, rapinæ. Verum „ etiamſi quis ab omnibus illis liber, „ id quod perquam difficile & rarum, „ opibus abundat, & ipſe ſolus eis utitur, & his qui opus habent non communicat, gehennæ ignem exſpectabit. Quod nos manifeſte docet parabola: dicit enim: Eſurivi & non dediſtis mihi ut comederem. Dominus „ tuus eſuriens obambulat; & tu es in „ delitiis? Qua venia ſunt hæc digna? *Ibid. Hom.* 56. An grave aliquid & „ oneroſum a nobis requirit? Ea quæ „ abundant, & ſupervacanea ſunt nobis, neceſſaria facere vult; & quæ „ fruſtra ac in vanum repoſita ſunt, ea „ vult bene diſtribui, ut occaſione accepta hinc nos coronet.

VI.

D. Auguſtinus in Pſal. 100. „ Duobus modis nocet homo, quantum in „ ipſo eſt; aut faciendo miſerum, aut „ deſerendo miſerum; quia & tu non „ vis ab alio fieri miſer, & non vis „ deſeri ab alio, ſi miſer fueris. Quis „ eſt, qui facit miſeros? Qui infert violentias aut inſidias, rapit res alienas, „ opprimit pauperes, furatur &c. Quis „ eſt, qui deſerit miſeros? Qui videt „ inopem aliquo auxilio egentem, & „ cum habeat quomodo præſtet, contemnit, deſpicit, alienat cor ſuum. „ Quod ſi jam talis eſſet omnino, ut „ non opus haberet aliqua miſericordia, „ ſuperbus eſſet ſi deſereret miſerum. „ Adhuc in tribulatione carnis conſtitutus eſt, neſciens, quid ſibi cras poſſit accidere, & deſpicit lachrimas „ miſerorum, non eſt innocens.

Idem in Epiſt. 1. Joa. tract. 6. „ Si „ quis habet facultatem mundi, & viderit fratrem ſuum egentem, & clauſerit viſcera ſua adverſus eum, quomodo dilectio patris manet in eo? „ Ergo hic incipit iſta charitas, ut de „ ſuis ſuperfluis tribuat egenti, in anguſtiis aliquibus conſtituto, ex eo „ quod ſibi abundat ſecundum tempus, „ a tribulatione temporali liberet fratrem. Hinc exordium eſt charitatis.

Idem de verbis Domini Serm. 5. „ Date pauperibus. Victum & tegumentum habentes his contenti ſimus. Nihil habet dives de divitiis ſuis, niſi „ quod ab illo poſtulat pauper, victum „ & tegumentum. Hinc tu quid habes „ plus ex omnibus quæ habes? Accepiſti victum, accepiſti neceſſarium tegumentum. Neceſſarium dico, non „ inane, non ſuperfluum. Quid plus de „ divitiis tuis capis? certe omnia tua „ ſuperflua erunt. Quæ ſunt tua ſuperflua, ſint pauperibus neceſſaria -- Neque ita dixi, ut cogam divites epulis & cibis pauperum veſci. Utantur „ divites conſuetudine infirmitatis ſuæ. „ Utere cibis electis, pretioſis, quia „ ſic conſueſti; quia non aliter potes; „ quia ſi conſuetudinem mutes, ægrotas. Conceditur tibi, utere ſuperfluis, „ da pauperibus neceſſaria. Utere pretioſis, da pauperibus vilia.

VII.

S. Leo Serm. 1. de Collectis. „ Idcirco „ te (Deus) abundare voluit, ut per „ te alius non egeret, & per miniſterium operis tui pauperem ab egeſtatis labore, teque a peccatorum multitudine liberares. *Et Serm. 2.* notum „ vobis mandatum prædicamus -- ut unuſquiſque, prout votivum atque poſſibile eſt, in uſus atque alimoniam „ pauperum de veſtris facultatibus conferatis. *Et Serm. 5.* Quid tam aptum „ fidei, quid tam conveniens pietati, „ quam egentium juvare paupertatem? „ fraternis neceſſitatibus ſubvenire. -- „ Etiam terrenæ facultates ex Dei largitate proveniunt, ut merito rationem earum quæſiturus ſit, quæ non „ magis poſſidenda tradidit, quam diſpenſanda commiſit. Muneribus igitur „ Dei juſte & ſapienter utendum eſt, „ ne materia boni operis fiat cauſa peccati. -- Sed forte ſunt aliqui divitum, qui licet nullis largitionibus

„ pau-

„ pauperes Ecclesiæ soleant adjuvare ,
„ alia tamen mandata Dei custodiunt ,
„ & inter diversa probitatis merita ve-
„ nialiter sibi æstimant unam deesse (mi-
„ sericordiæ) virtutem . Verum hæc
„ tanta est , ut sine illa cæteræ , etsi
„ sint , prodesse non possint . -- Siniſtris
„ (in judicio) quid objicietur , nisi ne-
„ glectus dilectionis , duritia inhumani-
„ tatis , & pauperibus misericordia de-
„ negata ?

Si hæc omnia SS. Patrum principia conjungantur cum observatione D. Antonini , superius relata probatione 4. ubi ostendit in omni casu , quo datur obligatio erogandi , a fortiori dari obligationem mutuandi gratis , sequitur profecto , constitutis in gravi necessitate ex obligatione esse mutuandum gratis .

Probatur Conclusio 8. Argumento Conradi . Constituto in extrema necessitate tenemur succurrere etiam de necessariis status . Ergo modo proportionali tenemur constituto in gravi necessitate succurrere de superfluis status ; ordo enim charitatis exigit , ut cuilibet gradui indigentiæ notabiliter in æstimatione morali diverso correspondeat sua proportionalis obligatio charitatis , qualis tamen alia assignari non potest respectu necessitatis gravis , nisi obligatio succurrendi ex superfluis status .

Idem Conradus quæst. 19. concluſ. 7. *confirmat* conclusionem authoritate Divi Bernardini his verbis : *Sanctus Bernardinus in suo Tractatu restitutionum expresse tenet , quod homo in tali casu obligatur sub peccato mortali ad mutuandum proximo* . Aliam confirmationem sumit ex eo ; quia homo in gravi necessitate constitutus , si alio medio sibi providere nequeat , juxta communem Doctorum licite differt restitutionem faciendam diviti , nullum ex ea dilatione passuro incommodum , aut periculum ; idque propterea , quia Dominus non potest esse prudenter invitus ; ergo dives ille etiam nequit prudenter esse invitus quoad mutuationem ; cum eadem sit ratio dilatæ restitutionis & mutui gratuiti . *Consequentia* ista *probatur* a pari . Bona enim est argumentatio in casu extremæ necessitatis . Indigens licite aufert diviti necessaria ad sublevandam necessitatem extremam . Ergo dives obligatur ad ministranda illi necessaria . Itaque videtur etiam bona hæc argumentatio in casu gravis necessitatis : Indigens in casu gravis necessitatis licite differt restitutionem faciendam diviti , nullum exinde passuro incommodum . Ergo dives obligatur ad concedendum taliter indigenti pecuniæ usum , seu mutuum . Verum , quia hæc ultima confirmatio patitur difficultatem , nolim illi insistere .

Dico 4. Constituto in necessitate communi datur obligatio mutuandi ex superfluis status saltem sub peccato veniali .

Probatur 1. Aliqui textus Scripturæ & Patrum jubent succurri cuivis indigenti , non restringendo hanc obligationem ad casum necessitatis gravis ; ergo etiam datur obligatio mutuandi gratis cuivis indigenti , rationabiliter poscenti mutuum .

Antecedens probatur inprimis ex Scriptura . Sic enim Lucæ 6. indiscriminatim dicitur : *Omni petenti te tribue* ; & Matth. 5. *Qui petit a te , da ei , & volenti mutuare , ne avertaris* , qui textus a nonnullis Patribus recte sumuntur non solum pro consilio , sed etiam pro præcepto , videlicet pro casu & circumstantiis , in quibus subsidium rationabiliter ab indigente poscitur , & sine incommodo dari potest a divite . Nam verosimilius est , ea quæ in cap. 5. Matth. a Christo inculcantur , habere rationem præcepti affirmativi , more tamen aliorum præceptorum affirmativorum obligantis solum pro certis circumstantiis , sic ut sensus verborum Christi sit , *doctrina Evangelica novæ legis est longe perfectior doctrina veteri , prout a Phariſæis vobis explicatur . In hac enim nova lege dantur casus & circumstantiæ , in quibus velim etiam tunicam præberi poscenti pallium , & percutienti in dexteram maxillam porrigi & alteram . In hac nova lege præcipio etiam , cuivis rationabiliter poscenti auxilium subveniri , ubi id sine incommodo fieri potest* .

Hanc

Hanc mentem Chriſti eſſe colligo ex SS. Patribus. Sic enim Divus Baſilius in Pſalm. 14. dicit: In communi ſocietate humana ad ſublevandam alienam inopiam opus eſt in alios liberali rerum largitione. *Petenti namque te, da. --- Et, qui vult a te mutuare, ne avertaris.* Quod præceptum pendet ex prius dictis, --- Dominus palam nobis præcipit: *Ne vultum avertas ab eo, qui abs te mutuum petit.* 2. Gregorius Nyſſenus in Orat. contr. uſur. dicit: Illum qui mutuum petit, ne averſeris. -- Ego primo dandum & donandum eſſe annuntio. Deinde ad mutuum quoque exhortor, ſed addo, ſine fœnore, eo modo, quo præcipiunt divina oracula. Æque enim obnoxius eſt pœnæ, qui non dat mutuum, & qui dat ſub conditione uſuræ. Hæc & plura ſimilia Patrum teſtimonia, relata ſuperius probatione 5. & 7. ſunt generalia ſine reſtrictione ad caſum neceſſitatis gravis.

Probatur 2. Dantur tres gradus neceſſitatis, videlicet *extremæ*, *arctæ*, & *ordinariæ*. Ergo etiam correſpondere debent tres gradus obligatorii charitatis; neque enim decet divinam providentiam præterire genus malorum, cui non oppoſuerit efficax remedium, quod in genere moris ſine lege ordinante haberi nequit.

Confirmatur 1. Si dependeret a conſenſu hominum, in hac re antecedenter ad diviſionem bonorum ponere vel non ponere legem, non eſt dubium, omnes ſua vota collaturos pro lege obligante ad mutuum. Cum enim a priori manifeſtum ſit, pro uno divite ſemper reperiendos viginti aut plures pauperes, moralis cujuslibet certitudo incidendi potius in ſortem pauperum, quam divitum facile determinaret quoſque ad ferendum votum pro lege. Ergo, cum ea præſumatur eſſe lex naturalis, quam peteret conſenſus gentium, etiam in præſenti ſtat præſumptio pro lege.

Confirmatur 2. Deus ſua bonitate & ſapientia cuilibet enti tantum providet ſubſidii in ſupplementum defectus ſeu indigentiæ in ordine ad decentiam naturæ cujuslibet & ſtatus, quantum convenienter fieri poteſt; idipſum naturali exigentia petunt quævis entia in univerſo; id etiam poſtulat lex naturalis, promulgata a Chriſto Lucæ 6. *Quod quiſque ſibi fieri velit, faciat alteri*: & ut ad imitationem ſui authoris quilibet cooperetur huic exigentiæ rerum & methodo bonitatis divinæ, dictat lumen naturæ; ob quod Divus Barnabas ad finem ſuæ Epiſtolæ bene inculcat: *Quemlibet obligari ut ſit ſuus proprius legislator*, reſpiciendo videlicet ad exigentiam boni communis & entium. Ergo, ubi divites poſſunt ſine ſuo damno, periculo, incommodo, aut alio motivo prudenter retrahente, per mutuum ſuccurrere communem indigentiam patienti, ad id obligantur.

Probatur 3. Lex naturalis obligans ad mutuum gratuitum in caſu indigentiæ communis eſt evidenter melior non ipſa in ordine ad bonum commune tam in ſyſtemate naturæ quam gratiæ; idque ſine ullo motivo notabili retrahente in oppoſitum. Ergo datur.

Antecedens probatur. Illa lex longe melius nectit vinculum amicitiæ inter propinquos & concives; commendat honeſtatem legis Chriſtianæ; exſcindit radices inſatiabilis avaritiæ; plantat tranquillitatem mentium in egenis multorum bonorum matrem; ſternit denique viam ad fines a Deo qua ſanctificatore bonarum mentium intentos, puta ad contemptum opum, exercitium miſericordiæ, puritatem precum &c.

Dico 5. Datur obligatio, etiam cuicunque non egeno mutuandi gratis, ſi id rationabiliter petat, & ſine incommodo præſtari poſſit.

Dixi. Si id *rationabiliter* petat. Petitur autem irrationabiliter 1. ſi non petitur ad finem honeſtum, ſed tantum ad luxum, inanem pompam &c. 2. ſi petitur ad captanda lucra, ad qualia ab ipſomet creditore deſtinantur. 3. ſi petitur ab homine extraneo, ignoto, aut difficilis conventionis, dum creditor habet plures amicos, aut notos, fidos, probos, bene meritos, ac facilis conventionis,

mis, quibus juxta ordinem charitatis prius succurrendum est. 4. si petitur pecunia, quam creditor destinat ad necessitates suæ familiæ, ad casus fortuitos probabiles, ad fundationes pias, ad expensas alias saltem æque honestas, ac applicarentur a mutuatario. Conclusio sic explicata

Probatur 1. Textus Scripturæ, & Patrum conclusione præcedente adducti urgent indefinite ac generaliter respectu cujuscunque rationabiliter poscentis mutuum. Ergo generaliter intelligendi sunt.

Probatur 2. Christus Lucæ 6. modo præceptivo dicit: *Prout vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis similiter.* Sed quilibet prudenter vellet mutuum ad usus utiles ab amico, cujus pecunias videt esse otiosas, easque commodari posse sine ullo incommodo, aut periculo. Ergo idem velle debet interpellatus pro ejusmodi mutuo.

Probatur 3. Rationes SS. Patrum in præcedentibus conclusionibus adductæ ostendunt, non solum ex charitate succurrendum esse indigentibus, sed etiam exhibendam esse benevolentiam omnibus, ubi rationabiliter petitur, & convenienter exhiberi potest. Sic D. Ambrosius lib. 3. de Officiis cap. 3. docet, eandem obligationem versari inter membra societatis humanæ, quæ reperitur inter membra corporis; ista autem non solum serviunt invicem ad sublevandam indigentiam, sed etiam ad præstandum humanitatis ac benevolentiæ obsequium. Divus Chrysostomus docet, divites tantum esse dispensatores nomine Dei. Deus autem commendat, adeoque etiam vult officia humanitatis, ut serviamus invicem pro conservando vinculo charitatis.

Probatur 4. Quidquid est contra rectum ordinem rationis, est peccatum veniale; sed in casu conclusionis non mutuare gratis est contra ordinem rationis. Ergo. *Minor probatur.* In mente Dei optimi est contra ordinem rationis non exaudire rationabiliter poscentes; ergo idem est contra ordinem rationis in mente humana, quæ tenetur imitari divinam, cum sit imago Dei. Dixi, *rationabiliter poscentes*, id est, dum nil petitur contra ordinem divinum aliunde ob fines altiores præstabilitum, & dum nil petitur in præjudicium alterius perfectionis divinæ, v. g. justitiæ, vel sapientiæ.

Ex his ergo sequitur, mutuum rationabiliter poscenti, si sine periculo aut incommodo præstari possit, sine peccato veniali recusari non posse, idque non obligatione justitiæ, sed charitatis. Casus autem, ubi urget hæc lex charitatis, possunt esse 1. si amicus, vel cœtus religiosus, alioquin præditus multis bonis immobilibus, casu fortuito coactus est grandia debita censualia. Si habes pecunias otiosas, quas solum destinas ad usus seros, vel si quovis tempore securissime habere poteris restitutionem sortis ad usus etiam non seros tibi placituros, teneris ex charitate amicum liberare ære alieno. 2. Si amicus vel communitas habet occasionem insigniter promovendi sua commoda, & tu habeas pecunias otiosas, quas nolis elocare ad censuales contractus periculosos, vel ad alia lucra, teneris juvare amicum mutuo gratuito, si ejus restitutionem secure habere possis semper.

COMMONITORIUM CONRADI

De obligatione charitatis ad mutandum gratis in nonnullis casibus.

EXimius hic Theologus *De contractibus* qu. 84. sic scribit.

Sexta Conclusio. Generaliter loquendo sex modis depravatur emptio redditus redimibilis secundum sex circumstantias ad ejus bonitatem requisitas. Sex circumstantiæ sunt: quis, cui, cur, ubi, quomodo, quando. Circa circumstantiam *quomodo* exemplum est, quod tunc etiam emptor peccat, quando venditor vellet libenter illam pecuniam mutuo habere, pro qua emptor vult emere, & venditor est in aliquo illorum quatuor vel quinque casuum constitutus, in quibus tenetur emptor mutuare, de quibus patuit qu. 19. & tamen emptor

non

non vult ei mutuare, ſed tantum vult emere ab eo; tunc enim, etiamſi det juſtum pretium, & omnia alia requiſita ſunt ibi, depravabitur emptio mortaliter, vel ſaltem emptor peccabit mortaliter nolendo mutuare ſed emere.

Ex hoc ſequitur *Corollarium*, quod ſi quis dives vel pecunioſus velit emere redditum perpetuum, ſive redimibilem ſive irredimibilem, & cum debitis circumſtantiis, ut non per accidens depravetur emptio, vel ſaltem ut inter emendum non peccet, valde ac ſumme neceſſarium eſt, quod videat ad neceſſitatem vendentis, quæ in quatuor vel quinque caſibus poſitis qu. 19. poteſt eſſe talis & tanta, quod emptor idem mutuare deberet tantam pecuniam, quanta indiget, & ob cujus pecuniæ neceſſitatem venditor conſtituit & vendit redditum ſuper bonis ſuis; maxime ſi ab emptore prius talis petivit mutuum & obtinere non potuit, & ob hoc ad venditionem reddituum compulſus extitit. Aut ſi non petivit mutuum, tamen hoc ſimpliciter, ut bene conjicitur, optabat, ſed obtinere deſperabat. Nam ſi diviti conſtet de tali neceſſitate, non excuſatur in omiſſione mutui etiam, ſi non proprio motu illi mutuet: multo magis, quando petit mutuum; vel quando tacens de mutuo petit, ut emat ab eo redditum conſtituendum in bonis ſuis, & dives bene ſcit de eo talem neceſſitatem. Nec tamen illud opus eſt divitibus ſolum in emptione reddituum; immo etiam in emptione prædiorum & aliorum bonorum immobilium & mobilium, quæ habent pauperes & indigentes, & preſſi neceſſitatibus; quia etiam in emendo illa bona ab eis videndum eſt ad prædictam neceſſitatem; & maxime quando eis conſtat, quod ob neceſſitatem, qua premuntur, coguntur illa diſtrahere. Hæc eſt una ex circumſtantiis ob quam timendum eſt, quod ſæpe depraventur emptiones reddituum; & maxime eſt illud natum contingere temporibus famis & cariſtiæ; ſicut fuit jam temporibus noſtris, quibus grandis illa miſeria & penuria innumeros pauperes vel ad conſtituendum in bonis ſuis redditus vel ad bonorum ſuorum diſtractionem compulit; multis, ut timendum eſt, divitibus non aliorſum flectentibus oculos ſuos, niſi ad emendum prædia vel poſſeſſiones ipſorum pauperum, vel redditus ſuper bonis illorum pauperum conſtitutos, juxta illud Pſalmiſtæ: *Oculos ſuos ſtatuerunt declinare in terram.* Et o utinam pro pretio ſaltem juſto emiſſent!

Neque tamen, etiam ſi juſtum pretium dederunt, propter hoc præciſe immunes ſunt a peccato; neque ſibi ipſis blandiantur dicentes, ſe ſervaſſe illud divinæ legis, quo ſervato, ut ajunt, juſta & licita eſt redituum & aliarum rerum emptio, ſcilicet *ne quis ſupergrediatur vel circumveniat fratrem ſuum in negotio.* 1. Theſſ. 4. *Nam ſi quis etiam totam legem ſervaverit, offendit autem in uno, hic factus eſt omnium reus.* Jac. 2. Nonne lex etiam dicit: *Mutuum date*, quod non tantum vel univerſaliter loquendo conſilii eſt, ut falſo ſibi quidam blandiuntur, ſed præcepti in caſibus quatuor vel quinque ſupra poſitis, qui ſæpe, ut verendum eſt, divitibus evenerunt. Et utinam attendiſſent illud, quod in veteri lege ſcriptum eſt; & non minus tamen quoad hoc, quod morale eſt in eo, ad nos uſque, qui proprie ſub lege pietatis vivere debemus, extenditur. Dicitur, inquam, Deut. 15. *Si unus de fratribus tuis, qui moratur intra portas civitatis tuæ, ad paupertatem venerit, non obdurabis cor tuum, nec contrahes manum, ſed aperies pauperi, & dabis mutuum, quo eum indigere perſpexeris. Cave ne forte ſubrepat tibi impia cogitatio, & dicas in corde tuo; appropinquat ſeptimus annus remiſſionis, & avertas oculos tuos a paupere fratre tuo, nolens ei quod poſtulat mutuum commodare, ne clamet contra te ad Dominum, & fiat tibi in peccatum; ſed dabis ei; nec quidquam callide ages in ejus neceſſitatibus ſublevandis, ut benedicat tibi Dominus Deus in omni tempore ad quæ manum miſeris.* Hæc ibi. Ponderate verba, ſignate myſteria, & aromatum more ea conterite.

Primo igitur ponderemus illa duo verba Domini, cum ait: *Cave*, &, *impia!*. Ubi enim nos Dominus admonet, ut caveamus, ibi peccatum subesse judicandum est; & ubi impietas memoratur, mortale peccatum introducitur. Nam propter solum peccatum mortale homo inimicus Dei constituitur, & ad pœnam sensus damnatur. Modo propter impietatem constituitur homo inimicus Dei, quia Sap. 14. dicitur: *Similiter sunt Deo odio impius & impietas ejus*. Vult ergo Dominus, quod peccatum & impietas sit, nolle pauperi indigenti mutuare, etiam si plus quam ad annum debeat exspectare mutuans restitutionem sortis. Nam quando veniebat annus remissionis, debita relaxabantur, sic quod non dabatur actio creditori contra debitorem, donec finitus esset annus septimus.

Secundo ponderemus illud verbum; *ne clamet ad Dominum, & fiat tibi in peccatum*. Quid enim aliud ex illo elicitur, quam quod etiam usque eo aggravatur peccatum non mutuandi graviter indigentibus, quod etiam in cœlum clamitans esse dicatur.

Tertio ponderemus cum ait: *callide. &c.* Nunquid non callide egerunt divites illi, ad quos cum venerunt aliqui, qui ab incunte ætate duris & fidelibus laboribus se nutrierunt, sed ob temporis illius durissimam conditionem effecti sunt in victualibus pauperes, inedia squalidi, fame marcidi, liberos habentes facie extenuatos, rogantes piissimo nomine Domini invocato, quatenus eis mutuarent aliquam summam pecuniarum, qua suis calamitatibus subvenirent. At illi, si forte signum aliquod sed mendax ostenderunt compassionis gestu corporis, tamen plus impii fuerunt, quam qui tempore Joannis fuerunt, qui saltem lingua & verbo dilexerunt proximos, benigna saltem dantes, licet sine opere, verba. Hi autem lingua & verbo simul & opere & veritate immites fuerunt in eos, dicentes; pecuniam non habeo; vel si quam habeo, mutuare non possum tibi, nec volo, quia ipsemet indigeo ea. Non animadvertentes illud Joannis Baptistæ: Qui habet duas tunicas, det non habenti; nec considerantes, quod magis ipsi, licet divites, charitate indigebant, quam illi pecunia. Nam *qui habuerit substantiam hujus mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo?* 1. Jo: 3. Cumque inconcussis visceribus pietatis eos vacuos abire fecerunt, desperaverunt pauperes, cogitantes mutuum gratuitum se nullatenus posse obtinere, nec etiam ab eisdem posse mutuum sub usuris accipere, eo quod conjecerunt eos divites; etsi non propter Deum, quem non verentur, tamen propter mundum & propter pœnas temporales non mutuaturos sub usuris. Sed cum pauperes viderunt hortulos, aut agellos, aut casulas sibi aliquas supereſſe, cogitaverunt constituere annuum redditum in eisdem, & obtulerunt se eis redditum illum vendituros. Et ecce mox verbo venditionis emisso subito mira celeritate in esse prodiit pecunia emptionis, quæ prius nomine mutuationis audito nullibi apparebat. Emerunt igitur, & ut qui impii fuerunt mutuum denegando, aliquo modo suum immitem palliarunt animum, gratiam redemptionis venditoribus concesserunt. Et o utinam gratiam illam non mox alia iniquitate corrupissent, dando scilicet ob illam gratiam concessam minus justo pretio. Accepto itaque pretio pauper ille suæ succurrit calamitati, & cum Caribdim evasisset, incidit in Scyllam. Eum enim per omnem diem Sol & Luna vigiliis & laboribus uret per noctem; in sudoribus cum summa anxietate aquirit ea, quibus annuam pensionem solvat emptori: quoniam si defecerit, in tot cautelis emptor munivit suum contractum, quod parvo tempore, qui pauperem illum rerum illarum quasi partiali usufructu spoliavit, etiam earundem proprietatem usurpabit. Et quamvis gratia redemptionis pauperi illi fuerit concessa, tamen ut unquam redimat, opportunitas nunquam occurret. Adeo enim extenuatus fuit; quod etiam vix ipse & familia sua famem ipsam utcunque temperare, taceo extinguere, possit. O pietas! o christianorum mititas cor-

cordium! obſervatum eſt, proh dolor, aurum noſtrum, mutatus eſt color optimus; in Scoriam verſum eſt noſtrum argentum; abierunt pii, ſuccurrerunt impii. &c. Hucuſque Conradus.

Commonitorio Conradi addo doctrinam Reverendiſſimi DD. Corbiniani Graz, Abbatis Rottenſis, qui in Theſibus ſuis anno 1724. editis *de alta poteſtate in bona fortunæ*, non obſtante, quod defendat licitum uſum cenſus annui titulo Dominii alti, quod Reſpublica habet in bona fortunæ ſubditorum ceſſante obligatione charitatis, fatetur tamen, ſaltem in caſu neceſſitatis gravis, quam debitor incurreret ex onere cenſus annui, non poſſe licite exigi cenſum annuum. §. 2. ſic ſcribit: *Notandum eſt, quadruplicem dari neceſſitatem.*

Prima *eſt* extrema neceſſitas, *quando vitæ periculum imminet moraliter certo futurum, niſi ſuccurratur.*

Secunda *eſt* neceſſitas quaſi extrema *ſeu* urgens, *quando tale malum imminet, quod in communi æſtimatione hominum æquivalere etiam morti poteſt; v. g. periculum incidendi in graviſſimam aliquam calamitatem, qua vita non niſi miſerrime poteſt ſuſtentari; periculum incidendi in morbum periculoſum & incurabilem; amittendi membrum principale vel ſenſum corporis; periculum incidendi graviſſimam, ipſaque morte duriorem captivitatem, in perpetuum carcerem, amentiam, hiſque mala ſimilia. Item in urgenti eum neceſſitate conſtitutum putant aliqui authores, cui pro ſtatus ſui ratione graviſſimum eſſet dedecus mendicare, tantam ipſi ac moralem afferens impoſſibilitatem, ut potius mortem eligeret, ſi id licite poſſet.*

Tertia *eſt* neceſſitas gravis, *qua laborans ſuam vitam quidem, & membra principalia conſervare poteſt, difficulter tamen; ſtatum vero ſuum jam non amplius tueri valet. Ut ſi quis v. g. ex defectu & carentia rerum ſibi neceſſariarum in periculum gravis morbi & diuturni, carceris, vel famis incideret; vel in periculum cadendi notabiliter a ſuo ſtatu, vel etiam cum notabili probro tantum conſervandi ſtatum, ut ſi nobilis ſervire, vel ſerviliter laborare cogeretur; ſi honeſtus civis deberet mendicare.*

Quarta *eſt* neceſſitas communis, *qua aliquis neceſſaria præciſe ad vitam, ſuumque ac familiæ neceſſariæ ſtatum habet, ita ut vitam agere non nimis miſeram debeat, juxta ſtatum patientis tamen non nimis moleſtam. His poſitis.*

Concludo primo. *Concedere jus auctarii* (ſupra ſortem principalem) *in eum etiam caſum, quo ex illius ſolutione mutuatarius in extremam vel quaſi extremam neceſſitatem incideret, abſque ſua culpa tali pœnæ proportionata, repugnat juri naturali.*

Concludo ſecundo. *Concedere aliquid ſupra ſortem etiam pro caſu, quo ex auctarii ſolutione debitor in periculum incideret gravis neceſſitatis, eſt contra jus naturale.*

Ratio hujus concluſionis a Reverendiſſimo Authore ponitur, quia jus alti Dominii, & neceſſitas boni publici non petit transferri dominium cenſus annui a mutuatario in mutuantem cum tali gravamine mutuatarii.

§. VII.

Quandonam non detur obligatio mutuandi gratis?

Dico 1. Non datur obligatio mutuandi, ſi petens mutuum in nulla verſetur indigentia, ne quidem communi, & creditor ſuas pecunias deſtinat ad alios uſus, cum mutuo incompatibiles.

Dixi 1. *Cum mutuo incompatibiles.* Si enim alii uſus a creditore intenti poſſint obtineri aliis pecuniis; vel reſtitutio ſortis ſecuriſſime haberi poſſit quovis tempore, quo urgebit utilitatis occaſio, non ceſſat obligatio mutuandi gratis, prout dictum eſt §. 6. concluſ. 5.

Dixi 2. Si petens in nulla verſetur indigentia, v. g. ſi dives peteret mutuum tantum ad ſtruenda nova ædificia, comparandos novos fundos, conquirendas dignitates, vel ad alia lucra aut commodo non neceſſaria.

Concluſio ſic explicata *probatur*, quia, ubi duo certant ſolum de lucro captan-

do, aut commodo promovendo, ordo charitatis in quolibet incipit a seipso: nec obligatio contraria sufficienter probatur.

Dico 2. Non datur obligatio mutuandi constituto in necessitate communi, si ipsemet creditor non habeat superfluum status. Ita Conradus l. cc. *Concl.* 10. *casu* 3. & 4.

Probatur. Si mutuans non habet superfluum status, privaret se per mutuum sua decentia status; sed ad hoc non obligatur in gratiam constituti solum in necessitate communi; nam privando se decentia sui status ipsemet incideret in casum necessitatis communis.

Notandum vero, decentiam status habere suam latitudinem; si enim mutuum foret tam exiguum, ut illo non obstante nihilominus staretur intra limites decentiæ moderatæ, non cessaret obligatio mutuandi, quia pecunia mutuanda simpliciter loquendo diceretur pertinere ad superfluum status; vide dicta §. 6. concluf. 2.

Dico 3. Non datur obligatio mutuandi constituto etiam in arcta seu gravi necessitate, si creditor timeat, se ob periculum retrahendæ sortis, aut ob carentiam pecuniæ facile constitui posse in gravi necessitate. Ita Conradus l. cc. *casu* 8.

Probatur. Nemo tenetur proximum eripere e malo cum periculo probabili incidendi in idem malum v. g. ad educendum e puteo, flumine, &c. ergo idem dicendum circa malum gravis necessitatis.

Notandum tamen, hoc intelligi debere, nisi ad subeundum ejusmodi periculum accedat alia obligatio vel conventio, v. g. in filio respectu parentis.

Hinc sequitur, constitutum in communi necessitate regulariter non obligari ad mutuandum constituto in arcta necessitate, quia necessitas communis ex carentia pecuniæ paratæ sæpe ac facile mutatur in arctam, ita quoad rem l. cc. *casu* 8. Conradus.

Dico 4. Non datur obligatio mutuandi constituto in communi vel arcta necessitate, nisi de illa necessitate, & de defectu alterius gratuiti subsidii moraliter constet. Ita quoad rem l. cc. Conradus *casu* 6.

Probatur. Obligatio cuivis gravem necessitatem alleganti mutuandi, ubi de illa necessitate & defectu alterius subsidii moraliter non constat, cederet in manifestam proborum depauperationem, ac consequenter in malum generis humani. Semper enim in mundo sunt plures impii, fraudulenti, & impostores; qui mentiuntur se pauperes, simulantque aut exaggerant suas necessitates, in quorum proin fraudulentas manus devenirent bona piorum. Cum ergo obligatio naturalis non detur vergens in præjudicium societatis humanæ, nec ista dabitur.

Dico 5. Non datur obligatio mutuandi constituto etiam in gravi necessitate, si quis habeat animum, iisdem pecuniis brevi subveniendi magis indigentibus, aut certe in pari necessitate constitutis, dignioribus, vel proximioribus. Ita Conradus l. cc. *dicto* 6. ubi tamen recte addit exceptionem; nisi mutuans ita abundet pecuniis, ut etiam aliis indigentioribus, dignioribus, vel proximioribus possit sufficere; vel nisi interea fors sit restituenda.

Probatur. Ordo charitatis exigit, ut dum omnibus subveniri nequit, prius subveniatur dignioribus & proximioribus.

Dico 6. Non datur obligatio mutuandi constituto etiam in gravi necessitate ex pecuniis, quæ servantur in futuras necessitates proprias, probabiliter metuendas.

Dixi proprias, puta personales, aut domesticas v. g. uxoris & liberorum. Tales sunt pecuniæ servandæ in senium, in dotem liberorum, in reparationes ædificiorum, &c.

Dixi 2. Probabiliter metuendas, nec interest, utrum timeantur necessitates determinatæ, vel indeterminatæ; dummodo in hominibus similis conditionis aliquæ earum non valde raro occurrant: ut enim prospiciatur casibus rarissimis,

vix

vix unquam in homine ſimilis conditionis occurrentibus, repugnat intentioni legislatoris divini, obligantis ad ſubſidia charitatis ex ſuperfluo ſtatus: fruſtraretur enim illa lex ſuo effectu, ſi liceret, ſuperfluum ſtatus reſervare in caſus futuros extraordinarios, vix unquam occurrentes.

Probatur. Parata pecunia, reſervata in ſimiles neceſſitates proprias, juxta communem æſtimationem cenſetur pertinere ad decentiam ſtatus. Ergo, cum nemo cauſa ſublevandæ gravis neceſſitatis in alio teneatur ſe exuere decentia ſtatus, non dabitur in hoc caſu obligatio mutuandi.

Excipiendum tamen; niſi per ſecuram reſtitutionem ſortis pecunia mutuata rehaberi poſſit quovis tempore: in hoc enim caſu daretur obligatio ſubveniendi conſtituto in gravi neceſſitate etiam ex pecuniis alioquin reſervatis in futuras neceſſitates proprias.

§. VIII.

Utrum contractus cenſualis perſonalis, utrinque redimibilis ſit jure naturali illicitus, ubi non habetur moderata taxa cenſus per legem, aut conſuetudinem?

Dico. Eſſe jure naturali in ejuſmodi provinciis illicitum.

Probatur. Contractus, cujus generalis licentia indeterminata ob particulares locorum vel temporum circumſtantias evidenter vergit in notabile detrimentum boni publici, nullo illud detrimentum compenſante majore bono publico, eſt jure naturali illicitus pro illa locorum aut temporum differentia. Sed talis eſt ille contractus pro ejuſmodi provinciis. Nam ubi nulla eſt moderata taxa cenſus, ob avaritiam creditorum, & inopiam mutuatariorum pronum eſt augeri cenſus in notabile gravamen populi. Neque huic malo poſſet occurri congruo remedio; quia creditores uſurarii ſemper reſpondere poſſent, ſe non celebraſſe contractum mutui, ſed contractum cenſualem perſonalem.

Hinc & authores in ejuſmodi provinciis, ubi non habetur moderata taxa cenſus, reprobant hunc contractum vel tanquam uſurarium, vel tanquam de uſura ſuſpectum, vel tanquam periculoſum; quod ipſum illorum authorum judicium argumento eſt, hunc contractum, in ejuſmodi circumſtantiis locorum vel temporum poſitum, repugnare bono communi, adeoque & ipſi juri naturali.

Dices. In contractibus aſſecurationis, in emptione debitorum, vel actionum: item in emptione fructuum adhuc in agro extantium, vel in emptione ſpei in piſcatione vel ludo, & in aliis ſimilibus contractibus debet privatorum judicio relinqui æſtimatio periculi, vel ſpei. Ergo idem poteſt permitti in contractu cenſuali judicio creditorum in provinciis, ubi non habetur moderata taxa cenſus.

Reſpondeo, negando paritatem; quia in illis contractibus æqua vendentium & ementium conditio relinquit indifferentiam judicii; econtra in cenſibus prædominans a potiori creditorum avaritia, ex altera parte mutuatariorum neceſſitas non eſt idonea ad formandam æſtimationem jurium realis & perſonalis in caſu periculi: accedit, quod in illis aliis contractibus materia contractus plerumque habeat æſtimationem communem, eo quod ſint plura ejuſdem rationis individua, ſibi invicem ſimilia: econtra in cenſibus, cum periculi magnitudo dependeat a complexo circumſtantiarum perſonalium, quarum collectio vix reperitur ſimilis in uno, quæ reperitur in altero, non poteſt haberi æſtimatio communis. Intereſt proin boni publici, ut ponatur taxa communis moderata ad æquandas illas omnes differentias perſonales ſeu individuales.

§. IX.

Utrum contractus censualis personalis utrinque redimibilis, spectato jure naturali aut divino, sit licitus in provinciis, ubi census recepit generalem moderatam taxam lege aut consuetudine?

EX dictis §. 3. 4. & 5. constat, quæstionem esse de contractu censuali germanico in casu, ubi tria concurrunt. *Primo*, ut non detur obligatio mutuandi gratis lege charitatis. *Secundo*, ut concurrat titulus particularis aut periculi, aut lucri cessantis, aut damni emergentis. *Tertio*, ut census non excedat taxam generalem consuetam in ratione quinque pro centum, consuetudinem enim quarundam urbium Germaniæ, in quibus ob florens commercium permittuntur sex pro centum, nolim positive defendere, aut hac quæstione comprehendere. His suppositis

Dico. Contractus censualis personalis utrinque redimibilis, spectato jure naturali aut divino, est licitus in provinciis, ubi reperitur taxa moderata census, introducta per legem aut consuetudinem, & datur particularis titulus, nulla ad mutuum gratuitum obligante lege charitatis.

Probatur 1. In tali contractu ex una parte intercedit vera emptio, seu commutatio *juris realis* cum *jure personali*, accedente compensatione minoris in jure personali valoris per censum, prout dictum est §. 3. & 4. ex altera parte nec emptioni nec commutationi repugnat pactum rescissionis ad utriusque contrahentis arbitrium, prout suppono ex communi Doctorum *de emptione*, aut *permutatione*. Ergo nil in contractu ejusmodi censuali ostendi potest illiciti.

Probatur 2. Contractus censualis personalis utrinque redimibilis in Germania receptus est mutuatariis longe exoptabilior, quam contractus censualis realis utrinque irredimibilis; aut venditio bonorum mobilium utilium, ac immobilium; sed contractus censualis realis utrinque irredimibilis, & venditio bonorum non repugnant juri naturali aut divino in casu quæstionis; ergo nec repugnat juri naturali aut divino contractus censualis personalis utrinque redimibilis.

Major patet ab universali experientia; nemo enim est, qui non eligat potius contractum illum censualem personalem utrinque redimibilem, quam contractum censualem realem utrinque irredimibilem, aut venditionem suorum bonorum immobilium, vel mobilium valde utilium, v. g. equorum, vaccarum, ovium, instrumentorum artis. Ratio autem est, quia obligati contractu censuali utrinque redimibili plerumque eluctantur ex debitis partim parsimonia & industria propria, quam acuit spes redemptionis, partim devolutione hæreditatum, partim dotibus generorum vel nuruum, quibus cedunt sua bona; dum econtra obligati censibus irredimibilibus, aut vendentes bona immobilia vix unquam eluctantur ex debitis, sed potius festino gradu plerumque trahuntur ad incitas. *Minor* autem patet ex consensu authorum.

Probatur 3. Contractus censualis germanicus utrinque redimibilis est longe mitior contractu censuali reali redimibili solum ex parte venditoris, prout solet celebrari in Italia, Hispania, Gallia, ac Polonia; atque antiquitus celebrabatur in ipsa Germania. Sed hic contractus licet; ergo & prior. *Minor* patet ex consensu Doctorum. *Major* probatur.

Census personalis Germanicus tantum exigit quinque pro centum. Econtra census realis in Italia, Hispania, & Gallia permittit 6. 7. 8. 9. 10. pro centum; id enim testatur Navarrus de Usuris num. 138. in fine his verbis: *Pretium justum census* (realis) *pro varietate regionum varium solvitur. In Aragonia enim solvitur ad rationem quinque pro centum. In Navarra ad rationem sex pro centum. In Castella ad rationem septem & aliquantulum plus pro centum. Et in aliquot partibus Galliæ ad rationem*

nam decem pro centum. Quod etiam in Germania ſolitum fuiſſe ſignificant Extravagantes Martini & Calliſti in tit. de empt. inter Extravagantes communes, quatenus probant, licitos fuiſſe quoſdam cenſus impoſitos ad rationem decem pro centum. Et quod etiam in Urbe vidimus aliquos impoſitos ad rationem novem pro centum, & octo pro centum; quamvis nunc ut plurimum imponantur ad rationem ſeptem pro centum.

Idem teſtatur eodem libro de Uſuris num. 104. ubi ſic ſcribit: *Non ſolum poteſt conſtitui & emi cenſus annuus* (realis) *pecuniæ numeratæ, ſed etiam vini, frumenti, & cujuſcunque alius rei; quamvis in nonnullis regnis Hiſpaniæ ante aliquot annos ſtatutum fuerit, ut non conſtitueretur, niſi in pecunia numerata; immo & legibus cautum fuit, quantum deberet eſſe pretium ejus. Unde in Aragonia debent ſolvi viginti pro uno; ſive ad rationem quinque pro centum. Et in Regno Navarræ ſex pro centum. Et in regno Caſtellæ ad rationem 7. pro 96. immo & cenſus antea conſtitutos in aliis rebus redegerunt in cenſus pecuniæ numeratæ ad rationem prædictam. Pius autem Quintus in hac Extravaganti neque determinavit, ut cenſus conſtituatur in ſola pecunia numerata, neque quantum pretium pro eo debeat ſolvi. Unde quamvis in Urbe communiter ſolvatur ad rationem ſeptem pro centum; audivi tamen, aliquos ſolvere, aut ſolviſſe octo pro centum. Audio item, Regem Catholicum Philippum II. nunc in Regno Neapolitano erigere montem, in quo ſolvuntur novem annua pro centum. Scio etiam in aliquibus partibus Galliæ conſtitui cenſus ad rationem decem pro centum. Nec mirum, quia pretia rerum pro varietate gentis, terrarum, & temporum; & pro copia vel penuria ementium vel vendentium, vel mercium vel pecuniæ numeratæ variantur; & apud omnes conſtat, cenſum eſſe mercem quandam emibilem & vendibilem.* Ita Navarrus.

Lud. Molina de Cenſibus diſput. 383. num. 13. idem teſtatur his verbis: *In hoc Caſtellæ regno prohibitus eſt cenſus redimibilis, qui in re alia ſit ſolvendus, quam in pecunia; ſimulque ſancitum eſt, ut cenſus redimibiles ante illam legem conſtituti in aliis rebus ſolvendi redigerentur ad pecuniarios ad rationem unius pro quatuordecim (id eſt 5. pro 96.) ita videlicet, ut juxta pretium datum ſolverentur deinceps in pecuniæ ad rationem unius pro quatuordecim. In Luſitania vero ſatis frequentes ſunt cenſus redimibiles, non pecuniarii, qui in tritico ſolvuntur: ſolentque emi pretio viliſſimo, attento pretio maximo tritici in eo regno his noſtris temporibus, adeo ut neque ad rationem novem pro uno emantur; dignumque profecto eſſet, ut vel prohiberentur, vel moderamen aliquod adhiberetur, ne agricolæ, qui neceſſitate preſſi pecunias in eum cenſum accipiunt, injuſte opprimerentur.*

Martinus V. ſcribens ad Epiſcopos Poloniæ illum cenſum permittit, etiamſi ſe habeat in ratione unius ad decem. In Extravag. lib. 3. tit. 5. de Emptione ſic habet: *Petitio Cleri Diœceſis Uratiſlavienſis continebat, quod a centum annis & ſupra conſuetudo rationabilis introducta fuiſſet,* (qua) *civis, ſive oppidanus &c. ſuper bonis ſuis terris, domibus, & hæreditatibus vendere conſuevit annuos cenſus unius vel plurium marcarum aut groſſorum ad rationem & pro qualibet marca annui cenſus* 10. 11. 13. 14. *marcæ aut plus vel minus ſecundum temporis qualitatem, prout ipſi contrahentes tunc inter ſe convenerant &c.*

Eandem rationem unius ad decem aut *plus vel minus* etiam tacite permittit Callixtus in ſua Extravag. loc. cit. ad Germanos, dum eam non excipit.

Confirmatur hoc argumentum ex eo, quia in cenſu reali redimibili ſequuntur eadem inconvenientia, quæ ſequuntur in cenſu perſonali opinione adverſariorum.

Probatur. Nam, prout Ludov. Molina de Cenſibus realibus diſput. 385. n. 5. obſervat, illi, qui ejuſmodi cenſus reales redimibiles emunt, vivere volunt de alieno ſudore cum ſuo proprio otio; unde ſequitur, quod terras non colant, neque exerceant negotiationes alias Reipu-

blicæ utiles. Dein via præcluditur exercendæ charitati in mutuis, dum poscenti mutuum protinus, qui pecunias habent, offerunt, ut censum vendat. Præterea, qui census vendunt, depauperantur valde, gravando bona sua annuis redditibus quos solvunt. Molina non negat, hæc inconvenientia sequi ex censu reali redimibili; contendit tamen, longe majora secutura, si recusato ejusmodi censu reali indigentes cogantur vendere bona immobilia: num. 19. sic respondet: Dicendum, ea omnia, quæ in argumento mala atque absurda reputantur, non minus immo plus ex eo sequi, quod prædia emi justo pretio possint ex iis, qui pecunia indigent. Qui enim pluribus abundant prædiis, vivere æque possunt in otio, sudore ac labore aliorum, ea illis locando, atque illi in otio vivunt, qui multos habent census emptos. Hinc etiam qui prædia vendunt, facilius ad paupertatem rediguntur, quam qui census in eis vendunt, præsertim si redimibiles sint. Quare sicut ob hæc non sequitur, emptionem prædiorum justo pretio illicitam esse; ita nec sequitur, illicitam esse censuum emptionem. Ita Molina, cujus responsio ob paritatem rationis applicari potest ad censum personalem.

Neque censum personalem utrinque redimibilem mutuatario difficiliorem reddit, quod creditor habeat jus compellendi debitorem ad restitutionem summæ. Debitor enim, nisi fuerit vicinus subhastationi, plerumque reperit facile alium creditorem, præsertim si residuam suam partem bonorum immobilium velit subjicere censui irredimibili; aut poterit vendere sua bona mobilia, ad quæ extrema adversarii miseros statim ab initio compellunt.

Probatur 4. Contractus censualis germanicus nihil aliud est, quam compensatio legalis lucri cessantis, aut damni emergentis, aut periculi instantis in casu, quo ad mutuum gratuitum conjunctum tali periculo, damno, aut lucro cessanti nulla obligat lex justitiæ aut charitatis, prout patet ex §. 3. 4. 5. sed talis compensatio jure naturali licita est. Ergo. *Minor* quoad compensationem lucri cessantis, & damni emergentis patet ex consensu authorum. Quoad compensationem periculi *probatur*. In casu, quo ad subeundum in gratiam amici fortunarum periculum nulla urget obligatio justitiæ aut charitatis, ultronea susceptio periculi est pretio æstimabilis consensu Doctorum, & Gentium; ergo & compensari poterit pretio quodam legali, quale in præsenti est constitutio census. Consensum Gentium probant contractus assecurationis, ubique recepti, quos & approbant Doctores.

Probatur 5. Imperatores & Principes Christiani multis sæculis non solum tolerarunt, sed etiam positive approbarunt census annuos, censui germanico simillimos, ex præsumptione generali, quod essent compensatorii aut lucri cessantis, aut damni emergentis, aut periculi instantis, ultro suscepti, nulla ad id subeundum obligante lege justitiæ vel charitatis. Ergo verificata in casu particulari illa præsumptione generali non repugnat legi naturali ille census; alioqui illi Principes aliquid approbassent sub conditione, seu, quod idem est, præsumptione, quod etiam verificata conditione illicitum est.

Antecedens probatur ex variis constitutionibus Justiniani Imperatoris, in quibus permittit ejusmodi annuos census, conjunctos periculo, eorumque constitutionem aliquando vocat *emptionem*, aliquando *pactum*, aliquando *reditum*, aliquando *usuram*, *compensatoriam* videlicet. Novella 72. sic habet: *Sancimus, nullam necessitatem esse curatoribus, minorum pecunias fœnerare, sed caute reponere & reservare; quoniam melius est eis, in antiquis tutamen manere, quam usurarum appetitione etiam antiqua pecunia cadere, & periclitari quidem curatorem si non mutuaverit; rursus autem, si mutuaverit, periculum sustinere, facto forsan in debitis detrimento. Si autem sponte mutuare voluerit, sub obligatione forte pignorum, aut sub aliis, quæ indubitatæ putantur, cautelis, sciat mutui periculum omni-*

omnino ad ſe pertinere. Ex hoc textu ſequitur, quod Juſtinianus crediderit eſſe in mutuo periculum, etſi recepta ſint pignora, aut aliæ cautelæ adhibitæ, quæ putabantur eſſe indubitatæ. Ibidem c. 7. ejuſmodi elocationem pecuniæ minorennum a curatoribus factam vocat *emptionem* cenſus. Poſtquam enim curatoribus præſcripſerat quaſdam cautelas, in elocatione ejuſmodi pecuniæ obſervandas, addit: *Si quid horum* (curator) *neglexerit hujus emptionis* (annui reditus) *ipſum reſpiciet periculum*.

Idem Novella 136. Argentariis, ſeu nummulariis publicis, qui omnibus dabant pecunias mutuas, pro cenſu annuo concedit *beſſem*, ſeu *octo* pro *centum*, datque illis facultatem, etiam excutiendi fidejuſſores, idque intuitu periculi, quod in ſe recipiunt: *His*, inquit cap. 2, *liberalitatem noſtram explicamus propter communem ipſorum utilitatem, quam in contractibus exhibent, dum multis ſe periculis immiſcent, ut ingruentibus aliorum neceſſitatibus medeantur*.

Idem Novella 160. approbat penſionem annuam, a mutuatariis civitati ob mutuas pecunias ſolvendam, ac redimibilem utrinque; & hunc contractum dicit potius vocandum eſſe conſtitutionem cenſus, quam mutuum, ſic habet: *Edocti ſuimus, quod, cum magna auri ſumma Aphrodiſienſium Reipublicæ ex legatis relicta eſſet, Magiſtratus eam auri ſummam cuidam collocaverint, ut quamdiu id auri apud ipſum reſideret, tamdiu, qui id ſuſcepiſſet, quoquo anno civitati pro eo dependeret, ſive quis id PACTUM, ſive REDITUM, ſive etiam USURAM appellare velit, quantum ferre civitatem æquum foret. -- Sancimus, ut qui id auri perceperunt in hoc, ut ſingulis annis aliquam penſionem reipublicæ perſolvant, quoad illud penes ſe aurum habuerint, inferre compellantur id, quod pro eo ſe illaturos conſtituerint; nequaquam alia noſtra conſtitutione obſtante* (qua ſancivimus, ne uſuræ ultra duplum ſummæ accipiantur) *illam enim de creditoribus* (*in mutuo*) *conſcripſimus: præſens vero magis annuo reditui, quam uſurarum præſtationi ſimile videtur*.

Similiter in Comitiis Spirenſibus 1600. §. 152. So vil nun. cenſus annuus permittitur ob præſumptionem lucri ceſſantis, eo quod creditor potuiſſet alio modo licito veroſimiliter lucrari quinque pro centum, ſi habuit animum pecunias non relinquendi otioſas, ſic habent: So vil nun diſem nach der vermuethung halber, das der creditor ſein geld von ſolcher zeit an anlegen, und zugelaſſener weis zum wenigſten von hundert Gulden fünf wol haben möge.

§. X.

Solvuntur Objectiones.

Objicitur 1. Sæpe in cenſu germanico nullum moraliter ſubeſt ſortis periculum, v. g. dum monaſterio alioquin diviti ad emergentem repentinam neceſſitatem commodatur pecunia; vel ſi periculum ſubeſt, ad ſubeundum ingratiam amici periculum obligat lex charitatis; ergo contractus cenſualis germanicus non eſt univerſim licitus ſed ſæpe uſurarius.

Reſpondeo a me concedi, contractum cenſualem germanicum, qui ab aliis authoribus illimitate ut licitus defenditur, ſæpe eſſe uſurarium. In quibus autem caſibus ſit habendus pro uſurario, dicetur. §. 11.

Objicitur 2. Contractus cenſualis germanicus, etſi non ſit univerſaliter uſurarius, eſt tamen ex ſuo genere periculoſus, ac de uſura ſuſpectus, prout dicetur §. 12. quia videlicet frequenter dubium eſt, an detur ſufficiens ſortis periculum, quod creditorem excuſet ab obligatione mutui gratuiti; vel quia dubium eſt, utrum etiam ſtante ſortis periculo non detur obligatio ad mutuandum gratis ex lege charitatis. Ergo hic contractus a viris timoratæ conſcientiæ fugiendus eſt.

Re-

Respondeo. Innumeras dari actiones aut pactiones humanas, in quibus subest periculum peccati vel ob dubietatem requisitorum ad actionis licentiam, vel ob pronitatem humani cordis ad immiscendam intentionem pravam. Nec tamen genus earum actionum vel pactionum totaliter proscribitur a societate humana, sed caute in particulari examinatur ad normam justitiæ vel charitatis. Tales actiones & pactiones sunt v. g. declarationes belli, emptiones & venditiones, electiones vel præsentationes ad beneficia curata, susceptio militiæ, administratio magistratus, officium judicis, advocati, medici, chyrurgi, confessarii &c. Itaque sicut in istis omnibus necessitas boni publici permittit hæc periculosa actionum genera privatorum quorumvis examini, utrum in particulari casu excedant limites justitiæ vel charitatis, ita necessitas boni publici contractus censuales germanicos, utut ex suo genere periculosos vel suspectos, debet relinquere privatorum judicio, utrum in casu particulari declinent ad circumstantias prohibentes vel permittentes, prout ostenditur §. 13.

Objicitur 3. Nulla necessitas boni publici exigit tolerantiam contractus censualis germanici, ergo non est tolerandus. *Antecedens probatur*. Usque ad sæculum 16. mundus stetit sine isto contractu censuali germanico, & etiamnum sine illo perseverant reliqua Christiana regna omnia; ergo non est verosimile, hunc contractum bono communi esse necessarium. Ergo non est tolerandus.

Respondeo. *Necessarium* aliquid dici *absolute*, aliud *respective*. Dicitur & aliquid necessarium *moraliter*, aliud *ad melius esse*. Contractum censualem dico necessarium *respective* ad præsentem statum Germaniæ, saltem ad melius esse. Quamvis ergo alia regna caruerint, ac etiamnum careant hoc contractu, id fit ob alium statum locorum & temporum: neque enim in iis regnis grassabatur tanta libertas judæorum, hæreticorum & improborum, quorum viscera crudelia in miserendo; neque in illis regnis jam prævaluerat consuetudo contraria, ita ut magna pars provinciæ ferme sustentetur ex ejusmodi censibus: neque in illis regnis desunt alii modi utiliter elocandi pecunias. Denique hic non est deliberatio de hoc contractu noviter introducendo, sed de introducto abrogando. Fateor tamen, hunc contractum esse limitandum, prout pluribus deducetur §. 13. ubi & explicantur rationes, cur non sit totaliter abrogandus.

Objicitur 4. Ipsimet patroni contractus hujus censualis loquuntur partim tantum problematice, partim tantum probabiliter disputando, non assertive concludendo; ergo hæc sententia saltem authoritate deficit. *Antecedens* patet ab inductione, quæ affertur §. 14. 15. 16. 17. 18. 21.

Respondeo. Hos authores loqui de emptione census utrinque redimibilis nullo interveniente particulari titulo periculi peculiaris, aut lucri cessantis aut damni emergentis. In defectu autem particularis tituli non solum contractum hunc concedo esse periculosum, & dissuadendum, sed etiam absolute illicitum. Quod autem authores sic timide loquentes non requirant particularem titulum, patet ex verbis eorundem authorum, nemde Gabrielis, Lessii, Sporer, Layman, Valentia, Pichler, & aliorum, quorum textus partim recensentur eodem §. 14. partim §. 15. 16. 17. 18. 21.

Respondeo 2. Eos authores loqui de censu præcise constituto in industria personæ, prout iterum patet ex verbis eorundem; hinc aliqui eorum, ut Biel, dicunt obligationem census non transire ad hæredes; alii asserunt, deficiente in mutuatario occasione lucrandi seu exercendi industriam propriam etiam pro eo tempore deficere obligationem solvendi census. In nostra vero sententia, explicata §. 3. 4. 5. census non constituitur præcise in sola industria personæ, sed in omnibus ejus bonis præsentibus & futuris, idque non ex nudo titulo em-

emptionis alienæ induſtriæ etiam in caſu, ubi nullum eſt periculum ſortis, ſed ex titulo compenſatorio periculi, lucri ceſſantis, aut damni emergentis, in caſu, quo ad ſubeundum periculum, aut ad tolerandam ceſſationem lucri, vel perpeſſionem levis damni nulla obligat lex charitatis. Cæterum quod authores permittant compenſationem periculi, lucri ceſſantis, aut damni emergentis in præfato caſu deficiente obligatione charitatis ad mutuum gratuitum, non indiget inductione laborioſa textuum, prout oſtenſum eſt §. 9. prob. 4.

Objicitur 5. Leges Romanæ non ſolum tolerarunt, ſed etiam poſitive approbarunt uſuram, etiam immodicam, prout patet ex §. 24. Similiter conſuetudo poſitive approbavit contractus manifeſte uſurarios, prout patet ex §. 25. Ergo ſicut nec approbatio uſuris unquam conferri potuit ex authoritate legum vel conſuetudinis; ita nec contractus cenſualis utrinque redimibilis, præſertim perſonalis, authoritatem nanciſci poterit ex conſuetudine vel lege, eundem aut alium contractum ſimilem approbante.

Reſpondeo. Legem civilem aut conſuetudinem reſiſtente lege evangelica aut Canonica non poſſe ſumi in argumentum quoad ea, quæ pertinent ad legem naturalem aut divinam. Jam vero quoad uſuras, præſertim immodicas, conſuetudini & legibus civilibus ſemper reſtitit doctrina Evangelica ex ore SS. Patrum, & Declarationes Conciliorum; itaque in uſura & uſurariis contractibus leges Romanæ & conſuetudines urgeri nequeunt. Econtra leges & conſuetudines ponentes moderatam taxam cenſui compenſatorio periculi, lucri ceſſantis vel damni emergentis non reſiſtit Evangelium, nec Canones Sacri, nec teſtimonia Patrum, nec ratio; itaque authoritatem præſtant cenſui controverſo.

Objicitur 6. Martinus V. Callixtus II. Extravag. 1. & 2. De emptione, & Pius V. licentiam cenſuum contraxerunt ſolum ad cenſum conſtitutum in bonis immobilibus, & redimibilem ſolum ex parte venditoris. Ergo reſiſtit Jus Canonicum cenſui perſonali utrinque redimibili. Verba Martini V. & Callixti II. videri poſſunt in Jure Canonico Extrav. præf. verba autem S. Pii V. in Conſtit. *Cum onus*: ſic habent: *Statuimus, cenſum ſeu annuum redditum creari, conſtituive nullo modo poſſe, niſi in re immobili, aut quæ pro immobili habeatur. Pacta etiam continentia, pretium cenſus extra caſum prædictum* (quo ipſe mutuatarius renuntiavit contractui) *aut ob pœnam, aut ob aliam cauſam repeti poſſe omnino prohibemus*.

Reſpondeo. Martinum V. & Callixtum II. declaraſſe, quod licitus ſit cenſus conſtitutus in bonis immobilibus, de quo ſolo tunc erat quæſtio; nec per hoc voluiſſe quidpiam ſtatuere de cenſu compenſatorio periculi, vel lucri ceſſantis, aut damni emergentis, de quo nulla erat quæſtio. Hæc reſponſio patet ex ipſis eorum verbis. Immo Joa. Major has Bullas potius uſurpat in argumentum pro cenſu utrinque redimibili, prout obſervo §. 20. De Bulla S. Pii V. authores conveniunt, eam non fuiſſe in aliis provinciis receptam in omnibus, nec obligare etiam velle omnes provincias, niſi quoad ea, quæ pertinent ad declarationem legis naturalis. Jam vero in his, de quibus agitur, paragraphis S. Pontifex non intendit edere declarationem legis naturalis, ſed conſtitutionem novam, ſaltem pro ſtatibus ſuo temporali ſubjectis; idque colligitur ex his ipſis verbis: *Statuimus, prohibemus*; qua expreſſione Summi Pontifices non ſolent uti immediate ac directe circa leges naturales, v. g. *Statuimus, neminem occidi poſſe innocentem, aut pro conſervatione unius aurei*. Nec obſtat, quod S. Pontifex etiam *declaret*, contractus alio modo celebratos eſſe fœneratitios; non enim dicit, *hactenus celebratos*, ſed *poſthac celebrandos*, quo inſinuat, tales contractus fœneratitios non habendos ex ſua natura, quæ ſemper eadem fuit, eſt, & erit: ſed ratione novæ conſtitutionis. Eam autem Bullam in iis, quæ non ſunt juris natura-

turalis, aut divini, in variis provinciis non observari, testantur Molina de censibus, Lessius, & alii passim. Molina l. cc. disput. 92. num. 1. sic scribit: *Sicut duplex Simonia distinguitur, una juris naturalis & divini, & alia positiva; sic etiam duplex usura est post hanc Bullam distinguenda; una juris naturalis ac divini, altera positiva introducta a Pio V. ad effectum incurrendi pœnas usurariorum. -- Ea autem sola tenentur ex hac Bulla admittere principes sæculares in suis regnis, quorum opposita sunt contra jus naturale, vel periculosa valde saluti animarum. Quod autem census creari non possit, in pecunia numerata coram tabellione & testibus, & quod creari non possit ex permutatione rei* (prout in Bulla statuitur) *non arbitror teneri recipere.*

§. XI.

An aliquando & in quibus circumstantiis contractus censualis germanicus sit usurarius?

Dico 1. Contractus censualis germanicus universim est usurarius in omnibus illis circumstantiis, in quibus homo tenetur commodare gratis ex obligatione justitiæ aut charitatis. Casus autem, in quibus datur obligatio mutuandi, seu commodandi gratis, expressi fuerunt §. 6.

Probatur. Quando datur obligatio mutuandi, eoipso datur obligatio, nullum mutuatario imponendi onus ultra restitutionem sortis; & si quod illi onus imponitur aliud præter restitutionem sortis, hoc onus jam est usurarium. Atqui hoc ipsum, quod poscenti mutuum imponam necessitatem ineundi loco mutui contractum censualem, est onus mutuatario impositum ultra restitutionem sortis, ergo est usurarium.

Dices. Ex hoc sequeretur, quod, si in tali casu obligarem mutuatarium loco mutui mecum ineundi contractum venditionis, ac mihi vendendi sua bona immobilia, venditio foret usuraria; sed hoc non potest dici; ergo neque potest dici, contractum censualem personalem in eo casu fore usurarium, utpote in quo mutuatarius loco bonorum immobilium vendit creditori suam industriam seu operam.

Respondeo. Usurarium vocari illum contractum, qui non solum satis aperte refert pactionem aut intentionem usurariam, sed qui insuper fit per modum mutui, ita ut referat quandam speciem ac similitudinem mutui in æstimatione populari ac communi. In venditione autem præfata, licet interveniat intentio usuraria, adeoque eadem formalis malitia, non tamen intervenit in æstimatione populari materialis species ac similitudo mutui; & quia denominationes sæpe sequuntur esse materiale rei potius, quam formale, ideo illa venditio bonorum immobilium non vocatur usuraria sed præcise contraria charitati; econtra constitutio census personalis utrinque redimibilis in iisdem circumstantiis vocanda est ac etiam vocatur usuraria, quia refert speciem mutui.

Dico 2. Contractus censualis personalis utrinque redimibilis est usurarius etiam in illis circumstantiis, in quibus opinione propria non datur obligatio mutuandi, seu commodandi gratis, nullus tamen intervenit titulus particularis periculi, lucri cessantis, aut damni emergentis. Casus esse potest, si quis habet pecunias statui suo superfluas, & otiosas, quas nec destinat ad censum alias licitum, junctum periculo, nec ad negotiationem, nec ad emptionem; eas tamen pro censu elocat mutuatario, in quo moraliter nullum est periculum amittendæ sortis, aut differendæ restitutionis casu quo repetatur. Urget autem iste casus in eorum sententia, qui existimant, in hac circumstantia non dari obligationem mutuandi gratis lege charitatis. Si enim defenditur obligatio charitatis, prout supra defendi §. 6. eoipso casus hic jam comprehenditur prima conclusione.

Probatur ex dictis §. 5. ubi ostensum, contractum censualem universim esse usurarium, ubi nullus intervenit titulus par-

particularis periculi, lucri ceſſantis, aut damni emergentis.

Dico 3. Contractus cenſualis perſonalis utrinque redimibilis eſt uſurarius etiam in iis circumſtantiis, in quibus revera non datur obligatio mutuandi, ſeu commodandi gratis, nec tamen reperitur titulus periculi, lucri ceſſantis, aut damni emergentis. Caſus eſt, ſi quis non habet ſuperfluum, aut ſi ipſemet deſtinat ſuas pecunias ad futuras ſuas neceſſitates, victus tamen precibus amici eidem commodat: neque enim in hoc caſu licet conſtituere cenſum, nullo interveniente titulo.

Probatur. In hoc caſu *jus in re*, quod creditor tradit debitori, & *jus perſonale ad rem* ſunt in æſtimatione morali ejuſdem valoris, ergo in eorum permutatione non licet exigere cenſum ad compenſandam inæqualitatem valoris.

Dico 4. Cenſus germanicus conſtitutus in induſtria perſonæ eſt etiam uſurarius, ſi exigatur pro ea temporis differentia, quo mutuatarius nil poterat lucrari ultra neceſſaria ſuæ congruæ ſuſtentationi.

Probatur, quia ipſimet patroni horum cenſuum illam exceptionem faciunt, prout dicetur §. 14. num. 5. 6. 7.

Dico 5. Cenſus germanicus eſt etiam uſurarius, ſi exigatur pro eo tempore, quo mutuatarius devolutus eſt ad eas circumſtantias, ut jam in creditore incipiat ad mutuandum gratis obligatio charitatis.

Probatur. Eadem eſt ratio cenſus inchoati & continuati contra ordinem charitatis. Ergo ſi inchoatus contra ordinem charitatis eſt uſurarius, prout patet ex Concluſione 1. etiam erit uſurarius continuatus contra ordinem charitatis. Vide etiam dicenda §. 13.

Dico 6. Contractus iſte cenſualis germanicus eſt univerſim uſurarius, quando cenſus excedit taxam generalem lege aut conſuetudine rationabili conſtitutam, niſi in caſu extraordinario ob enormem exceſſum periculi, auctarium cenſus authoritate ſupremi cujuſdam tribunalis præmiſſo maturo examine approbetur.

Probatur 1. Pretia rerum lege publica taxata judicio privatorum mutari nequeunt, ut patet in aliis mercibus habentibus taxam publicam; ergo nec mutari poterit taxa periculi, ſeu potius *juris perſonalis* ad ſortem intuitu periculi, vel lucri veroſimiliter ceſſaturi, quorum intuitu cenſus in ratione 5 ad 100 conſtitutus eſt, prout vidimus §. 9. ex Novella 72. 136. & 160. Juſtiniani, & ex Comitiis Spirenſibus de anno 1600.

Probatur 2. Si æſtimatio periculi in ordine ad determinationem cenſus relinqueretur privatorum, aut quorumvis inferiorum tribunalium judicio, rediretur iterum ad priſtinam indeterminationem cenſuum, nocivam bono publico, prout oſtenſum eſt §. 8. ergo ad hoc boni publici præjudicium facultas dari nequit. *Nota* autem, hic tantum ſermonem eſſe de æſtimatione periculi; quod enim attinet æſtimationem extraordinarii lucri ceſſantis, aut damni emergentis, ea quorumvis judicum etiam inferiorum arbitrio relinqui poteſt, cum ea facile ſine fraude a quovis judice obtineri poſſit, prout etiam dicam §. 13.

Dico 7. Contractus iſte Germanicus uſurarius eſt, quando oppignorationes, aſſecurationes, aut fidejuſſiones ſunt ita comparatæ, ut moraliter excludant omne ſortis, ceſſaturi lucri, aut emerſuri damni periculum; nec adſit titulus lucri actu ceſſantis, aut damni actu emergentis. Iſte caſus ſæpe locum habere poteſt præſertim in Dominis directis, ſimul temporalem juriſdictionem, ac paratam executionem in ſuos ſubditos habentibus. Si enim a ſuis ſubditis pro mutuo capiunt pignora, hypothecas, aut fidejuſſorum pariter ſuæ juriſdictioni ſubditorum obligationes, regulariter non videtur moraliter periculum, quod ſortem pro libitu retrahere non poſſint, niſi ſua immiſericordia, aut negligentia ita ſinant in ſubditis aggravari debita, ut publicatione bonorum facta cognitionem debitorum & creditorum ad ſuperius tribunal trahi neceſſe ſit.

Pro-

Probatur. Contractus censualis germanicus illicitus est nullo interveniente particulari titulo periculi, aut lucri cessantis, aut damni emergentis, prout §. 5. ostensum est. Ergo eadem ratio est, si periculum, de se quidem interveniens excludatur ejusmodi pignoribus, hypothecis, aut fidejussionibus.

Notaru tamen velim, in praxi oppignorationibus, hypothecis, præsertim generalibus, aut fidejussionibus exiguam fidem haberi in regionibus, in quibus leges non bene administrantur, vel ubi judices a mutuatariis facile donariis etiam exiguis concutiuntur, ne creditoribus ad repetitionem summæ assistant.

Dico 8. Contractus iste germanicus etiam usurarius est, quando auctarium census ultra taxam generalem conditur in æquivalenti.

Probatur, quia eadem est ratio malitiæ & prohibitionis, sive immoderatio census fiat in pecunia, sive in aliis rebus, quæ pecunia æstimari possunt. Hinc usurarius erit contractus. 1. Si ultra censum consuetum exigatur aliquota lucri pars, a mutuatario ex pecunia mutua obtinendi. 2. Si ultra illum censum a mutuatario exigatur obsequium, aut opera. 3. Si in pignus capiantur agri aut horti, aut animalia, quorum fructus annui deductis expensis excedunt censum annuum. 4. Si mutuum præstetur partim in mercibus, partim in pecunia, & merces concedantur pretio majore, quam alias solent vendi, aut a mutuatario possint vendi. 5. Si mutuatarius ultra censum consuetum obligetur ad frequentandam suam officinam; atque ad comparandas ex ea merces cum suo damno aut incommodo. 6. Si mutuatarius ultra censum consuetum obligetur ad vendenda pignora, aut frumenta tempore aut modo aut pretio incommodo, vel prejudicante, &c. Hujusmodi usurarum pallia multa reperiuntur in authoribus, plura in praxi.

§. XII.

Utrum contractus censualis germanicus sit periculosus, de usura suspectus, aut præsumptive usurarius?

Plerique authorum, quos §. 14. 15. 16. 17. 18. 21. referam, censent, contractum censualem, præsertim personalem, si sit utrinque redimibilis, esse de usura suspectum, ac periculosum, eo quod in hoc contractu facile lateat intentio usuraria.

Dico. Contractus censualis germanicus, prout nunc solet contrahi, est periculosus, non raro de usura suspectus, & nonnunquam præsumptive usurarius.

Probatur. Hic contractus nunc fere ubique sic celebratur, ut nec fiat ulla reflexio ad legem charitatis, præcipientis frequenter mutuum gratuitum; nec, ubi deest obligatio charitatis, fiat ulla attentio ad titulum particularem periculi, lucri cessantis, aut damni emergentis. Ergo ex defectu hujus distinctionis necesse est, sæpe contrahentes incurrere in casum obligantis ad mutuum gratuitum charitatis, aut in casum deficientis tituli particularis, qui omnes casus sunt usurarii prout ostensum §. 11.

Dices. Ex hoc consequi, omnes sic contrahentes esse usurarios, quia nullam faciens reflexionem ad differentiam casus liciti ab illicito sic comparatus est, ut ipsi perinde sit, sive incidat in casum usurarium vel non; quæ dispositio animi jam est usuraria; sicut si quis fovendo ignorantiam vincibilem, cum periculo incidendi in peccata varia, jam aliquo modo contrahit malitiam illorum peccatorum.

Respondeo. Verosimile esse, quod in plebe plurimi excusentur ex ignorantia invincibili, eo quod nec in libris germanicis, nec in concionibus aut catechesibus de illa obligatione charitatis ad mutuum gratuitum, aut de obligatione ad titulum particularem instruantur.

Quod

Quod vero attinet doctiores, utrum omnes aut multi ex illis invincibilem in judicio divino ignorantiam prætendere possint, dum sequuntur authores Germaniæ, v. g. Hannoldum, Pichlef. &c. relinquendum est scrutatori cordium.

Dices 2. Si talis est obligatio, sequeretur, quod sequentes sententiam oppositam teneantur ad restitutionem lucri usurarii. Sed hoc videtur nimium.

Respondeo. Obligationem restitutionis correspondere juri certo ejus, cui restitutio facienda est, non juri dubio, neque enim possessor bonæ fidei tenetur se privare bonis possessis ob jus alterius incertum seu præcise probabile. Jam in hac materia plerique judicant, se esse possessores bonæ fidei, & jus mutuatarii partim ob probabilitatem oppositæ sententiæ, partim ob difficultatem metiendi obligationem charitatis, aut titulos periculi & lucri cessantis, censent esse incertum; mirum ergo non est, quod stante hoc dictamine non possint obligari ad restitutionem. Addo, obligationem charitatis non parere obligationem restitutionis, ut fatentur Theologi. Itaque ille census usurarius, qui supponit tantum defectum charitatis, non autem inæqualitatem inter mercem & pretium, id est, inter jus reale, & jus personale, non subsistat obligationi restitutionis.

§. XIII.

Utrum contractus censualis germanicus abolendus, aut limitandus sit?

Dico 1. Hæc propositio configenda, ac damnanda est: *Contractus censualis germanicus utrinque redimibilis est licitus, nullo existente particulari titulo periculi de amittenda sorte, lucri cessantis, aut damni emergentis.*

Probatur. Quandocunque nullum intercedit periculum sortis, aut lucrum cessans, vel damnum emergens, *jus reale* in pecunia, *& jus personale* ad pecuniam in æstimatione morali sunt ejusdem valoris; Ergo in tali casu aut lex charitatis præcipit mutuare gratis, prout ostendi §. 6. aut certe lex justitiæ prohibet, ob æqualitatem dati & accepti nil exigere ultra sortem.

Dico 2. Tam jure Canonico quam civili statuendum est, ut in omni contractu censuali scripto exprimatur titulus aut periculi, aut lucri cessantis, aut damni emergentis, idque sub pœna nullitatis. Posset autem ille titulus exprimi v. g. hoc modo: quia summa variis periculis exponitur; quia in promptu sunt occasiones aliæ utiliter elecandi pecuniam, quas arripiendi animus est &c.

Probatur. Nisi in obligationibus exprimatur aliquis titulus, plerique creditores sine ullo examine circumstantiarum particularium constituent censum etiam in illis casibus, ubi revera ad mutuandum gratis obligarentur lege charitatis; adeoque committentur innumeræ usuræ. Recte proin illis obviandum cautela illa præfata non adeo difficili.

Dico 3. Quicunq; taxam census annui lege aut consuetudine rationabili introductam excesserint, tanquam usurarii habendi, condemnandi, & puniendi sunt, nisi in casu particulari antecedenter ad constitutionem census excessum lucri cessantis aut damni emergentis judicialiter ediderint. Taxa autem census annui in germania consuetudine rationabili introducta se habet in ratione quinque ad centum, aut in urbibus, in quibus florent commercia, saltem nonnullis in ratione sex pro centum.

Probatur. In omnibus contractibus, in quibus, materia contractus habet taxam publicam, eam sine injustitia non licet transgredi. Ergo cum in contractu censuali etiam reperiatur talis taxa *juris personalis*, quod commutatur loco *juris realis*, ea sine injustitia, adeoque sine usura, augeri nequit.

Dixi. Nisi judicialiter creditor edat excessum notabilem lucri cessantis aut damni emergentis; quæ judicio judicum relinqui possunt sine inconvenienti, quia facilem & expeditam habent proba-

bationem. Excessus tamen periculi non est relinquendus arbitrio judicum inferiorum quia, cum non habeat facilem mensuram, pro affectione judicum aperiretur via usuris. Itaque ratione majoris periculi quoad sortem nunquam auctarium census permittendum est, sed absolute declarandum, omne auctarium census annui consueti ratione majoris periculi exactum, aut etiam judicialiter concessum pro usurario habendum esse, nisi id fiat authoritate supremi alicujus tribunalis, ut dictum est §. 13. Hinc.

Dico 4. Non est permittendum auctarium census consueti præcise ratione majoris periculi, etsi hoc probaretur judicialiter coram judice inferiore non supremo. Ratio patet ex dictis, quia si æstimatio periculi relinqueretur judicum arbitrio, tota denique censuum quantitas relinqueretur privatorum judicio; sicque rediretur ultimato ad eandem indeterminationem, in qua antiquitus fuerunt usuræ, & ipsæ commensuratæ periculis; quod repugnat bono generis humani, prout § 8. ostensum est. Neque obstat, quod talia pericula æstimationem privatam suscipiant in contractu Societatis, in emptione actionum, Chyrographorum &c. quia similia plerumque habent æstimationem communem ac publicam, non privatam, prout supra dictum est. §. 8

Dico 5. Contractus censualis personalis utrinque redimibilis, in germania usitatus, accedente vero titulo particulari periculi, aut lucri cessantis, aut damni emergentis, relinquendus est cujuslibet conscientiæ, ac privato cujusvis creditoris judicio, utrum in hoc vel illo particulari casu opponatur charitati.

Probatur. Si in Germania aboleretur totaliter hic contractus censualis, sequerentur ingentia mala quæ nullo alio majori bono compensarentur; nec ullo remedio declinarentur; præsertim cum iniquitas ejusmodi contractuum, quatenus opponuntur charitati, in particulari non posset convenienter subjici judiciali examini. Quis enim creditorum aut mutuatariorum libenter ac sincere subjiciet cognitioni judiciali omnia arcana rei suæ familiaris, sine quorum tamen exacta notitia non potest formari solidum judicium de obligatione charitatis ad mutuum gratuitum. Ergo si in contractu censuali personali germanico salvatur æqualitas justitiæ per titulum particularem periculi, aut lucri cessantis, aut damni emergentis, ille contractus quoad obligationem charitatis relinquendus est cujuslibet conscientiæ. *Antecedens* quoad primum membrum probatur. Nam

Sequetetur 1. Pecunias maxima sui parte in Germania transferendas a probis & catholicis in manus iniquorum, acatholicorum, ac judæorum. Si enim creditoribus non licet ratione periculi exigere censum, rari certe erunt, qui credent, se ad mutuandum gratis teneri lege charitatis; aut si id credant, pauci erunt, qui hanc legem, præsertim quando obligat tantum sub veniali, deducent in praxin. Itaque plerique indigentes pecunia se obligabunt usurariis, acatholicis, aut judæis, quibus in Germania passim permixti sunt; sicque in crumenas improborum, existimantium usuram esse licitam, deferentur pecuniæ proborum.

Sequeretur. 2. Summa perturbatio status non solum politici, sed & ecclesiastici in Germania. Certum enim est, Viduas, pupillos, senes, Ecclesias, Monasteria, Hospitalia, Ecclesiarum suppellectilem, luminaria, ac Ministros, Anniversaria, fundationes pias eleemosinarum, Missionum, congregationum, devotionum, &c. in immenso numero sustentari ac conservari ex ejusmodi censibus. Si summus Pontifex per Episcopos requireret designationem ac catalogum ejusmodi censuum Ecclesiasticorum aut piorum in Germania, non dubito, aliquot centena millia contractuum ejusmodi censualium, & consequenter aliquot milliones annuorum reddituum censualium exinde proditura ac comparitura: quæ plane unico quasi ductu calami abrogari non possunt sine perturbatione maxima Germaniæ, in qua ob defectum commerciorum maritimorum

&

& publicorum fundorum pecuniæ aliter ſine ſummo diſcrimine elocari non poſſunt.

Sequeretur 3. Innumera hominum millia per abrogationem ejuſmodi cenſuum redigenda celeriter ad incitas, dum alioquin ope cenſuum conſervant diutiſſime ſua bona immobilia, ac pecora, vel alia jura frugifera, immo regulariter ac plerumque eluctantur omnino ex debitis. Econtra abrogatis cenſibus, cum non niſi rariſſime eſſent inventuri creditorem gratuitum, deberent vendere ſua pecora, agros, & immobilia alia; quibus diminutis feſtino gradu venitur ad incitas. Similis conſequeretur miſeria, ſi mutuatarii ſua bona immobilia cogerentur ſubjicere cenſui irredimibili; eouſque enim aggravarentur, ut non invenirent emptorem, niſi ſponte properantem ad ſuæ domeſticationis interitum: hinc & Domini directi ne quidem permitterent ejuſmodi exceſſivas irredimibiles obligationes bonorum immobilium.

§. XIV.

Quam timide loquantur ipſimet Patroni contractus perſonalis cenſualis utrinque redimibilis?

1. *Gabriel Biel* in 4. diſt. 15. qu. 12. ubi approbat hunc contractum, addit: *Verum hoc dico recitative & probabiliter, ſciens quoſdam Doctores notabiles hæc ſcripſiſſe; offero tamen examini peritiorum.*

2. *Leſſius* de juſtitia l. 2. c. 22. dub. 10. vocat hanc ſententiam præciſe *ſpeculative veriorem*. De rationibus hujus ſententiæ loquens ait: *Hæ rationes ſatis probant probabile eſſe hoc pactum.* De cenſu perſonali utrinque redimibili loquens dicit: *eum merito in poſterum ubique debere prohiberi.*

3. *Gregorius de Valentia* 2. 2. diſp. 5. qu. 22. dicit, hanc ſententiam *præciſe probabilem* eſſe, *non tamen eum contractum ſuadendum* ob periculum uſuræ; immo indicat, eum eſſe *intolerabilem*; *neque ab ullo*, quantum ſciat, *defendi.*

4. *Layman* hic cap. 18. aſſert. 4. præciſe dicit: *cenſus perſonalis utrinque redimibilis ſuper perſonæ induſtria locatus probabiliter defenditur*: aſſertione 5. dicit, hunc cenſum utrinque redimibilem præſertim realem etiam cum pacto aſſecurationis *probabiliter defendi, etſi periculo uſurariæ intentionis non caret.*

5. *Sporer* tr. 6. cap. 6. num. 16. aſſert. 2. Probabiliſſime licitus eſt cenſus perſonalis ſuper perſonæ induſtria collocatus, etiam redimibilis ex utraque parte, ſpectando præciſe naturam rei, licet ſubſit periculum uſurariæ intentionis. -- num. 26. Juxta hactenus *probabiliter* dicta per emptionem cenſus perſonalis utrinque redimibilis *per ſe* ſalvari poſſe videtur uſitatiſſimus ille in Germania contractus accipiendi 5. pro 100. qui differt a mutuo uſurario, quod contractus mutui cum quacunque perſona inſtituatur ſine ullo ordine ad requiſitum in re vel perſona. At contractus noſter cenſualis neceſſario requirit certum fundamentum in re vel perſona, ſcilicet fructus rei, vel induſtriam perſonæ, ratione cujus ipſe homo habet jus percipiendi fructus rei ſuæ, vel lucra induſtriæ ſuæ, quod ipſum jus partialiter emit cenſualiſta; adeoque penſiones annuæ non dantur ratione pecuniæ datæ in ſe, ſed ratione juris percipiendi fructus vel lucra. Illo autem fundamento penitus ruente, ut ſi cenſuarius nullos amplius annuos redditus habeat, neceſſario etiam ruit contractus cenſualis, ſeu jus percipiendi penſionem, quamvis ob adjectum aſſecurationis pactum ſors adhuc repeti queat. Hæc ſpeculatio vera eſt; ſed quam vereor! ne ſit ſpeculatio mea! praxis autem rariſſima de facto; cum experientia doceat, ex mille vix unum habere talem intentionem. Fatemur ergo ſemper, contractum eſſe periculoſum, & proximam uſuræ ſpeciem præſeferre. Nihilominus tamen nobis concedi volumus, ita poſſe fieri. Quiſquis habito delectu perſonæ habentis bona fructifera vel induſtriam fructiferam ſciens in confuſo eſſe aliquos modos & titulos juſtos per con

tractum ejusmodi lucrum capiendi, nimirum quinque pro centum, hoc ipso quod viros doctos & probos ita contrahere videat, etsi ignorans vel non determinans hic & nunc singularem titulum, solum bonorum virorum exemplum secutus generali quadam intentione vult lucrari illa quinque annua alio aliquo titulo, quoquo tandem justo, quo fieri potest, & ab aliis fit, putandus est talis, eo ipso modo justo voluisse contrahere, adeoque tolerandus est.

6. *Schmalzgrueber*, tit. 19. de Usuris, num. 196. Probabiliter defenditur, & toleratur contractus censualis realis utrinque redimibilis adjecto etiam pacto assecurationis in perpetuum, nempe ut si res censui subjecta fortuito casu pereat, id non emptoris sed venditoris damno accidat, & hic nihilominus obligatus sit pensionem solvere. Quod si tamen census realis cum pacto assecurationis instituatur vel continuetur cum persona, quæ nullos habet redditus ex re fructifera, usurarius erit, quia tunc reipsa idem est, ac si mutuo daretur cum pacto quotannis solvendi aliquid ultra sortem, licet id sub nomine & specie census velut sub pallio occultetur. Idem l. cc. num. 211. In iis locis, in quibus Bulla Pii V. non est promulgata vel usu recepta, prædictæ conditiones, si jure naturali non sunt necessariæ, non obligant in conscientia. Quod maxime verum est de censu constituto super re immobili; nam emptio census personalis, præsertim redimibilis ex parte emptoris, propter periculum intentionis ac fraudis usurariæ sub pallio contractus censualis facile latentis dissuadenda videtur.

7. *Pichler.* lib. 5. tit. 19. num. 27. ubi negat, contractum hunc censualem convenire cum mutuo, sic respondet: In mutuo periculum rei mutuatæ transit in mutuatarium absolute & lucrum provenit ex re, ut ajunt, sterili. Econtra in contractu censuali periculum census ad emptorem pertinet, ita ut si res desinit esse fructifera; vel hominis industria, in qua constitutus est census, desinit esse lucrosa, desinat quoque census; ac insuper lucrum provenit ex re fructifera, aut opera hominis lucrosa. An ista sufficiant, ut discrimen reale inter lucrum ex mutuo, & contractu censuali semper ac in omni casu revera detur; & in contractu censuali non involvatur virtualiter illud, alii viderint, qui nisi adinvenerint aliquem titulum lucri cessantis, damni emergentis, aut periculi, ne res frugifera pereat, & sibi cum censu etiam sors data, vel nisi molesta sollicitudo & labor in aquirendis censibus reperiatur pretio æstimabilis, vix licitum & justum esse ostendent contractum censualem cum pensione annua, reprobato iterum lucro ex mutuo, quod permittit lex vel consuetudo. Ego rem habeo facilem, & sicut lucrum ex mutuo, licet deficiat alius titulus, justum ac licitum esse dixi, si illud statutum, vel consuetudo permittat, ita & pensiones ex contractu censuali ex eodem titulo, licet in aliquo casu particulari deficiat omnis alius titulus, licitas ac justas esse ajo. Sic iste author, qui cum contractus personalis censualis utrinque redimibilis licentiam non audeat universim defendere, quin simul admittat, lucrum moderatum ex mutuo licitum esse, prodit, contractum illum personalem sine scrupuloso examine an titulus particularis revera subsistat, non carere periculo usuræ.

§. XV.

Utrum Gabriel Biel approbet contractum censualem personalem utrinque redimibilem?

IN 4. Sentent. Distinct. 15. quæst. 12. sic scribit:

Notandum 1. Quod per redditum seu censum nihil aliud intelligatur nisi jus levandi pecuniam aut pecunia mensurabile.

Notandum 2. Quod non tantum res corporales, sed etiam spirituales vendi possunt & emi, v. g. jus stillicidii in alieno solo, jus transeundi per agrum al-

alterius, jus ducendi rivum per pratum alterius.

Concluſio 1. In omnibus rebus, quarum uſus poteſt a dominio ſeparari, redditus annui poſſunt licite conſtitui. -- In illis, quæ uſu conſumuntur, ut eſt nuda pecunia, cujus uſus eſt earum diſtractio, item cibus & potus, & quæcunque non afferunt homini utilitatem, niſi cum diſtrahuntur aut conſumuntur, non poteſt conſtitui redditus. -- De perſonis hominum quidam volebant vertere in dubium pro eo, quod perſona humana naturaliter eſt libera, & ita obligari non debet alteri. Sed hoc non procedit, quia manifeſtum eſt, quod ſervitus merito peccati juſte eſt introducta. Denique homo liber ſeipſum vendere poteſt, ut habetur Deuteron. 15. & Exod. 21. & ſeipſum obligare alicui & facere cenſualem ad dandum ſingulis annis certam ſummam de opera ſua, & de his quæ lucratur ultra ſuam neceſſitatem Domino aut hoſpitali ſive monaſterio aut privatæ perſonæ, & ita conſtituere redditum in perſona ſua habito reſpectu ad operas ſuas, aut etiam ad dandum libram ceræ vel aliquid hujuſmodi, ſicut fit quotidie in fraternitatibus. Oportet tamen ſecundum præmiſſa, quod perſona in qua conſtituitur redditus, potens ſit & idonea ad ſolvendum de ſuo labore & induſtria, vel aliunde hujuſmodi redditus ſine defectu neceſſariorum vitæ propriæ & ſine detrimento rationabilis & congrui ſtatus ſui. Similiter non ſolum conſtitui poſſunt redditus in bonis corporalibus, ſed etiam in bonis incorporalibus, & in jure recipiendi aliqua, ut habens jus recipiendi annuatim centum florenos de aliquibus bonis, poteſt in iſto jure conſtituere redditum decem florenorum aut amplius, poſſet enim decem florenos ex illis centum obligare alteri, ut eos recipiat. Item nihil refert, utrum cenſus conſtituatur in certa perſona vel incerta, ut communitate aliqua, dummodo communitas habeat perſonas ſicut dictum eſt, qualificatas.

Concluſio 4. Conditio facultatis redemendi redditum pro voto ementis appoſita non vitiat contractum, ſi cætera ad juſtitiam contractus requiſita ſunt paria. *Probatur* concluſio: quia adjectio hujus conditionis non vitiat contractum emptionis cujuſcunque rei vendibilis; ergo nec redditus.

Antecedens probatur authoritate & ratione legis veteris, quæ fuit divina. Nam Levit. 25. præcipitur, quod poſſeſſiones vendi deberent pretio ſupputato juxta diſtantiam ab anno Jubilæo, quo poſſeſſio libere revertebatur ad Dominos ſuos, ſcilicet venditores. Iterum ibidem præcipitur: Terra non vendetur in perpetuum; ſed cuncta regio poſſeſſionis veſtræ ſub redemptionis conditione vendetur. Et infra de venditione domus ſubditur: Qui vendiderit domum intra urbis muros, habebit licentiam redimendi, donec unus impleatur annus.

Probatur etiam concluſio ratione. Non eſt in gravamen empto is, qui ſponte ſe obligat ad revendendum; nec vendentis, quia in hoc magna pietas exhibetur venditori, qui vendit redditus, ad quos redire poteſt.

Ex his Gabrielis rationibus, & toto ejus diſcurſu manifeſte patet, quod in Concluſione 4. ſit error typi aut calami, ita ut ubi ponitur *ementis*, poni debuerit, *vendentis*, clarum enim eſt, quod ſolum loquatur de redimibilitate cenſus pro facultate & arbitrio *vendentis*, non *ementis*.

Attamen in Reſponſione ad objectionem tertiam contra Concluſionem quartam occaſione argumenti concedit; iniri poſſe licite contractum cenſualem utrinque redimibilem. *Objectio 3.* erat iſta: In emptione datur æquale pro æquali. Ergo non magis obligandus eſt emens vendenti ad remiſſionem contractus, quam econverſo vendens ementi.

Confirmatur. Per juſtitiam commutativam, quæ locum habet in emptione & venditione, ſicut dominium pretii plene transfertur in vendentem; ita & dominium rei venditæ plene transfertur in ementem; ergo ſicut vendens vi contractus emptionis non obligatur ad reſtituendum pretium emptori recepta

merce vendita ; ita nec econverso potest obligari emptor ad restituendam mercem recepta pecunia. Ad hanc objectionem respondet negando consequentiam, quia cum hoc, quod æquum datur pro æquali, stat, unum contrahentium obligari alteri ; & non econverso; quia etiam illa obligatio potest pretio compensari. Per hoc *ad Confirmationem* concesso antecedente intellecto præcise de dominio quod venditur, negetur consequentia ; quia unum potest compensari pretio, & non alterum. Videtur tamen, quod posset fieri utrumque ; nam sicut emens potest se obligare ad revendendum ad vota venditoris; ita etiam venditor potest se obligare ad reemendum, quod & frequenter solet fieri. Potest enim quis vendere alicui domum, vel agrum, & obligare se ad resolvendum contractum, si emens infra annum vel duos annos duceretur pœnitentia. Et sicut hoc potest ad annum vel duos, ita potest ad plures vel perpetuo. Et posset ista obligatio æstimari pecunia, si tamen oculus fuerit simplex, & est vera emptio ac venditio, quia semper periculum rei emptæ transit in ementem, & lucratur emens fructus, donec resolvitur contractus. Verum hoc dico recitative & probabiliter, sciens quosdam Doctores notabiles hoc scripsisse : offero tamen examini peritiorum.

Ex his ergo patet, Gabrielem Biel non in ipsa Conclusione quarta, sed in objectione per modum responsi secundarii defendere, licitum esse ejusmodi contractum personalem utrinque redimibilem, & quidem *recitative* solum ac *probabiliter*, id est, cum formidine magna oppositi. Illud tamen hanc sententiam juvat, quod testetur eam defensam *a quibusdam notabilibus Doctoribus*.

Cæterum illud valde observandum, quod hic author in hoc contractu personali, quantumvis pro arbitrio solius venditoris redimibili, adeoque multo magis, si sit redimibilis etiam pro arbitrio emptoris, periculum census ita referat in emptorem, ut si persona, in qua constituitur census, intereat, etiam extinguatur census, nec transeat ad hæredes, quod si requireretur, nemo plane emperturus foret censum, constitutum supra solium, quod vento rapitur. In Responsione ad objectionem primam sic habet. Si dicis ; recipiens pecuniam potest censum fundare seu constituere in sua persona ; quia forte talis est, qui suo labore vel industria aliquid aquirit ultra necessitatem sustentationis suæ, unde potest solvere censum. Respondetur, quod utique sic potest in sua persona, si talis est, constituere censum, & se censualem reddere, & censum sic constitutum vendere, sed tunc deficiente persona perit census cum capitali. A quo enim peteret vel capitale vel censum deficiente persona ? Non enim ab hæredibus ; quia non tenetur hæres solvere censum de eo, quod non habet ; cum non sit, in quo constitutus est census, scilicet persona, & nemo obligatur ad dandum censum de eo, quod non est.

Ibid. Author, ostensurus differentiam inter mutuum, & contractum censualem redimibilem pro arbitrio venditoris dicit: In nostro contractu est merx certa, seu jus de certis bonis immobilibus aut mobilibus recipiendi annuam pensionem; est & justum pretium ; nec bona illa, in quibus redditus fundatur, habent rationem pignoris, quoniam periculum pignoris manet apud impignorantem, & non apud eum cui impignoratur. In proposito autem periculum rei, in qua fundatus est census, quantum ad censum recipiendum, transit in emptorem, unde si pereunt bona, de quibus recipit census, perit & census ; nec vendens censum ultra obligatur ad censum. Ita Biel.

Hæc connaturalia quidem sunt contractui censuali reali ; sed quia in nostra Bavaria consuetudine magis viget contractus mixtus ex personali & reali, utpote non solum constitutus in sola personæ industria, sed etiam in ejus bonis & juribus, ideo in Jure Bavarico obligatio censuarii transit ad hæredes ; immo, si ejusmodi censuarius post subha-

sta-

ſtationem, aut ceſſionem bonorum veniat ad pinguiorem fortunam, tenetur de novo ſolvere, prout expreſſe ſtatuitur Juris Provincialis tit. 13. art. 7.

§. XVI.

Utrum Leſſius approbet contractum cenſualem utrinque redimibilem?

RAtio dubitandi de mente Leſſii eſt, quia, licet defendat, contractum utrinque redimibilem eſſe licitum, id tamen aſſerit cum formidine magna oppoſiti: dicit enim præciſe, hanc ſententiam eſſe *probabilem*, & præciſe *ſpeculative veriorem*. Dein adductis pluribus argumentis ſubjungit: *Hæ rationes ſatis probant, probabile eſſe, hoc pactum*, (redimibilitatis ex parte & arbitrio emptoris) *emptioni cenſus realis apponi poſſe. Si vero agatur de emptione cenſus perſonalis, major eſt difficultas*. Tandem in fine addit: *Verum hic modus contrahendi merito in poſterum deberet ubique prohiberi*. Ex his loquendi formulis merito videtur dubitari poſſe, utrum abſolute credat & aſſerat, hanc ſententiam eſſe veram. Multas enim ſententias aſſerunt authores eſſe probabiles, quas tamen non aſſerunt eſſe veras. Sed hoc non obſtante tenendum, quod Leſſius contractum cenſualem perſonalem defendat ut abſolute veram, quod probatur ex ejus verbis. De Juſtitia lib. 2. cap. 22. dub. 10. ſic ſcribit:

Dubitatio 10. Utrum licita ſit emptio cenſus utrinque redimibilis. Sotus lib. 6. qu. 5. art. 3. Concluſ. 1. cenſet, tale pactum eſſe uſurarium. Reſpondeo tamen, contrariam ſententiam eſſe probabilem, & ſpeculative veriorem; hanc enim tenet Gabriel Diſtinct. 15. qu. 12. art. 2. Concl. 4. Conradus qu. 84. poſt 5. Concluſ. §. Circa enim ſolutionem & Corollario primo, ubi docet, venditioni cenſus poſſe apponi pactum multis modis. Primo, ut neuter habeat poteſtatem reſolvendi contractum. Secundo ut ſolus venditor habeat. Tertio ut ſolus emptor. Quarto, ut uterque fructibus minime computatis in ſortem. Ita Joannes Medina qu. 15. De uſura. Dub. 5. Petrus Aragonius qu. 78. art. 4. & optime Gregorius a Valentia, 2. 2. Diſput. 5. quæſt. 22. puncto 6. & qu. 25. puncto 2. ubi etiam refert, eandem ſententiam a multis doctiſſimis Theologis Romæ in quadam conſultatione, cui ipſe interfuerit anno 1581., probabilem eſſe judicatam, etſi ob periculum uſurarum minime ſuadendam. *Probatur primo*. Venditor poteſt vendere cenſum cum pacto, ut poſſit redimere, quando voluerit. Ergo ſimiliter emptor poteſt emere cenſum cum pacto, ut venditor teneatur illum redimere. *Dices*. Eſſe diſparitatem, quia dare pecuniam cum obligatione ad eam reddendam eſt mutuare, non emere, dare tamen aliam rem vendibilem pro pretio cum obligatione ad illam reſtituendam non eſt mutuare ſed vendere cum pacto redimendi.

Reſpond. Dupliciter poſſe dari pecuniam cum obligatione ad eam reddendam. Primo ſi detur immediate pro ſimili pecunia ejuſdem valoris cum obligatione ut illa poſt aliquod tempus reddatur, & tunc eſt mutuum. Secundo ſi detur immediate pro re aliqua vendibili cum obligatione ut venditor illam rem poſt aliquod tempus redimat, & pro ea pretium reſtituat. Et tunc eſt vera emptio. Hoc modo fit in propoſito. Non enim emptor cenſus dat pecuniam immediate pro pecunia refundenda, ſed pro cenſu; neque obligat alterum, ut reddat pecuniam pro pecunia accepta, ſed ut recipiat rem, ſeu jus, quod vendidit, & reddat pro ea juſtium pretium. *Quarto probatur*. Hoc pactum poteſt addi emptioni aliarum rerum, v. g. agrorum; cur non etiam emptioni cenſuum? Unde Covarruvias, dum admittit hoc pactum in aliarum rerum emptione, & negat in emptione cenſuum, ἀσύστατα loquitur. *Quinto*. Pacta quæ ſeorſim fieri poſſunt, ita ut neutrum deſtruat alterum, etiam fieri poſſunt junctim; quæ enim ſeorſim juſta ſunt, etiam ſimul juncta ſunt juſta. Atqui hæc pacta ſeorſim fieri poſſunt;

sunt ; qui enim emit censum redimibilem ex parte solius venditoris , centum aureis , ei debentur quotannis sex aurei & quadrans . Sed hic potest inire pactum cum venditore , ut quotannis non solvat , nisi quinque aureos , & ut pro reliqua parte se obliget ad redimendum , quando emptori placuerit : illa enim obligatio videtur satis compensari , si quotannis condonetur pro ea unus aureus , & tres regales . Hæ rationes satis probant , probabile esse , hoc pactum emptioni census realis apponi posse , Nam sicut totum rei dominium emi potest cum pacto redimendi in favorem utriusque appositio ; ita etiam jus fructuum , quod est veluti pars dominii . Si vero agatur de emptione census personalis, major est difficultas. Sed authores citati etiam de hac intelligendi sunt ; nam generatim loquuntur . Immo Gabriel , Medina , & Valentia expresse de hac agunt ; & iisdem rationibus probatur . Nam sicut census realis est jus quoddam certo pretio vendibile , ita & census personalis. Ex his sequitur , cum in Belgio ematur communiter census personalis , redimibilis ex parte solius venditoris , sedecim in singula ; non fore illicitum , ubi lex positiva non obstaret , emere censum personalem utrinque redimibilem , viginti in singula .

Confirmatur , quia non magis gravatur tali censu , quam censu personali ordinario ; immo minus ; qui enim vendidit talem censum v. g. centum aureis , quotannis non solvit , nisi quinque aureos ; & quando cogetur redimere , facile inveniet pretium , vendendo alteri censum ordinarium centum aureis , qui pendet sex aureos & quadrantem . Itaque singulis annis unum aureum & quadrantem minus dedit in censu utrinque redimibili , quam debuisset dare , si fuisset census ordinarius . Hoc modo videntur posse excusari contractus quidam valde usitati , quibus solet pecunia pupillorum tradi mercatori vel alteri pro usura quincunce , id est , pro quinque in centum . Et quamvis contrahentes non cogitent expresse de censu utrinque redimibili , tamen videntur implicite in illum consentire , dum is , qui pecuniam tradit , intendit hoc lucrum percipere omni modo , quo juste id fieri potest , & alter intendit eo titulo , quo ille accipit dare . – Verum hic modus contrahendi merito in posterum deberet ubique prohiberi .

Hæc tamen ultima Lessii verba videntur tantum referenda ad modum Tutorum , dum quincuncem exigunt titulo mutui ; non titulo emptionis .

§. XVII.

Utrum Valentia approbet contractum censualem personalem utrinque redimibilem ?

Gregorius de Valentia S. J. qui scripsit 1595. in suis Commentariis Theologicis 2. 2. disput. 5. quæst. 22. puncto 6. sic scribit : Omnes illi contractus , qui secundum se liciti sunt , & veritatem emptionis & venditionis censuum non tollunt , secundum jus naturæ licite possunt adjungi contractui emptionis & venditionis censuum . -- nam si id non liceret , maxime propterea , quia censuarius gravatur , quando pactum simul adhibetur in favorem censualistæ ; vel econtra . Sed hoc non obstat ; ponimus enim compensari gravamen minuendo vel augendo pretium .

Ex hac doctrina sequitur primo : posse licite addi pactum de retrovendendo in favorem censuarii . -- Hinc Sotus l. 6. de just. sine ratione dixit , omnem censum perpetuum esse irredimibilem .

Secundo sequituur , probabile esse , quod possit etiam ex rei quidem natura , ubi nulla humana constitutio contraria vigeat , licite addi pactum de retro emendo in favorem emptoris , sive Censualistæ etiam non computatis fructibus census in partem pretii ; modo tamen alio quodam modo gravamen , quod per hoc pactum imponitur venditori , juste ipsi ab emptore compensetur . Ita sentit Medina , Major , Gabriel ,

briel, & Conradus q. 84. poſt Concluſ. 5. præſertim Corollario primo, & Joannes de Imola in c. *illo vos*. De pignoribus, & nonnulli alii ibidem. Atque etiam Romæ anno 1581. in conſultatione multorum & doctiſſimorum Theologorum, nobis præſentibus, judicata eſt hæc ipſa ſententia probabilis; quamvis ob periculum quidem hujuſmodi pacta ſunt minime ſuadenda, ut etiam annotavit Medina. Sotus tamen, & alii negant, id pactum eſſe licitum; neque id in emptione cenſus approbat Covarruvias, cum tamen approbet illud pactum additum in favorem emptoris in aliarum rerum emptione. Itaque videtur hic author, alioqui doctiſſimus, in hac quidem re non ſatis conſequenter loqui.

Probatur primo. Si obligatio retrovendendi tolleret veritatem emptionis, maxime quia videtur facere, ut prima traditio pretii fuerit palliatum mutuum: ſed hoc minime facit. Nam obligatio reddendi capitale *ex mutuo* eſt obligatio reddendi illud *ob id tantum*, quod ante fuit receptum, quidquid in aliis rebus accidat. In propoſito non redditur pretium quaſi in compenſationem ſummæ mutuatæ, ſed emendo cenſum iterum: cujus ſignum manifeſtum eſt, quod dum cenſus periret, emptor non poſſet recuperare pretium ex vi pacti de retro emendo.

Quarto ſequitur, probabile itidem eſſe, quod poſſit in emptione & venditione cenſus *ex rei quidem natura* ubi nulla contraria humana conſtitutio viget, addi quoque peculiare pactum aſſecurationis, quo obligetur venditor ad ſolvendum pretium cenſus vel cenſuales penſiones caſu, quo cenſus pereat re pereunte, in qua cenſus conſtitutus eſt. Ita etiam in illa diſceptatione doctiſſimorum Theologorum Romæ anno 1581. nobis præſentibus judicatum eſt; tametſi hujuſmodi pacta ob periculum minime ſunt ſuadenda, ſed diſſuadenda potius. Sed animadvertendum diligenter eſt, nos hæc omnia, quæ de his pactis diximus, & præſertim de pacto redemendi, ita demum putare eſſe probabilia & tolerabilia, ſi emptor habeat ſanam intentionem, non autem uſurariam. Nam ſi intentio ſit prava, ſcilicet obligandi venditorem ad reddendum pretium hoc ipſo ſolum quod fuit ei datum, uſura eſſet. Quamobrem cum emptio cenſus adjunctis hujuſmodi pactis in emptoris favorem habeat ſimilitudinem quandam cum mutuo, & difficile ſit rectam habere intentionem emendi, his pactis additis; non eſt talis contractus cum ejuſmodi pactis ſuadendus, ſed tolerandus poſt factum, niſi forte mala intentio deprehenderetur; tunc enim ne tolerari quidem debet.

Idem author cenſum perſonalem utrinque redimibilem quæſt. 25. ſic reſtringere videtur, ut, quem ſpeculative approbat, practice rejiciat. Itaque quæſt. 25. puncto 1. ſic ſcribit: Injuſti & intolerabiles modi percipiendi annuatim certum lucrum ſalvo & ſecuro capitali, ut puta, quinque pro centum.

Primus modus injuſtus & intolerabilis percipiendi id lucrum eſt, ſi quis centenariam ſummam mutuo revera det, & ab eo, cui dat, ideo accipiat quinque ultra centum, quoniam ille cum proprio ſuo commodo ea ſumma ad tempus utitur. Hoc enim ipſum eſt uſuræ peccatum deteſtabile, omnique jure merito damnatum, quantulumcunque accipiatur lucri. Sive enim multum, ſive parum pro uſu pecuniæ mutuo datæ ultra æqualem ſummam accipias, uſuraria injuſtitia eſt, ut ex orthodoxa doctrina fuſe diſputavimus ſupra quæſt. 21. puncto 1.

Secundus modus eſt, ſi quamvis expreſſe non adſit animus accipiendi illud propter uſum pecuniæ mutuo datæ, tamen intendit quis revera mutuo dare, & ſine omni alio probabili titulo, quem ullo modo prætexat, lucrum id accipit ultra capitale. Atque iſto ſane, vel etiam priori modo videntur lucrum iſtud inique facere non pauci, qui non curant, quibus aut quomodo, aut ad quem uſum ſuas pecunias dent, ſed ſolum ut ipſi ſint ſecuri de capitali & lucro.

Simul tamen circumspecte considerandum est, an ille qui summam capitalem alteri dat, det *revera mutuo*, ut in utroque modo diximus. *Primo*, quoniam alii aliis contrahendi formis, quas & ipse vidi, utuntur: ita ut quidam non mutuum, sed emptionem census realis utrinque redimibilis aut societatem cum mercatoribus, vel aliter quæstum facientibus exerceant, saltem implicite. *Secundo*, quoniam illis etiam, qui revera mutuo dant, nonnunquam, cum ad examen circumstantiarum particularium venitur, apparet suppetere aliquem probabilem titulum accipiendi quinque *in mutuo*, ut dicitur, non *ex mutuo*. Tertio, quoniam ex iis etiam, qui mutuo dare videntur, nonnulli forte verius possent judicari reipsa censum potius utrinque redimibilem emere, intentione saltem implicita faciendi idipsum, quod alii faciunt, qui emunt. Maxime si vulgaris vox, ut dicitur de germanica, mutuum significans, aliquanto etiam latius linguæ peritis videatur patere; sic ut non modo ad mutuum, sed ad pecuniæ traditionem quoque alterius generis accommodari possit; aut si etiam indifferenter vocabulo tum mutui, tum census uterentur ipsi contrahentes. Tunc enim non tam ex voce, quam ex intentione & aliis circumstantiis dijudicandum esset in particularibus casibus, an esset revera mutuum, vel alterius generis contractus. Itaque magna omnino discretione, diligentique examine circumstantiarum, saltem in foro interno, opus est ad intelligendum, utrum revera hoc lucrum per mutuum injuste aquiratur primo vel secundo modo.

Tertius modus injustus & intolerabilis est lucrum percipiendi, si quis, quod a nonnullis etiam fieri videtur, neque mutuum, neque aliquem alium specialem contrahendi modum animo intendens ex hoc ipso tantum, quod tradit alteri centenariam summam, vellet sine prætextu sufficienti alterius probabilis tituli accipere quinque ultra centum.

Quartus modus injustus & intolerabilis id lucrum percipiendi est, si quis ob id solum, quod tradit centum, ita vellet lucrari quinque, ut non modo nullum specialem titulum ad id prætexeret, sed etiam deliberato animo vellet omnem alium ejusmodi titulum excludere.

Quintus modus injustus & intolerabilis id lucrum percipiendi est, quando etsi prætexitur quidem aliquis probabilis titulus accipiendi illud, tamen examinatis personarum & facti circumstantiis apparet esse falsum prætextum, vel certe non posse applicari ad factum ipsum particulare servata æqualitate justitiæ. Qui modus injustitiæ latissime patet.

PUNCTUM SECUNDUM.

Tolerabiles modi percipiendi annuatim certum lucrum, salvo & securo capitali, ut puta quinque pro centum.

Primus modus est lucri cessantis, aut damni emergentis.

Secundus modus peti potest ab opinione illa omnino probabili, quæ ponit, licite conjungi posse contractus tres; unum *societatis*; alterum *assecurationis* capitalis: tertium assecurationis *lucri certi minoris* pro majori minus certo: hoc modo: dat Petrus Joanni florenos centum, ut Joannes ex illis utriusque nomine, adeoque Societatis titulo lucretur; sperat autem Petrus se pro parte lucri sibi respondente consecuturum decem. Ex illis decem tria promittit Joanni, ut ipsum assecuret, quod capitale non amittet; (ex septem residuis promittit Joanni duo pro assecuratione) quod possit certo lucrari quinque. Si qui ergo videantur hac ratione quinarium illud lucrum facere, tolerandi erunt. Nam habet opinio illa authoritatem multorum & magnorum Doctorum, & rationes minime contemnendas. Ea opinio est Majoris, Gabrielis, Sylvestri, Conradi, Covarruviæ, & Navarri, fuitque anno 1581. nobis præ-

sen-

ſentibus plurium Theologorum ſuffragio approbata Romæ.

Tertius modus poteſt peti partim ex gravium quorundam authorum opinione, qui admittunt, ad emptionem cenſus juſti, qualis eſt ex re fructifera, poſſe licite addi pactum, quo emptor venditori obligetur ad revendendum cenſum, & viciſſim venditor emptori ad reemendum. Opinio enim illa approbans cenſum utrinque redimibilem nititur omnino authoritate & ratione non contemnenda. Authoritas eſt Medinæ, Majoris, Gabrielis, Conradi q. 84. poſt Concl. 5. maxime Coroll. 1. & aliquorum Canoniſtarum, ut Joannis de Imola. *C. illo vos.* Fuitque hic contractus cenſus realis utrinque redimibilis etiam cum pacto aſſecurationis Romæ quoque nobis præſentibus anno 1581. in conſultatione multorum & doctiſſimorum Theologorum tolerabilis judicatus, licet non ſuadendus propter periculum. Sed quatuor obſervanda ſunt hoc in loco. Primum eſt, quamvis modus iſte, quantum quidem eſt ex natura rei ſolum jus naturæ ſpectando, tolerabilis ſit; tamen non eſſe tolerandum ubi viget Conſtitutio Pii, prohibens cenſum redimibilem ex parte emptoris, & pactum aſſecurationis cenſus; neque etiam ubi viget Conſtitutio ſub Carolo V. anno 1548. edita Auguſtæ, prohibens ſimiliter cenſum redimibilem ex parte emptoris -- quæ dicitur neque recepta neque etiam promulgata fuiſſe in omnibus & ſingulis Imperii provinciis, ut ſine controverſia eſt neceſſarium, ut lex Imperialis obliget. -- Quartum, quod circa eundem tertium modum obſervari debet, eſt; in eo nos non cenſum perſonalem utrinque redimibilem, ſed cenſum realem, ex re fructifera, utrinque redimibilem judicare eſſe tolerabilem. Nam etſi cenſus perſonalis ex perſona induſtria & idonea ad lucrandum per ſe illicitus non ſit, tamen addito pacto redimendi in favorem emptoris, & pacto aſſecurandi vix poterit moraliter loquendo emi ſatis ſincera intentione, & magnam ac ſimillimam habet uſuræ ſpeciem, neque ab ullo, quod ſciam, cum his pactis defenditur. Sed neque uſpiam eſt in uſu hic cenſus cum his pactis, ut intelligo, neque eſt ulla cauſa, cur quiſquam illum uſurpare velit. Nam ſi quis pecunias ſuas homini induſtrio, & ad lucrandum idoneo dat, multo commodius cum hoc inibit contractum Societatis, ſecundo illo modo lucrandi, quem diximus eſſe tolerabilem.

Quartus modus tolerabilis conſequitur ex tribus illis hactenus expoſitis, & eſt etiam Romæ tolerabilis judicatus a graviſſimis Theologis nobis præſentibus anno 1581. Modus autem iſte eſt, ſiquis habito aliquo delectu perſonæ, cum qua contrahit, attento nimirum, quod habet bona fructifera, vel ex induſtria &c. abſque determinatione expreſſa contractus Societatis, vel emptionis cenſus, vel Intereſſe lucri ceſſantis, aut damni emergentis &c. generali quadam intentione, conſentiente etiam ſocio, velit lucrari quinque aliquo tandem modo, quo perſonarum & facti circumſtantiis conſideratis juſte id fieri poſſit. Quando enim iſtorum examinata intentione & aliis circumſtantiis peritorum judicio videri poteſt modus aliquis ex tribus ſupra dictis habere locum, putandi ſunt tales eo ipſo modo ex vi generalis illius intentionis voluiſſe rem tranſigere, atque adeo minime ſunt damnandi, ſiquidem eorum voluntas generatim ſaltem & implicite fertur in modum probabiliter licitum. Sed eſt obſervandum, quatuor requiri, ut hic modus ſit tolerabilis 1. ut clauſula illa generalis, *aliquo tandem juſto modo*, non ſolum addatur de more a Notario, ſed ſit etiam ex intentione utriuſque contrahentium, 2. ut hæc generalis intentio ſit expreſſa & utrique contrahentium nota, 3. ut uterque contrahentium ſibi perſuadeat, poſſe ſe aliquo modo juſto contrahere conſideratis facti & perſonarum circumſtantiis, ut quod is, cui pecunia datur, habeat bona frugifera, ut ſit homo induſtrius ad lucrandum &c. Tunc enim ex vi illius intentionis ge-

ne-

neralis erit contractus aut emptionis *census realis utrinque redimibilis*, si pecunia detur ei qui bona fructifera habet, aut *societatis cum assecuratione capitalis & certi lucri*, si pecunia detur homini industrio, 4. requiritur etiam maxime, ut personarum & facti circumstantiæ consentiant revera cum illa generali intentione, ita ut vere possint tales contrahere aliquo modo tolerabili ex dictis; quia scilicet is, cui pecunia datur, vere habeat bona fructifera, vel sit industrius, & ob alterutrum istorum sit ei ab altero pecunia tradita.

Nec si modi isti quatuor sunt tolerabiles, consequitur, nullam alias committi usuram posse, ac proinde frustra usuram a nobis reprehendi & damnari. Primo, quia aliqui ex errore putare possunt, licite aliquid accipi propter usum mutui, præsertim parum, ut hæretici quidam nugantur. Secundo, quoniam multi reperiri possunt incauti, qui vel ex negligentia in quærendo & intelligendo alio titulo & modo tolerabili, vel etiam ex malitia aut cœca quadam cupiditate *ex vi mutui*, vel certe *in mutuo* sine ullo prætextu probabilis tituli velint lucrum ultra sortem accipere; sicut multi sciunt, alia esse peccata, quæ nonnunquam tamen vel incaute vel malitiose admittunt. *Tertio*, quoniam ex illis etiam, qui vellent usuram cavere, multi esse possunt, qui non servent, quoad omnes circumstantias eum modum, quem opiniones supra commemoratæ *in facto* requirunt, ut ad illud, salva ipsarum ratione & æqualitate justitiæ accommodari possint; qui ideo apertæ, vel palliatæ, vel interpretativæ usuræ iniquitatem non effugient. *Quarto*, quoniam doctrina illarum opinionum, aut etiam illa cautio de vitanda voluntate usuraria & habenda saltem generali intentione, quocunque justo titulo fieri possit, accipiendi illud lucrum, non ita facile & vigilanter ab omnibus servari potest, quin multi interdum ex ignorantia culpabili, aut ex negligentia in servandis requisitis circumstantiis, aut ex malitia labantur. Fatendum tamen est, multos, qui alioqui usurarii essent, posse per opiniones illas & modos tolerabilem aliquam lucrandi rationem usurpare. Summa itaque totius negotii hæc est, 1. Posse lucrum illud vel tolerabile vel intolerabile esse pro ratione modi specialis quo transigetur contractus. 2. Propter periculum nemini illud esse suadendum.

Ex his omnibus *colligitur* 1. Emptorem census obligari ad considerandas circumstantias contractus, utrum revera compatiantur veras conditiones contractus censualis realis, aut contractus societatis; neque esse ipsi liberum, dare mutuum cœco modo ac indifferenter, sive reperiatur idoneitas ad contractum censualem realem, societatis &c. sive non?

Colligitur 2. Emptorem census obligari ad se regulandum juxta leges contractus censualis realis, si fuerit hujus naturæ; aut juxta leges societatis, si fuerit obligatio personalis.

Colligitur 3. Ideo contractus hujusmodi utrinque redimibiles dissuaderi, aut omnino prohibendos judicari, quia, ubi datur capitalis summæ moralis, atque par in cassa emptoris & manu debitoris securitas, hoc ipsum est affectus usurarii, quod mutuans obliget debitorem ultra restitutionem sortis ad subeundum alium contractum lucratorium. Hinc quia non licet postulanti mutuum imponere onus ac necessitatem alterius contractus, videamus, quid author sentiat de titulo periculi, ratione cujus liceat petere compensationem, seu quod idem est, cogere mutuatarium ad subeundum alium contractum census, aut societatis. Quæst. 20. punct. 2. §. *de venditione cum expensis & periculo* sic scribit:

Probabilem etiam existimo esse opinionem Medinæ, licitum esse *ratione periculi*, cui aliquando quis capitale exponit, aliquam compensationem ultra capitale exigere; modo id periculum, ut ibi recte explicat Medina, sit morale & peculiare ob aliquas contractus vel contrahentium circumstantias, non autem physice aut metaphysice excogitatum, quale semper potest fingi. Quæ Medinæ

q. 38. opinio omnino videtur eſſe ex mente etiam Gabrielis in 4. diſt. 15. q. 11. art. 1. §. *ad idem*: & art. 2. dub. 4. & Joan. Majoris eadem diſt. q. 31. in fine, & Covarruviæ lib. 3. var. reſol. cap. 2. n. 5. circa finem. Et quidem Sotus lib. 6. de juſtitia q. 4. art. 1. eam Medinæ opinionem rejicit. Conradus etiam q. 59. Cor. 2. poſt. 3. concluſ. negat id licere. Navarrus quoque in hoc ſequitur Sotum cap. 23. num. 81. quanquam falſo Navarrus interpretatur opinionem Medinæ, quaſi is loquatur de communi & qualicunque periculo, quod eſt annexum ſemper exſpectationi ſolutionis. Probatur autem hæc ſententia Medinæ ſic intellecta. Nam rem ſuam morali & peculiari periculo amittendi exponere eſt gravamen pretio æſtimabile. Ergo licite poteſt quis aliquid in hujus periculi compenſationem petere.

Antecedens eſt clarum & conceditur ab omnibus hoc ipſo, quod dicunt, ad taxandum pretium mercium habendam eſſe rationem periculi ſuſcepti in advehendis mercibus. Id quod nominatim concedunt Sotus & Navarrus, & Divus Thomas hic art. 4. ad 2. ubi ait, poſſe venditorem *carius vendere propter periculum, cui ſe exponit, transferendo rem de loco ad locum, vel curando transferri.*

Tertio probatur. Qui alterum aſſecurat, licite ſecundum omnes recipit aliquid propterea, quod ſuſcipit in ſe mercium periculum, ut fuſe probat Major q. 31. Et Covarruvias lib. 3. var. reſol. cap. 2. num. 5. contra Conradum q. 75. Ergo ſimiliter poterit aliquid recipere creditor, ſuſcipiens idem periculum.

Quarto principaliter *probatur*. Nam omnes concedunt, ſine controverſia licitum eſſe, emere debita minoris, quando eſt periculum aliquod ſolutionis; ut ſi v. g. debitor ſit pauper, vel litigioſus &c. Ergo vere eſt æſtimabile periculum incertæ ſolutionis.

Objicit Sotus 1. Non eſſe ſimile inter aſſecuratorem & creditorem; nam aſſecurator non recipit aliquid pro mutuo aut exſpectatione pretii, ſed pro obligatione ſolvendi capitale. *Reſpondeo*. Obligatio aſſecuratoris eſt pretio æſtimabilis non ſolum per ſe, propter onus obligationis, ſed ſimul etiam propter periculum annexum perdendi ſeu ſolvendi capitale.

Objicit Sotus 2. Aliud eſſe rem emere ſubjacentem periculo, prout fit in emptione debiti periculoſi, & aliud eſſe, rem vendere cum periculo, prout fit in mutuo. Sed *Reſpondeo*, aliud quidem eſſe *emere*, & aliud eſſe *vendere*: ſicut tamen in emptione rei ſubjacentis periculo juſte minuitur pretium, ita in venditione pro pretio ſubjacente periculo juſte augetur pretium.

Objicitur 3. Sic viam aperiri uſuris. *Reſpondeo*. Periculum debere eſſe non qualecunque, ſed morale, & peculiare & veriſimile. Si enim debitor habeat alioqui *creditum*, vel dedit pignus, aut ſponſorem, periculum metaphyſicum, quod creditor aut nimis avarus, aut nimis timidus ſibi fingit, non debet pretio æſtimari. Quamobrem minime aperitur per hanc opinionem aditus uſuris.

Objicitur 4. Etſi aliquid exigatur ratione periculi, per hoc tamen creditor non evadit periculum; quin immo illud ipſum, quod exigitur, manet ſubjectum periculo cum ipſo capitali. Ergo ſignum eſt, cenſum non peti propter periculum. *Reſpondeo*. Cenſum non peti ad evitandum periculum, ſed ad compenſandum.

Objicitur 5. In cap. *Naviganti* dicitur: *Naviganti vel eunti ad nundinas certam mutuans pecuniæ quantitatem, eo quod ſuſtineat in ſe periculum, recepturus aliquid ultra ſortem uſurarius eſt cenſendus*. *Reſpondeo*. Ideo illum creditorem fuiſſe habitum pro uſurario, quia nolebat mutuare, niſi ſimul obligando alterum ad contractum aſſecurationis, vel etiam ad contractum ſocietatis, quod facere eſt uſurarium: nam ratione mutui non licet mutuatarium ad aliquem contractum obligare, ut videbimus quæſtione ſequenti.

Ex his omnibus colligitur, juxta hunc authorem eſſe uſurarium contractum, ſi creditor in caſu, quo tenetur dare mutuum, cogat debitorem ad ſubeundum contractum

cen-

census realis, vel societatis, vel compensationis periculi.

Colligitur 2. Etiam in casu, quo non datur obligatio mutuandi, contractum esse usurarium, si non subsistant aut non intendantur conditiones contractus censualis, aut societatis, aut compensationis periculi: cum igitur ad conditionem contractus censualis pertineat, ut pereunte re, in quo census constituitur, extinguatur census; & in contractu societatis, ut damnum vel lucrum commune sit, vel si conjungatur cum duplici contractu assecurationis, ut lucrum probabile speratum notabiliter excedat lucrum certum; & in contractu compensationis, ut periculum compensandum sit morale ac verosimile, consequitur in hujusmodi contractibus esse periculum usuræ, nisi hæ conditiones determinate agnoscantur, & suscipiantur a creditore. Fateor tamen, contractum societatis cum duplici pacto assecurationis mihi non placere; videtur enim de rui natura contractus societatis per assecurationem lucri & capitalis, utpote cum per hoc destruatur essentialis conditio hujus contractus, nempe communio lucri & damni: & hinc nihil remanet, nisi contractus censualis personalis fundatus in compensatione periculi, seu potius in æquatione juris in re cum jure periculoso ad rem habente taxam legalem.

§. XVIII.

Utrum Conradus recte citetur in favorem contractus censualis personalis utrinque redimibilis, nullo existente particulari titulo periculi, lucri cessantis, aut damni emergentis?

CONradus, profecto eximius Theologus ac Canonista, qui floruit ad finem sæculi XV. in Germania, citatur a Lessio & Valentia in favorem contractus censualis personalis utrinque redimibilis, prout ostenditur § 16. & 17. Verum ex iis ipsis locis, quæ allegantur, nempe ex quæst. 84. concluſ. 4. & 5. apparet, a Conrado eum contractum, licet speculative defendi posset servata æqualitate pretii & mercis, practice condemnari; immo ab eodem authore vehementer inculcari, etiam stante titulo periculi sæpe ad mutuandum gratis urgere obligationem charitatis.

Quæst. 84. concluſ. 5. sic scribit:

Quinta concluſio. Emptio redditus redimibilis depravatur per hoc, quod facultas repetendi pretium est apud emptorem, & facultas redimendi non est apud venditorem. Probatur ab aliquibus sic. Quia tunc non est vera emptio, sed vera mutuatio; quia potest repetere pecuniam, & etiam contendat retinere fructus medii temporis perceptos de merce, quæ in re est vere pignus vel hypotheca. -- Sed argueretur, quod hæc probatio non sit valida, quia potest esse vera emptio, ubi emptor retinet facultatem resolvendi contractum, & consequenter repetendi pretium. Quod patet per Panormit. in cap. illos vos, & per l. quod si nolit, & in l. si ita res. Sed dicendum, quod dato, quod licet de rigore scholastico non sit contra rationem emptionis, quando emptor habet facultatem resolvendi contractum & recipiendi pecuniam, tamen quando emptor vult habere illam facultatem repetendi, oportet etiam quando repetit pretium, ut computet fructus medii temporis in sortem, ita ut restituat tam rem emptam, quam fructus de ea perceptos cum omnibus accessionibus & emolumentis, prout voluit Panormitanus in cap. illos vos. -- Posset igitur pro concluſionis probatione sic melius argui. Viginti floreni, ut supponitur, sunt justum pretium pro redditu unius floreni redimibili, ubi venditor habet jus redimendi redditum, & emptor non habet jus repetendi pretium, & uterque retinet fructus medio tempore perceptos. Igitur si emptor vellet, quod venditor careret jure repetendi, oporteret notabiliter majus pretium dare, quam viginti. --- Unde simpliciter condemno talem contractum tanquam simpliciter iniquum, & contra justitiam commutativam, eo quod non datur justum pretium; & etiam ex eo, quia

est

eſt ſimillimus uſurario contractui, & conſequenter eſt latibulum aptum pro latronibus, volentibus exercere uſuras palliatas.

Unde etiam ſi quis diceret, ſe velle aſcendere in pretio, quatenus ſalva ſit ſibi facultas repetendi pretium; & etiam intantum vellet aſcendere, quod cenſeretur illa facultas repetendi pretium ſufficienti pretio eſſe empta, adhuc non admitterem illum contractum in foro conſcientiæ; & hoc propter prædictam cauſam & ſpeciem mali; etiamſi de prædictorum jurium ſubtilitate poſſet, quod eſſet emptio, & propter prædictum aſcenſum non eſſet inique. Et potius credo, ſilendum coram filiis ſæculi de prædicta ſubtilitate, quam extra ſcholas coram eis de talibus differendum. Quia hoc effet clauſam portam malevolis reſerare. Et ſicut prædicta ratio ſufficienter condemnat emptionem redditus unius floreni pro viginti, quando emptor habet facultatem repetendi pretium, & venditor non habet facultatem redimendi; ita etiam ex eadem patet ratio reprobandi emptionem redditus unius floreni pro viginti, quando uterque habet facultatem; ille repetendi pretium, & alter redimendi redditum, qui tamen contractus nonnunquam inter nobiles & militares noſtræ patriæ (Sueviæ in Germania) reperitur. Patet enim, quod aut eſt mutuatio uſuraria, aut ſi manet emptio, quod eſt iniqua, quia nimis diminutum pretium dat emptor. Etſi dicas; jura allegata ad probandum, quod emptio poſſit eſſe vera, etiamſi emptor habeat facultatem reſolvendi contractum ad placitum ſuum, non loquuntur niſi in caſu quo emptor vult reſolvere contractum propter morbum vel vitium rei venditæ, in quo caſu ei competit vera redhibitoria; non autem in caſu, in quo ex alia cauſa vult reſolvere contractum, dicendum, quod hoc eſt verum; tamen pro quanto illa loquuntur de fructibus, ſunt expreſſe extenſa etiam ad caſum reſolutionis contractus ad placitum emptoris factæ in vim pacti de reſolvendo contractum ad placitum emptoris adjecti eidem contractui, ut patet in dicta l. *quod ſi nolit*, §. penult. --- Circa ſolutionem occurrit difficultas. Nam videtur poſſe probari, quod poſſet fieri emptio redditus redimibilis etiam emptore reſervante ſibi facultatem repetendi pretium etiam non computatis fructibus in ſortem. Et hoc ſic videtur poſſe probari. --- Ad hæc nihil hic afferendo ſed ſcholaſtice diſputando, ut detur occaſio cogitandi deſuper, poſſet dici, quod argumentum probat intentum ſuum; ſed tunc oporteret emptorem redditus dare majus pretium, quam ſit pretium ſolitum dari pro redditu, ubi emptor non habet illam facultatem, ſed venditor. Et ratio eſt, quia illa facultas repetitionis pretii eſt res æſtimabilis pretio; ſicut & facultas repetendi mercem conceſſa venditori eſt æſtimabilis pretio. Si ergo de facto, ut ſupponitur, viginti floreni ſunt juſtum pretium pro redditu unius floreni in caſu, quo emptor non habet facultatem, ſed ſolus venditor, oporteret quod emptor daret tanto majus pretium, quanti æſtimari poſſunt duæ facultates, quas emptor vult habere, & onus, quo vult venditorem obligari. -- Tunc videtur de rigore ſcholaſtico loquendo, non iniquus contractus in ſe. -- Et ſicut hæc deductio proceſſit, ubi ſolum emptor haberet facultatem repetendi pretium, & venditor non haberet facultatem redimendi mercem; ſic poſſet etiam deduci, ubi uterque haberet facultatem, ille repetendi pretium, alter redimendi mercem, quia venditor tanto vilius pretium acciperet pro ſua facultate habenda, & emptor tanto majus daret pretium pro facultate repetendi pretium; & ſic utriuſque conditio eſſet reducta ad æqualitatem.

Sed diceres: Cur emptor deberet dare eo majus pretium ratione facultatis repetendi pretium a venditore; cum venditor deberet merito eſſe contentus, quia econtra ei emptor conceſſerat facultatem redimendi; quia facultates ſunt paris conditionis, & ſic fieret una compenſatio? Dicendum, quod verum eſſet

hoc,

hoc, si illud a principio esset inspectum in taxa pretii. Secus ubi a principio venditor volens habere facultatem redimendi cogebatur eo minus pretium recipere, quatenus illam facultatem haberet, & sic quasi emit illam facultatem, nec gratis eam accepit ab emptore; cur ergo venditor, qui non gratis eam accepisset ab emptore, deberet econtra eidem gratis indulgere facultatem repetendi?

Et ex hoc sequuntur duo Corollaria. Primum, quod quantum esset de rigore scholastico, & habendo respectum ad æqualitatem commutativam, sicut potest, ut videtur, servari, posset emptio & venditio tanquam æqua de rigore scholastico & subtilitate defensari, id est, non iniqua, quolibet sequentium quinque modorum. Primo, quod neuter haberet facultatem, scilicet nec emptor repetendi pretium, nec venditor facultatem redimendi; sicut communiter fit in emptionibus & venditionibus negotiatorum. Secundo quod uterque haberet facultatem duplicem, scilicet emptor repetendi pretium, & retinendi fructus perceptos; & venditor facultatem redimendi & retinendi commoditates procuratas mediante pecunia &c. -- Hæc autem hic tantum scholastice disputasse volui, ut detur occasio lectoribus ad cogitandum super hoc diligentius. Opus tamen erit, ut in talibus contractibus nil novi admittatur, quo maligni possint uti in fraudem & pallium suarum usurarum; quamobrem supra dixi, quod etiamsi servaretur æqualitas commutativa, non admitterem illum contractum, ubi facultas repetendi pretium remanet apud emptorem. Unde opus est, aliquos contractus, licet in se æquos, reprobare propter abusum eorum, & latibulum latronum de medio tollendum. Postquam autem hactenus positi sunt speciales casus, in quibus depravatur prædicta emptio, consequenter generaliter loquendo comprehendendi sunt in genere omnes modi, quibus depravatur emptio prædicta, & per hoc ponitur.

Sexta conclusio. Generaliter loquendo sex modis depravatur emptio redditus redimibilis secundum sex circumstantias ad ejus bonitatem requisitas. Sex circumstantiæ sunt, quis, cui, cur, ubi, quomodo, quando. Circa circumstantiam, *quomodo*, exemplum est, quod tunc etiam emptor peccat, quando venditor libenter vellet illam pecuniam mutuo habere, pro qua emptor vult emere; & venditor est in aliquo illorum quatuor vel quinque casuum constitutus, in quibus tenetur emptor mutuare; de quibus patuit quæst. 19. (vide §. 6.) & tamen emptor non vult ei mutuare, sed tantum vult emere ab eo: tunc enim, etiamsi det justum pretium, & omnia alia requisita sunt ibi, depravabitur emptio mortaliter, vel saltem emptor peccabit mortaliter nolendo mutuare, sed emere.

Ex hoc sequitur Corollarium, quod si quis dives vel pecuniosus velit emere redditum perpetuum sive redimibilem, sive irredimibilem, ut non per accidens depravetur emptio, vel saltem ut inter emendum non peccet, valde ac summe necessarium est, quod videat ad necessitatem vendentis, quæ in quatuor vel quinque casibus positis quæst. 19. potest esse talis, ac tanta, quod emptor mutuare deberet tantam pecuniam, quanta indiget, & ob cujus pecuniæ necessitatem venditor vendit redditum super bonis suis. Ita Conradus de cujus mente circa hanc obligationem charitatis vide §. 6.

§. XIX.

An Glossa contractum censualem utrinque redimibilem censeat usurarium?

GLossa ex instituto non tractat hanc quæstionem; ponit tamen principia, ex quibus de ejus mente judicari potest, si fuisset interrogatus. Docet. 1. non esse usurariam emptionem fundi

cum

cum pacto retrovendendi ad arbitrium emptoris. 2. fructus medio tempore perceptos eſſe emptoris, non venditoris. Cum ergo fructus annui in emptione juſta ordinarie correſpondeant parti vigeſimæ totius pretii prout Panormitanus in cap. *illo vos*, obſervat, adeoque exæquent cenſum annuum in ratione 5. pro 100, a pari, ab uſura liber pronuntiandus erit contractus cenſualis perſonalis redimibilis ad arbitrium emptoris. Verba Gloſſæ in cap. *illo vos* De pignoribus ſic habent.

Cum contractus ſub hac forma celebratur, ut liceat emptori a contractu diſcedere, ſi emptio diſpliceat ſibi, tunc uſque ad ſexaginta dies poteſt emptor a contractu diſcedere, & non ultra; niſi hoc dictum ſit, quod, quandocunque velit, poſſit recedere a contractu. --- Hoc (quod in caſu poſito emptio fundi fuerit facta cum pacto reſolvendæ emptionis, ſi intra duos annos venditori diſpliceret) videtur potius facere pro ipſo, quod contractus uſurarius non fuiſſet. Sed hoc fuit contra naturam pacti, quia ſi aliquis rem vendit eo pacto, quod quandocunque pretium reſtituerit, rem ipſam recipiat, emptor lucratur fructus perceptos, quouſque pecuniam recipiat: & ideo præſumptio erat contra iſtum. Sed dic, quod non fuit venditio, ſed pignus; quia in pignore computantur fructus, ſed in venditione non computantur. Ex hoc textu duo colligi poſſunt; 1. quod iſto tempore, nempe initio ſæculi XIII, creditores non agnoverint licentiam contractus cenſualis perſonalis utrinque redimibilis, in Germania recepti; alioquin non ſubſtituiſſent fictam emptionem; neque pro 23 libris pecuniæ exegiſſent 26 libras; neque enim cenſus annuus nunc receptus pro 23 penderet 3, ſed 1 $\frac{1}{20}$. Hinc non eſt mirum, contractum fuiſſe a Pontifice rejectum tanquam uſurarium. *Colligitur* 2. Caſum hunc & textum Gloſſæ non ſervire pro cenſu utrinque redimibili, nam caſus tantum tribuit licentiam redimendi pro venditore, textus Gloſſæ autem approbat quidem emptionem cum pacto retrovendendi ad arbitrium emptoris, ſed in hoc caſu nil definit, an fructus ſint computandi in ſortem; neque agit de venditione juris ad pecuniam, in quo caſu in emptore juxta Covarruviam non videtur eſſe ſincerus animus emendi, ſed mutuandi. Quid igitur Gloſſator ad hunc caſum fuiſſet reſponſurus, incertum eſt.

Immo Gloſſator in cap. *ad noſtram*, *de emptione*, expreſſe contrariatur cenſui utrinque redimibili, dum in tali caſu oſtendit, fructus indubitato in ſortem computandos eſſe. Caſus erat iſte: Ad noſtram noveris audientiam perveniſſe, quod cum R a M mutuum recipere voluiſſet, creditor, ne per Canonem contra uſurarius editum poſſet in poſterum conveniri, domos & olivas recepit ab eodem titulo emptionis; cum revera contractus uſurarios ageretur, quod patet ex eo, quod creditor debitori promiſit, quod quandocunque a ſeptennio ad novennium daret ſexaginta uncias Tarenorum, quæ vix dimidiam juſti pretii contingebant, domos ejus reſtitueret & olivas. In hoc caſu reſolutio contractus videtur collocata fuiſſe in arbitrio emptoris; neque enim veroſimile eſt, quod creditor uſurarius promiſſurus fuiſſet, ſe pro dimidio fere pretio domos & olivas reſtituturum. Sed ſi bene inſpiciatur, potius credendum, reſolutionem contractus collocatam fuiſſe in arbitrio ſolius venditoris; & ab initio tantum dimidium pretii juſti ab emptore titulo ficto emptionis perſolutum eſſe, quo reſtituto & emptor reſtitueret domos & olivas. Conformiter ad hanc explicationem reſpondere videtur Gloſſator in hæc verba: Fictus emptor, qui verus eſt creditor, cogitur reſtituere rem in veritate pignoratam, ſed ficte venditam, ſi ſatisfactum eſt ſibi de ſorte fructibus computatis. Ita communiter ſummatur. Sed hæc ſummatio eſt de indubio. Ideo ſummo notabilius ſic: Si in venditione apponitur pactum de recuperanda re poſt certum tempus

mo-

modico constituto pretio, præsumitur pignus & non venditio. -- Si autem non ageretur in fraudem, secus esset, & haberet emptor fructus, licet venditio rescinderetur, & res esset vendita justo pretio.

Neque ex his Glossatoris verbis evincitur: emptori posse competere licentiam, redimendi pro suo arbitrio sortem, & simul fructus perceptos non computandi in sortem.

§. XX.

Utrum Joannes Major approbet contractum censualem personalem redimibilem etiam pro arbitrio emptoris?

Hic author approbat ejusmodi contractum redimibilem etiam pro arbitrio emptoris, etsi resoluto contractu fructus non computentur in sortem. In 4. Sent. Dist. 15. quæst. 42. sic scribit: Circa materiam negotiationis proprie dictæ quæritur, an redditum emptio sit licita? Respondetur per conclusiones sequentes.

Prima. Licitum est emere agros. *Secunda*. Licitum est emere agrorum redditus fructuarios. *Tertia*. Licite possunt emi redditus pecuniarii. *Prima conclusio* non eget probatione. *Probatio secundæ conclusionis*. Licet emere fructus ex agris colligendos; ergo licet emere redditus fructuarios; quia redditus fructuarii non sunt nisi fructus colligendi. *Tertia conclusio probatur*. Aliquis licite vendit aliquos agros sibi servando pensionem annuam, ergo redditus pecuniarius est vendibilis. Ergo quis licite potest illum emere. -- Sed quia determinatio Summorum Pontificum (Martini V. & Callixti III.) est expressa de redditus pecuniarii emptione (licita); non oportet pluralitati rationum inniti contra Henricum Gandensem. -- *Objicitur Tertio*. Iste contractus est usurarius, quia capio lucrum ultra sortem. *Respondetur*, negando quod sit usura; quia non est mutuum; nec possum (debitorem) unquam cogere ad restituendam sortem, quod est contra rationem mutui. *Sed contra*. Erit solum palliatio usuræ & occasio opprimendi inopes; ut si quis inopia pressus petat a me mutuo centum; dicam, non dabo tibi mutuo, sed emam annuum redditum 5 aureorum pro centum. *Respondetur*, negando, quod sit palliatio usuræ vel occasio inopis opprimendi. Dicam enim, non dabo tibi centum aureos mutuo; sed emam abs te fundum valentem 5 quotannis; vel emam abs te boves vel oves valentes centum in promptu; alioquin non daturus pecuniam; & hoc supposito, quod non sis tali inopia pressus, ut sim obnoxius tibi dare mutuo de præcepto. Nonne vides emptionem licitam, quæ eodem modo erit usuræ velamen & occasio opprimendi miseros. *Quarto objicitur*. Non ingredior latitudinem justi pretii dando centum pro jure quotannis percipiendi quinque, nam colligo viginti annorum curriculo centum ultra sortem. *Respondetur*, negando assumptum; quia centum tantum valent in promptu prudentum virorum judicio, quantum habere jus colligendi quotannis quinque Et quod ita sit ostendo. In qualibet regione pro viginti recipitur unum; immo in emendis agris vel redditibus perpetuis Parisiis pro duodecim habebis unum; & cum non pressi inopia hoc modo contrahendi utantur, latitudinem justi pretii ingredior, & sic in hoc non pecco.

Ibid. quæst. 43. Quæritur, an redditus depravetur per hoc, quod est irredimibilis vel perpetuus? *Prima Conclusio*. Redditus per hoc non inficitur, quod est perpetuus & irredimibilis. -- *Secunda Conclusio*. Redditus perpetuus non depravatur per hoc, quod venditor obligat emptorem ad revendendum redditum sibi venditori vel suis successoribus, cum datur æquale emptori vel ejus successoribus, quale emptor ab initio venditori dedit. -- Istud patebit per determinationem Martini V. & Callixti III. -- *Quarto objicitur* contra concluſ. 2. Si potest emi redditus 5 aureorum 100 aureis,

reis, eadem ratione poteſt quis emere e diverſo jus emendi viginti aureos in promptu cum uno aureo annuatim ſolvendo. *Reſpondeo*, concedendo, quod iſte contractus ſit licitus & vera emptio. -- Epilogando patet, quod licitus eſt redditus irredimibilis, & quod licitus eſt contractus redimibilis, ſi emptor det tantum venditori vel paulo minus, ac ſi eſſet irredimibilis. Sed non tantum valet ager vel redditus data conditione apud emptorem, ut ipſe vel ſui poſſint repetere, quando velint. Videmus ergo, quod aliqua venditio eſt irredimibilis. Aliqua etiam eſt redimibilis, in qua datur facultas venditori, oblato pretio, quod dedit emptor ab initio, redimendi contractum. Pari forma dari poteſt aliqua venditio, in qua daretur facultas emptori cogendi venditorem, ſi ſibi libeat iterato emere mercem venditam; ſed tunc oportet, ut plus det venditori ratione illius oneris, quod venditor ſubit ad hoc, ut ſit latitudo juſti pretii; niſi venditor hoc ei remittat. Quarta poteſt eſſe emptio, in qua utrique daretur facultas, puta venditori redimere mercem venditam, ſi velit; & emptori, ut cogat venditorem iterato emere mercem, ſi voluerit. Semper ſupponimus, quod teneant latitudinem juſti pretii ſecundum prudentum diſcretionem; ſic ſcilicet ut minus detur pro merce cum onere, quam ſine onere, & ſervetur æqualitas inter onera: vel ſi venditor plus habeat de onere, quam emptor, emptor tenebitur ei refundere in pecunia, vel æquivalente vel econverſo. Poſt epilogationem factam ponentur determinationes (id eſt, Bullæ) Martini V & Callixti III. de hujuſmodi redditibus. Ita Joannes Major.

Ex his colligo. 1. Joannem Majorem, cum ſuæ doctrinæ immediate ſubnectat Bullas Martini. V. & Callixti III., non exiſtimaſſe, has Bullas cenſui utrinque redimibili eſſe contrarias.

Colligo. 2. Cum juſtum pretium cenſus utrinque irredimibilis ſint quinque pro centum, & in caſu redimibilitatis ex parte ſolius venditoris illud minus; econtra in caſu redimibilitatis ex parte ſolius emptoris augeri debeat, recte pretium juſtum in cenſu utrinque redimibili remanet in ratione 5 pro 100, quia ſic compenſatis reciproce juribus ad pretii augmentum vel decrementum relinquitur pretium in ſuo valore medio.

§. XXI.

Qualis fuerit Covaruviæ mens circa licentiam contractus cenſualis perſonalis utrinque redimibilis? Et quinam alii authores in ejus favorem citentur.

HÆc quæſtio varie reſolvitur ab authoribus ſæculi XV. & XVI., quibus cœpit exactius diſcuti. Aliqui dicunt, eſſe uſurarium; alii aſſerunt, eum eſſe de uſura ſuſpectum; alii dicunt, eum publicis legibus prohibendum. Magnum autem eſt in his diſcrimen. Poteſt enim is contractus eſſe *de uſura ſuſpectus* ex circumſtantia perſonarum, locorum, & temporum, eo quod promiſcue celebretur tam ab uſurariis, mutuantibus ad cenſum etiam in caſu, quo tenerentur mutuare gratis, quam a non uſurariis, mutuantibus ad cenſum ſolum in caſu, quo non tenentur mutuare. In hac expoſitione contractus poteſt eſſe de uſura ſuſpectus, quin univerſim aut ordinarie ſit uſurarius. Poteſt etiam eſſe de uſura præfato modo ſuſpectus, quin in tali regno aut tempore ſit connexus cum tantis abuſibus, ut ob eos ſit neceſſario prohibendus. Si enim abuſus non ſunt adeo graves, ut compenſari nequeant ex bonis tolerantiæ, qua cuivis conſcientiæ relinquitur, an in hoc vel illo caſu illum urgeat lex mutuandi, ſeu commodandi gratis, non erit pro eo rogno vel tempore ille contractus prohibendus.

Hoc prænotato videamus, an detur uniformis ſenſus doctorum, eum contractum eſſe ex ſua natura independenter a lege poſitiva uſurarium?

1. *Covaruvias*, Epiſcopus Hiſpaniæ,

& totius Castellæ regni Præses, quem Navarrus Comment. De usuris num. 64. testatur *jam pridem multis annis Salmanticæ fuisse suum auditorem*, eumque anno præterito, id est, 1580. obiisse, Tom. 2. Variarum Resolut. lib. 3. cap. 9. num. sic habet: Observandum, frequenter posse accidere: ut venditio (annui redditus) fiat appositio pacto redimendi juxta voluntatem emptoris, id est, cum primus emptor vendere voluerit; & ob id dubitatur, liceatne hanc conventionem omnino fieri. Nam Joan. ab Imola in cap. *illo vos*, de Pignoribus & Alexander Cons. 54. col. 1. lib. 6. existimant, venditionis contractum non ex eo usurarium censeri aut præsumi, quod eam legem habeat, ut cum emptor rem vendere voluerit, primus venditor eam reddito pretio emere teneatur, non alias. Quamobrem Imola & Alexander præter pactionem istam alia duo requirunt ad præsumptionem usuræ, quæ in dicto cap. *illo vos*, referuntur, nempe quod revenditio fieri debeat majori pretio, quam facta fuerit venditio; & clausula de non computandis fructibus in ipsum pretium, fortemque præsumpti mutui. Hæc etenim duo necessaria sunt secundum eosdem Doctores & magis communem Doctorum interpretationem, ut usurarius contractus præsumatur. Sed huic sententiæ obstat, quod ubi revenditio in his contractibus confertur in voluntatem ipsius emptoris, fructus interim percepti non efficiuntur emptoris, immo sunt in sortem ipsam imputandi, secundum Panormitanum, & Joan. Andr. in dictum c. *illo vos*. Conrad. De Contract. quæst. 84. Conclus. 5. Anton. Burgens. in cap. *ad nostram* de empt. & Andream Tiraquel. in l. 2. De retract. §. 5. Glos. 2. num. 3. per l. *quod si nolit*, juncta l. *cum autem*. §. penult. ff. de ædil. edict. l. *Imperator* & l. *quod dictum est* ff. De in diem addict. Hæc tamen objectio pluribus modis dissolvi poterit. Nam etsi opinio Joan. Andr. & Panormit. receptior sit, falsa tamen videtur authoritate Glos. quæ in *verb. percepti*, probata per Card. & Imol. in dicto c. *illo vos*, scribit, in eo casu, cujus ibi mentio fit, fructus ad emptorem pertinere ex natura contractus, nisi aliud actum fuerit. Nec sententiam Panormitani probat textus in dicta l. *quod si nolit*, & l. *cum autem* §. *cum redhiberetur*, quia res ibi redhibetur ex causa de præterito, quæ inerat jam a tempore venditionis, qua ratione fructus post causam percepti restituuntur. Quinimmo & Coras. & Imola in d. cap. *illo vos*: ita distinguendum in hac quæstione existimant, ut quoties resolutio venditionis ipso jure fiat, fructus ab emptore percepti venditori restituantur; at si venditio aliter, quam ipso jure dissolvatur, fructus interim ab emptore percepti apud eum maneant; sicque intelligendos esse textus paulo ante adductos censent. An vero ex pacto retrovendendi fiat resolutio contractus & venditionis ipso jure, diximus cap. præcedente: (dixerat autem cap. 8. num. 2. ex communiori Doctorum, non fieri resolutionem contractus ipso jure) ipso autem jure intelligo venditionem dissolvi, quoties dominium absque traditione in priorem venditorem revertitur. -- Jurisconsultorum responsa secutus ita arbitror controversiam hanc dirimi posse. Aut enim venditio dissolvitur ex causa de præterito, quæ inerat jam tempore venditionis; & tunc fructus ab emptore percepti venditori sunt restituendi *d.* §. *cum redhiberetur*. Aut dissolvitur venditio ex pacto legis commissoriæ, & procul dubio fructus sunt venditori restituendi quadam speciali ratione. Quod si venditio alterius pacti causa dissoluta fuerit, tunc fructus ad emptorem pertinebunt, cum emptio pure contracta fuerit, ejusque resolutio in eventum alicujus conditionis collata. Unde appositio pacto de retrovendendo in venditione pure constat evidenter, fructus ad emptorem pertinere: -- nec refert, an pactum retrovendendi in voluntatem venditoris an emptoris collatum fuerit, etiam refragante Panormitano. -- ex quibus omnibus deducitur, pactum revendendi omnino

nino licitum eſſe, etiamſi in voluntatem arbitriumque emptoris revenditio conferatur; & idem præter Imol. Alex. & Jo. a Medina tenet Joan. Major in 4. Sent. diſt. 15. q. 43.

In hac denique difficillima quæſtione ad ejus perfectam examinationem diſtinguenda erit venditio rerum immobilium, aut mobilium ab emptione annuorum reddituum. Atque in priori ſpecie plura ſunt obſervatione digna. Primum quidem, pactum iſtud, ex quo revenditio confertur in voluntatem emptoris, licitum eſt, nec præſumptionem uſuræ inducit, niſi aliæ acceſſerint conjecturæ. -- Sunt enim hic duæ venditiones; una quæ actu fit; altera quæ confertur in voluntatem emptoris: Et ad juſtitiam contractus pertinet, ut utraque venditio juſto pretio fiat. -- Verum in ſpecie poſteriore, in emptione videlicet annui redditus, ab his pactionibus & conventionibus abſtinendum eſt. Nam & eas, & earum quemlibet ſuſpectum efficere hunc contractum cenſeo; atque illicitum eſſe opinor, cum hæc emptio annui redditus odioſa ſit; tum etiam ob conſtitutiones Romanorum Pontificum, qui de hoc contractu tractavere. Sic ſane non licet emere annuos redditus cum pacto redimendi ad voluntatem ipſius emptoris; ea ſiquidem pactio efficit, quod ſors ſemel ab emptore data poſſit ab invito debitore venditoreque exigi; hoc vero eſt contra hujus contractus naturalem conditionem, qua a mutuo & uſura diſtinguitur, ſicuti *cap. 7. hujus libri* probavimus; & præterea adverſus ipſas conſtitutiones, quibus hæc emptio annui redditus permittitur ea lege, ut ſors ſemel data exigi ab invito venditore non poſſit, qua ratione & aliis hanc opinionem late probant Carol. Molinæus de Contract. qu. 55. & qu. 58. Conradus quæſt. 84. Concluſ. 5. *Hucuſque Covarruvias*. Dum vero aſſerit ſe cap. 7. probaſſe, contractum cenſualem per hoc ex ſua naturali conditione diſtingui a mutuo & uſura, quod ille ad arbitrium emptoris non ſit redimibilis, ea tota probatio in nuda aſſertione, & ſolutione objectionis ſecundæ conſiſtit. Objecerat enim ſibi, contractum cenſualem non poſſe eſſe licitum, eo quod coincidat cum mutuo, ſic reſpondet: Secunda ratio (objectio) ex eo tollitur, quod in his contractibus nec mutuum interveniat verum, nec interpretativum, ſiquidem in mutuo cogitur quis ſortem ſolvere; at in his contractibus venditor nuſquam cogitur ſortem reddere. -- Nec in his contractibus (cenſu libus) uſura poteſt dari. Ea etenim adeſt, cum aliquid ultra ſortem percipitur; hic vero nulla eſt obligatio ad ſortem (reſtituendam;) quia illa perpetuo alienatur & tranſit in recipientem, ſi ipſe nolit redimere annuum redditum; quamobrem in hac ſpecie nihil ultra ſortem recipitur, ſed loco ſortis perpetuo abalienatæ redditur (cenſus.) -- Tota horum contractuum improbatio & vitia, quæ eis objiciuntur, tendunt in eum finem, ut annui redditus cum pacto redimendi omnino a republica Chriſtiana rejiciantur.

Ex his Covarruviæ verbis. *Colligitur* 1. Juxta hunc authorem contractum cenſualem perſonalem utrinque redimibilem eſſe ex ſua natura illicitum.

Colligitur 2. Male agere eos Canoniſtas, qui lib. 5. tit. 19. ubi agunt de licentia contractus cenſualis, fuſe tractant de contractu cenſuali reali vel perſonali in genere; & coacervant authoritates; De eo vero, de quo eſt primaria quæſtio, an licitus ſit contractus cenſualis utrinque redimibilis, aut obiter ſolum agunt, aut omnino ſilent niſi forte in objectione aut in addendo aut in quæſtiuncula, nullis adductis authoritatibus veterum.

Colligitur 3. Eos authores, qui univerſim ſine ulla diſtinctione inter emptionem annuorum reddituum, & emptionem aliorum bonorum mobilium vel immobilium concedunt, licitas eſſe emptiones redimibiles etiam pro arbitrio emptoris, merito allegari poſſe pro noſtra ſententia, quod contractus cenſuales perſonales utrinque redimibiles per ſe & ex natura ſua non ſint uſurarii.

Cum ergo Covarruvias pro illa parte alleget Glossam, Imola, Alexandrum Cardinalem, Joannem a Medina, Joan. Major, Bartolum, Aretinum, Jasonem, Cornerum, Carolum Ruinum, Angelanum, Cattelianum Cotta, &c. qui omnes tenent, pactum de retrovendendo non ipso jure irritare contractum prout fieret, si esset usurarius, apparet, sententiam de licentia contractus censualis personalis utrinque redimibilis non esse destitutam sua authoritate, adeoque illam non opponi constanti ac uniformi sensui & traditioni Doctorum. Quod attinet Recentiores Scriptores, qui post Covarruviam scripserunt, & approbarunt hunc contractum utrinque redimibilem sunt; Layman hoc tit. cap. 18. num. 5. Valentia, Lessius, Tamburinus, Binsfeldius, Bannes, Arragonius, Pirhing, Weistner, Anacletus Reiffenstuel, Schmalzgrueber, Pichler, Schmier, quamvis nolim omnium horum vestigiis insistere, quatenus aut permittunt hunc contractum non recipiendo ad ullum titulum particularem periculi, lucri cessantis, damni emergentis; vel quatenus suo illimitato modo loquendi negligunt inculcare obligationem charitatis, quæ sæpe adstringit ad mutuum gratuitum, ut visum est §. 6.

§. XXII.

Utrum contractus censualis personalis utrinque redimibilis sit approbatus per Leges Romani Imperii.

Dico. In Romano Imperio ab anno 1500. usque ad annum 1654. tantum fuit approbatus contractus censualis redimibilis ex parte solius venditoris. Sed ab anno 1654. fuit permissus etiam contractus censualis utrinque redimibilis. Id colligitur ex variis constitutionibus Imperatorum. Nam Maximilianus I. anno 1500. jussit, ut præscriberetur contractui censuali formæ. Qualis autem præscripta fuerit, desumitur ex Constitutione Caroli V., qui anno 1548. declaravit, contractus censuales, nisi fuerint redimibiles ex parte solius venditoris, habendos esse pro usurariis. Hanc declarationem renovavit Rudolphus II. anno 1577.; eandemque denuo supposuit, ac tacite approbavit anno 1600. Sed cum postea omnia in Germania turbarentur diuturno bello Svecico, & invalescerent contractus censuales utrinque redimibiles, anno 1654. in Conciliis Imperii Ratisbonensibus concessa est his contractibus actio in judicio; adeoque non amplius puniebantur tanquam usurarii. Existimo tamen, id potius factum per modum tolerantiæ, quam per modum positivæ ac generalis approbationis, prout etiam videtur colligi posse ex Constitutione Wormatiensi anno 1600., ubi in simili quæstione de censu moratorio tantum adhibentur termini *permissionis*, zugelassener Contract. Cum enim Status imperii perpenderent, in ejusmodi contractu censuali utrinque redimibili frequenter intervenire alium justum titulum, lucri cessantis, damni emergentis, aut periculi sortis, quorum titulorum liquidatio non potest convenienter fieri sine maxima tribunalium & contrahentium molestia, prudenter permiserunt contractum relinquendo cujuslibet contrahentis conscientiæ, an revera haberet coram Deo justum census titulum vel non. Hanc fuisse Statuum Imperii mentem, videtur etiam colligi ex Comitiis anni 1600. §. 139. ubi in simili causa ex motivo evitandi hujusmodi liquidationum molestias permittuntur generaliter quinque pro centum.

Constitutiones vero ipsas, quantum ad præsentem controversiam spectat, in gratiam exterorum exhibeo & latinas. Eas Henricus Canisius, olim Professor Canonum in Universitate Ingolstadiensi, qui & ipse tanquam usurarios rejicit ejusmodi contractus utrinque redimibiles, in suis *Prælectionibus Academicis de decimis & usuris* editis Ingolstadii 1609. affert cap. 10. observata verborum sententia, ut ipse asserit, sic ab eodem latine redditas.

I.

Conſtitutio Maximiliani I. in Comitiis Auguſtanis anno 1500. ſub tit. de uſurariis contractibus.

„ Quandoquidem & per uſurarios alioſque periculoſos & inconvenientes „ contractus, quos hactenus, ubi accepimus, Chriſtiani & Judæi exercent, „ provinciis & earum incolis, damnum notabile inferatur; Statuimus, ordinamus, & volumus, ut omnes & „ ſinguli Status Imperii, ſevere ipſis præcipiendo, hujuſmodi contractus in „ ſuis Principatibus, terris, ditionibus, „ & juriſdictioni ſuæ ſubjectis ubique „ locorum ſub pœnis congruentibus interdicant, & eorum tranſgreſſores ſerio puniant. Tum etiam mandamus „ Eccleſiaſticis & ſæcularibus judicibus, „ ut ſi quando tales contractus coram „ proferuntur, eoſdem invalidos & irritos pronuntient & declarent, nec „ executioni eos mandent, aut impleri „ faciant vel juvent. Quia vero redemptiones (ſubaudi, annuorum reddituum) paſſim in omnibus provinciis „ frequentantur, & ſub prætextu earum „ varia pericula & inconvenientia incurruntur; Mandamus noſtri Imperii „ regiminibus, immo damus ipſis plenam poteſtatem & authoritatem, redemptionis hujus formam aliquam moderatam & modum concipiendi & conficiendi & noſtro nomine ubilibet in „ Imperio noſtro publicandi, ut quilibet in poſterum ſciat, qua forma & „ modo in redimendo uti debeat. Statuentes item, ordinantes, & volentes, ut ſi abhinc poſt publicationem „ factam aliqua redemptio facta fuerit, „ quæ hujus formæ defectum patiatur, „ ea omnino infirma & irrita ſit.

Veroſimile eſt, ex eo tempore formam contractuum cenſualium fuiſſe præſcriptam, & obſervatam, qualis dein approbata eſt a Carolo V., in qua videlicet redemptio cenſus conceditur ſoli venditori, non vero emptori.

II.

Conſtitutio Caroli V. Imperatoris in reformatione politica Auguſtæ an. 1530. ſub tit. *De uſurariis contractibus* ſic habet.

„ Nobis relatum eſt, hactenus in Romano Imperio diverſos uſurarios con„ tractus celebrari, qui non ſolum in„ convenienter ſed ne quidem Chriſtia„ ne contra Deum & jus uſurpati ſunt, „ & quotidie exercentur. Nempe, exempli cauſa, quod quidam ſummam pecuniæ, veluti octingentorum florenorum mutuo dent, & tamen in litteris emptionis plus quam mille florenos inſeri curent, quo ipſis ultra quin„ cunces in ſingula centum cenſus no„ mine penduntur, & in redimendo amplius quam fuerit ſumma capitalis, „ conſequantur. Similiter & alii ſunt, „ qui ob parvam temporis moram, qua „ in ſolvendo ceſſatum eſt, intereſſe „ immoderatum exigant, & augendo in „ ipſam ſortem imputent, & convertant. Item alii ſunt, qui frumentum, equos, pannum, & ſimiles mer„ ces titulo venditionis æſtiment: plu„ rimi, quantum fieri poteſt, ac proinde eoipſo notabilem uſuram contra„ hunt, ut cuivis notum eſt. Item qui„ dam ſunt, qui pecuniam quidem mu„ tuent & recipiant in ſingulos cente„ nos certi quid, ſed præterea teneatur „ mutuatarius certas operas ſuas ad quas „ alias non tenebatur, ipſis addicere, „ neque eas denegare aut revocare au„ det, vel poteſt abſque præſenti ſolu„ tione ſummæ capitalis. Item quidam „ ſunt, qui pro pecunia argentea mu„ tuo data ſibi in inſtrumento curent „ monetam auream inſcribi. Item „ quod aliqui ſunt, qui quidem mutuent „ pecuniam, nulla econtra conſtituta „ pecunia numerata, ſed merce quadam „ in ſe magni valoris, ſed viliori pre„ tio æſtimatam, qua creditor & ſum„ mam capitalem ſuam, & magnum „ commodum etiam duplo vel triplo „ majus conſequatur. Item aliqui ſunt,

„ qui pecuniam suam mutuent his conditionibus sive pactionibus iniquis, ut „ mutuatarius ad quatuor nundinas sequentes, quæ ipsi præfixæ sunt, certum censum nominatum pendat, vel „ pecuniam exolvat, quæ interdum transcendit viginti in singula centum. „ Quia igitur hujusmodi & similes contractus, uti & usura, impii sunt jure communi scripto, & in ordinatione nostra & imperii anno 1500. graviter interdicti, adhibito consilio, „ scientia, & assensu nostri & sacri Imperii Electorum, Principum, & Statuum, eandem ordinationem ex justa causa renovamus & confirmamus, „ statuentes, ordinantes, & volentes, „ quod hujusmodi usurarii contractus & conventiones omnino & penitus post publicationem hujus factam evitentur, „ & per neminem cujuscunque dignitatis aut status ineantur aut in usum „ recipiantur; præcipiendo insuper judicibus Ecclesiasticis & Sæcularibus, „ ut si quando tales usurarii contractus „ coram proponantur, declarent eos invalidos, infirmos, & irritos esse, sicut & nos quoque hisce invalidos & „ irritos declaramus & pronuntiamus, „ neque executioni mandandos esse. Præterea is, qui talem contractum usurarium exercuerit, quartam partem „ capitalis summæ amittet in pœnam magistratui suo civili applicandam. „ Qui tamen Magistratus si sciens id „ neglexerit, superior ejus, & hoc item „ negligente præfectus Fisci Magistratum in pœnam aliquam nominatim, „ veluti duarum, trium, vel quatuor „ marcarum auri puri accusabit & recipiet. Et quia redemptiones censuum „ (widerkauffs) id est, reluitiones, „ reemptiones) ubique terrarum communiter receptæ sunt, non debent in „ posterum pro centum capitalis summæ ultra quinque dari & accipi, uti „ moris est. Item instrumentum redemptionis fieri debet, ut jus redimendi „ est. Quidquid ultra acceptum vel conventum fuerit, volumus id usuræ loco haberi & æstimari, &, ut supra „ dictum est, puniri.

Neque in hac Constitutione aperte damnatur contractus censualis utrinque redimibilis, quamvis expresse approbetur redimibilis ex parte venditoris.

III.

Constitutio Caroli V. Imperatoris Augustæ anno 1548. sub eodem Titulo, *de usurariis contractibus*.

In hac Constitutione Imperator eadem repetit, quæ in superiori sua Constitutione statuerat, nisi quod §. penultimo ea explicet, quæ ad redemptionem census redimibilis pertinent. Verba hujus §. sic habent.

„ Quia redemptiones censuum (die „ widerkauffs Gulden) ubique terrarum „ communiter receptæ sunt, ideo non „ nisi centum florenis quinque floreni „ annui census, ut consuetum est, emi „ debent & renuntiatio (loßbindigung) „ ejusdem census per viam redemptionis, ut redimendi jus est, penes venditorem, non emptorem erit, non „ attenta quacunque forma ea concepta „ sit in instrumento. Et si quid ultra „ datum, acceptum vel tractatum fuerit; volumus id, & alia omnia inconvenientia pacta sive conventiones, „ tanquam usurarias & infirmas censeri, haberi, neque per judicem de eis „ cognosci vel pronuntiari, sed magis, „ ut dictum est, puniri oportere.

Hæc constitutio aperte damnat contractus utrinque redimibiles.

IV.

Constitutio Maximiliani II. Imperatoris in Comitiis Spirensibus anno 1570. priora confirmat.

Paulo ante medium §. Aus waſſen. sic habet: „ Quibus ex causis legitimis „ contractus fœneratitii, qui semper „ Imperio magna incommoda, & pernitiem attulerunt, jure communi & „ quibusdam nostri imperii Recessibus „ interdicti sunt, superfluum est repetere. Quocirca nos Judici Camerali

„ &

„ & Aſſeſſoribus præcipimus, in hujuſ-
„ modi rebus, quod ſemel ſtatutum eſt,
„ in ulteriorem deliberationem ne tra-
„ hant.

V.

Conſtitutio Rudolphi II. Imperatoris Francofurti anno 1577. in politica ordinatione ſub Tit. *de uſurariis contractibus*, repetit & confirmat eadem, quæ ſupra ſtatuit Carolus V. anno 1548. ſtatuendo de novo, ut tantum liceant contractus cenſuales redimibiles ex parte ſolius venditoris. Addit ſolum paragraphum de obſtagiis, ſeu fidejuſſionibus illis, quibus fidejuſſores ſe obligabant ad ſe ſiſtendum, & per modum obſidis permanendum in certo loco, donec debitor ſolverit. Et licet hic fide jubendi modus receptus ſit jure Canonum in c. ex reſcripto. 9. De jurejurando, in hac tamen Conſtitutione rejicitur. Conſtitutio ſic habet: „ Tametſi in ſacri Im-
„ perii politica ordinatione anno 1548.
„ Auguſtæ publicata ſingulariter provi-
„ ſum ſit, quid fieri debeat, ubi obli-
„ gatio cenſus facta eſt, cum fidejuſſo-
„ ribus in obſtagium citandis vel mo-
„ nendis: nihilominus cum hactenus
„ hujus obſtagii abuſum perſpexerimus,
„ & tam fidejuſſores quam debitores eo-
„ ipſo in extremam pernitiem tendant,
„ nihilo tamen magis conſultis credito-
„ rum rationibus, quibus ſolvi non po-
„ teſt: idcirco volumus omnino, ne
„ obſtagia in poſterum obligationibus in-
„ ferantur, & inſerta, tanquam jure
„ publico interdicta per ſe irrita ſint;
„ & conſequenter neminem fidejuſſorum
„ nec debitorum ad obſtagium teneri,
„ neque hoſpiti, ad quem forte obſer-
„ vatum fuit obſtagium, expenſarum
„ nomine teneri.

Hanc conſtitutionem ideo appoſui, ut appareat, non omnia quæ circa cenſus annuos ab Imperatoribus ſtatuuntur, pertinere ad jus naturale, & naturam contractuum.

VI.

Alia Conſtitutio ejuſdem Imperatoris Rudolphi II. in Comitiis Spirenſibus anno 1600. duo valde notabilia ad hanc controverſiam ſpectantia determinat. *Primo*, tunc ſolum poſſe obligari debitorem ad reſtitutionem Summæ principalis, quando ipſemet ad eam ſe obligavit in caſum vel pœnam moræ quoad ſolutionem cenſus. Ex hoc enim conſequitur, eo tempore contractum cenſualem utrinque redimibilem nondum fuiſſe redimibilem pro arbitrio emptoris; & Summam capitalem non potuiſſe repeti, quamdiu debitor ſolvebat cenſum. *Secundo*, in iis Comitiis ſtatuitur, creditorem, ſi pecunias ſuas cuipiam dederit non ad cenſum ſed per modum mutui, habere jus exigendi cenſum in caſu quo petierit reſtitutionem Summæ mutuo datæ, & debitor fuerit in mora reſtitutionis. In tali namque caſu adjudicatur creditori intereſſe in ratione quinque pro centum, eo quod veriſimile ſit, creditorem, qui petiit reſtitutionem Summæ, facile per annum potuiſſe ex alio licito contractu lucrari quinque pro centum. Immo ſi judicialiter probaret, ſe potuiſſe lucrari plus quam quinque, etiam plus illi fore adjudicandum. Ex hoc conſequitur, eo tempore in Romano Imperio non fuiſſe permiſſum ullum cenſum vel uſuram ex mutuo, quamdiu mutuatarius erat promptus ad celerem reſtitutionem Summæ pro arbitrio mutuantis.

Verba hujus Conſtitutionis latine reddita ſic habent:

§. 35. „ Præterea nunquam hactenus
„ in S. R. Imperio expreſſe definitum
„ fuit, an ille contractus, quo debitor
„ ſe creditori ad reſtitutionem ſummæ
„ principalis obligat in caſu, quo mo-
„ roſus fuerit in ſolutione cenſus annui,
„ in S. R. Imperio pro conceſſo haben-
„ dus, & ſtantibus aliis clauſulis execu-
„ tivis executioni mandandus ſit. Ita-
„ que ad evitandas omnes inconvenien-
„ tias præmiſſo ſtatuum conſenſu con-

„ clusimus, determinamus, ordinamus,
„ & volumus, ut talis contractus aliis
„ in S. R. Imperio usitatis ac permis-
„ sis contractibus non difformis censea-
„ tur, & ut pretium in tali casu a de-
„ bitore per viam executionis & man-
„ dato ex illo pacto repeti possit.

§. 139. „ Quantum attinet ad punctum mutui, præsentes Consiliarii & „ Legati Electorum, Principum, & Statuum in rememoriam revocarunt, „ quid in Deputatione Wormatiensi ob „ hoc punctum habita anno 1586. actum „ fuerit, & quod tunc nostri ibi præ- „ sentes Commissarii, attendentes, sic „ partes ob punctum liquidationis liti- „ gantes a longis processibus forensibus „ liberari, & tribunalia ab his mole- „ stiis alleviari posse, cum illis conve- „ nerint, in casu, quo debitor fuerit in „ mora restituendi pecuniam mutuam, „ certum quid loco interesse a tempo- „ re moræ statuendum, & debitorem „ ad interesse solvendum adstringi debe- „ re, ob præsumptionem, quod credi- „ tor a tali tempore suam pecuniam „ elocare, & licito modo ad minimum „ quinque pro centum lucrari potuerit. „ Id & nobis placet. Ordinamus proin, „ & volumus, ut creditori interesse a „ tempore moræ compensetur, illique „ quinque pro centum persolvantur. „ Quod si creditori quinque non placue- „ rint, sed ipse existimet, tam ex lu- „ cro cessante, quam damno emergen- „ te se plus posse exigere, licebit ipsi, „ totum suum interesse coram Judice „ probare, & ejus sententiam exspecta- „ re.

Jam ut præfatæ Constitutiones, quoad punctum saltem controversiæ, habeantur etiam in Germanico idiomate, sit

I.

Constitutio Caroli V. 1540.
§. 17. *num.* 8.

Nachdem die widerkauffs Gulden allenthalben in Landen gemein seynd/ so sollen mit hundert Gulden haubtgelts nicht mehr dan fünf gulden jährlicher gulden/ wie gebräuchlich/ gekauft werden/ und die loskündigung der guldverschreibung auf widerkauf/ wie widerkaufs recht ist/ bey dem verkauffer/ und nicht bey dem kauffer stehen/ unangesehen wie dieselbig guldverschreibung gestelt/ und was darüber gegeben/ genommen/ oder gehandlet/ wollen wir/ daß dasselbige/ und alle andere unzimliche pacta oder geding für wucherisch/ und unkräfftig geacht/ gehalten/ und von dem Richter nicht darüber erkennt/ oder geurtheilt/ sondern/ wie oben gemelt/ (de usurariis contractibus) gestraft werden soll.

II.

Recessus Imperii de anno 1577.

In Comitiis Francofurtensibus Rudolphus II. Imperator omnibus Romani Imperii subditis declarat, contractus censuales redimibiles, etiam ex parte emptoris, pro usurariis habendos esse. Titulo 17. §. 9. sic habet:

Und nachdem die widerkaufs gulden allenthalben in Landen gemein seynd/ so sollen mit hundert Gulden haubtgelts nicht mehr dan fünf gulden jährlicher gulden/ wie gebräuchlich/ gekauft werden/ und die loskündigung der guldverschreibung auf widerkauf/ wie widerkaufs recht/ bey dem verkauffer/ und nicht bey dem kauffer stehen; unangesehen/ wie dieselbig guldverschreibung gestelt ist: und was darüber gegeben/ genommen/ oder gehandlet/ wollen wir dasselbige und alle andere unzimmliche pacta oder geding für wucherlich/ und unkräftig geacht/ gehalten/ und von dem Richter darüber nicht erkennt/ oder geurtheilet/ sondern wie obgemelt/ gestraft werden soll.

III.

III.

Receſſus Imperii de anno 1600.

§. 35. Zerners iſt bis anhero im H. Reich nicht austrücklich verſehen geweſen / da der Schuldner ſich ſelbſten obligiert und verbunden / da er in zahlung der iährigen gülden ſich ſäumig erzeigen wurde / alſdan dem glaubiger alſobald die kauff- oder haubt-ſumma neben den gülden wider zu geben / ob ſolcher contract im H. Reich zugelaſſen / und auf ſolchen fall ſtantibus aliis clauſulis executivis Mandata ſine clauſula zu erkennen ſeyn mechten; derenthalben zu verhütung aller künftige daraus erwachſender ungleichheit / haben wir auf vorgehende vergleichung dahin geſchloſſen; Setzen / ordnen / und wollen / das ſolcher contract den im H. Reich üblichen und zugelaſſenen gebräuchen nicht ungemäß / und daß das pretium auf dem fall von dem Verkäuffer per viam executionis und mandato ex illo pacto wider erfordert werden möge.

§. 139. So vil nun diſem nach den zum eingang ietzigen Abſchids angeregten puncten mutui anlangen thuet / haben ſich der Churfürſten / Deputirten Fürſten und Stände anweſende Räthe und Geſanten erinnert / was derentwegen bey gehaltenen Deputations-Tag zu Worms im Jahr achzig ſechs der wenigern zahl fürgangen / unſere damahls anweſende Commiſſarien auch ſich mit ihnen verglichen / daß nemlich in den vorfallen ſtreit / ob nicht in contractibus mutui / damit die partheyen in puncto liquidationis an unſerm Kayſerl. Cammer-Gericht des langweiligen Proceſs enthaben ſeyn möchten; auch ietzt-gemelt Cammer-Gericht damit nicht überladen / ein gewiſſes loco intereſſe a tempore moræ zu ſtatuiren und zu ſetzen / vor billich geachtet worden / wan der ſchuldner in mora reſtituendi pecuniam mutuam iſt / daß er ſeinen glaubiger von derſelben zeit hero (der vermuethung halben / daß der creditor ſein geld von ſolcher zeit an anlegen / und zugelaſſener weis zum wenigſten vor hundert fünf wol haben möge) das intereſſe zu entrichten / und guet zu machen ſchuldig ſeye; welches wir uns auch gnädigiſt alſo gefallen laſſen. So ordnen und wollen wir nachmals / daß ſolches intereſſe a tempore moræ erſtattet / und derentwegen den creditorn fünf gulden von hundert bezahlt werden / oder aber dem creditori ſolche fünf gulden nicht annemblich / ſondern er vermeynen wolte / tam ex lucro ceſſante, quam damno emergente ein mehres zu fordern / daß ihm alsdan ſein ganz intereſſe zu deduciren / gebürlich zu liquidiren und zu beſcheinen / und der Richterlichen erkantnus darüber zu gewarten unbenommen ſeyn ſolle.

Ex his ultimis verbis patet, etiam in caſu, quo lucrum ceſſans, aut damnum emergens excedit rationem quinque ad centum, non licere propria authoritate exigere cenſum majorem, ſed intervenire debere agnitionem judicis.

IV.

Receſſus Imperii de anno 1654.

In Comitiis Ratisbonæ celebratis anno 1654. Tit. Iridens-Executions-Haubt-Receſs. §. 170. Nachdeme auch in dem Iridensſchlus. ſtatuitur 1. ut debitores injuria belli ad impotentiam ſolvendi in parata pecunia redacti non adſtringantur a creditoribus ad reſtitutionem ſummæ principalis intra trien-

nium

nium a die Recessus creditores a præfatis debitoribus exigant restitutionem summæ principalis, his liberum sit, solutionem summæ capitalis præstare intra septennium divisim in septem terminis. 3. Ut ejusmodi debitores de censibus usque ad diem Recessus necdum persolutis non teneantur plus solvere, nisi quartam eorum partem. 4. Ut in posterum major census non constituatur, nisi in ratione quinque ad centum. 5. Ut in casu moræ quoad solutionem censuum statim procedatur ad paratam executionem contra debitorem. 6. Ut debitores solvendo pares ad census persolvendos adstringi possint juxta tenorem datarum a se obligationum; idque etiam in casu census redimibilis.

Ex his omnibus colligitur, quod in hoc Recessu vi §. 170. 172. 173. detur creditoribus actio ad repetendam summam & exigendum censum utrinque redimibilem: quia cum §. 170. 172. & 173. supponatur contractus utrinque redimibilis, & §. 175. detur actio juxta tenorem obligationum, manifeste sequitur permitti actionem ad exigendum etiam censum in contractu censuali utrinque redimibili sine requisitione ullius tituli probandi. Verba Recessus, in quibus plura huc connexa elucidantur, sic habent:

§. 170. Nachdeme auch in dem Friedens-schluß §. de indaganda &c. versehen / daß bey gegenwertigen Reichstag auf billiche weg und mittl gedacht werden solte / wie den ienigen schulderen / welche durch den Krieg oder auch durch all zu grosse auffschwellung der zinsen oder interesse ins verderben kommen / dergestalt geholffen wurde / damit aus denen zwischen ihnen und den glaubigern einkommenen klagen und strittigkeiten nicht neu gefährliche unruhe und weiterung im Reich entstehen möchten; wir auch deme zu folg so wohl von unserem gehorsamsten Reichs-Hof-Rath als unseren Kayserlichen Cammer-Gericht darüber zwey auffürliche gutachten einholen / und solche denen anwesenden Churfürsten und Ständen / und der abwesenden Räthen Bottschafften und Gesanten zu ihren weitern gutbefinden gnädiglich communiciren lassen: So haben ermelte Stände disen punct samt allen mit einkauffenden umständen in den drey Reichs-Räthen reiflich überlegt / und uns mit einen gesambten Reichs-bedencken wider vorgebracht / darauf wir uns dan nach der sachen fernere erwegung folgender Reichs-satzung und ordnung zu der allgemeinen wollfart / sodann der glaubiger und schuldner besserer versicherung / und damit man beyderseits in frid / ruhe und einigkeit bey einander stehen und bleiben möge / entschlossen.

§. 171. Setzen demnach / ordnen und wollen / daß erstlichen unter dise Satzung allein die durch den Krieg von mittln gekommene / oder durch hohe auswachsung der pensionen und zinsen beschwerte schuldiger gezogen worden: die ienige aber / bey welchen es solche beschaffenheit nicht hat / sondern die ihren creditoribus mit raichung der pensionen oder zinsen zuehalten können; so wohl auch die / so zwar das ihrige unter dem Kriegs-wesen mit anderen gelitten und hergetragen / dannoch aber solvendo gebliben / und derowegen ihre debitores nach innhalt deren von sich gegebenen obligationen zu befridigen von rechtswegen verbunden / darunter in geringsten nicht begriffen seyn können / oder sollen. Zum zweyten; dem ienigen ebenmässig nachgelebt werden solle / was Chur-Fürsten / und Stände in ihren Territoriis nach deren ihnen am besten bekannten sachen zuestand und erlittenen Kriegs-schäden / wie es in credit-sachen unter ihren

Un-

Unterthanen und Burgern zu halten allbereit verordnet / und nach anleitung folgender Regulen weiter verordnen mögten. Zum dritten; daß alle creditores und debitores in diser Constitution auf ihr christliches gewissen ernstlich und beweglich erinnert / und ermahnt werden sollen / damit sie beyderseits vor allen dingen dahin sehen / daß sie nach gestalter möglich- und billigkeit / und mit derselber redlicher gueter beobachtung sich mit einander in der güete setzen / und vergleichen; in unverhoffter entstehung aber solche güete alsdan der Richter in entscheidung der sachen auf diese unsere Constitution das ansehen haben / und derselben beständig nachkommen solle.

§. 172. So vil nun die capitalia anlangt / sollen erstlichen dieselbe einen ieden creditori unversehrt / und ohne einige abkürzung richtig verbleiben / und hierwider keine præscription oder verjährung wegen der bey wehrenden Krieg unterlassener forderung der zinsen oder capital angezogen werden / noch gelten. Jedoch fürs andere / von denen creditoribus die sonst aufbündliche capitalia vor drey Jahren a dato dises Reichs-Abschieds nicht aufgekündt werden solten. Als aber drittens / ein creditor nach verflüessung erstgemelter drey Jahren solche aufkündung thäte / soll dem debitori in den nächst darauf folgenden sieben Jahren frey stehen und zugelassen seyn / die capital summam particulariter und auf gewisse / nachdem die summa groß oder klein ist / proportionierte billigmässige zwey / drey / vier / fünf / sechs / oder zum höchsten siben termin mit paaren geld; oder auf den fall er viertens / bey disen geldklemmen zeiten keine paare mittel hätte / noch erlangen könte / durch dargebung anderer beweg- und unbeweglicher güter an statt paarer bezahlung (iedoch daß dem creditori die wall nach besag gemeiner Rechten frey stehe) auf deroselben vorhergehende zwischen den vorigen und gegenwärtigen zeiten auf das mittel gestellte billige schatzung abzulegen / der creditor aber solche anzunehmen schuldig seyn. Wäre es aber / daß fünftens / der debitor in solchen stand begriffen / oder darein geriethe / daß er das seinige nur muethwillig verzerte / oder seinen sachen also schlecht vorstunde / daß keine hoffnung zur besserung und seinen aufnehmen vorhanden / so soll er erstbesagtes beneficii der particular bezahlung und des anstands der zeit nicht zu geniessen haben / es wäre dan / daß er auf andere weg dem bey solcher bewantnus in gefahr stehenden creditori genugsame caution leisten wurde. Wan auch sechstens / der creditor vor sich und die seinige keine unterhalt oder rettungs-mittel hätte / solle ebenmässig demselben dise das capital concernierende verordnung iedoch salvo Judicis arbitrio nicht im weg stehen. Sibentens / wegen denen unter wehrenden Krieg abgepresten obligationen soll es bey der verordnung des Instrumenti Pacis gelassen werden.

§. 173. Die verflossene und noch unbezahlte pensiones oder zinsen betreffend / soll erstlich aus verschidenen ins mittl gebrachten vorschlägen und remediis generaliter nach diser zeiten und des Römischen Reichs / wie auch der creditorn und debitorn reifflich erwogenen zuestand hiermit aller aufstand der zinsen und interesse bis auf dato dises Reichs-Abschids bis auf den vierten theil gänzlich cassiert und aufgehoben; iedoch hiebey dem schuldiger / welchen auch dises bezahlende ein viertheil

abzu-

abzutragen unmöglich seyn solte / sein unvermögen gehöriger massen zu probiren vorbehalten. Zweytens wird aus erstgedachten ursachen / und damit dem debitori keine unmöglichkeit aufgebürdet / dem creditori aber ins künftige eine mögliche gewißheit verschaffet werde / vor guet angesehen / daß besagter von den cassierten zinsen überbleibender ein viertheil nach zehen / a dato dises Reichs-Abschids anfangenden Jahren dergestalt bezalt werde / daß iedes Jahr neben einen current auch ein altes zihl unfelbar erlegt / und solches von Jahren zu Jahren / so lang biß der ganze rückstand des aufgesetzten vierten theils völlig abgetilget seye / ununterbrüchlich continuiret werden soll. So fern aber drittens obberürter massen das capital vor abfliessung diser zehen Jahren abgestattet seyn wurde / so solle der schuldiger das residuum dises ein viertheil innerhalb den nechstfolgenden drey oder vier Jahren zu bezahlen gehalten / der creditor aber die in handen habende original-verschreibung nicht ehender aus handen und von sich zu geben schuldig seyn / bis ihm die schuldige zinsen ebenmässig vor voll erlegt worden.

§. 174. Anreichend die künftige zins und interesse, sollen von nun an die selbe / sie seyen aus widerkäufflichen zinsen / oder vorgestreckten anlehen herrürig und versprochen / iedoch nach aufweisung der Reichs-Constitutionen / und weiter nicht als fünf per cento alle und iede Jahre in verglichenen terminen unfelbar bezahlet / und im fall des saumsals auf blosse vorzeigung der obligation per paratam executionem wider den schuldiger verfahren werde. Damit aber gleichwol durch obgesetzte Regulas die schrancken der billigkeit nicht überschritten / und in richtigen sachen alle verwirrung und weitlauffigkeit verhüetet werde / so wird darvon ausgenommen 1. was zwischen den glaubiger und schuldiger allbereit verglichen ist / bey deme es billich sein verbleiben hat; es wäre dan / daß der debitor erweisen könte / daß er erst nach dem getroffenen vergleich durch das Kriegs-wesen ins verderben gerathen seye. 2. Die vollzogne urthl / und vollstuerte executiones. 3. Was an capital oder zinsen allschon bezahlt ist. 4. Was in den Kriegs-läuffen zu Ranzion, Brandschätzung / und rettung leibs / lebens / häuser / und güeter / auch abtragung der satisfactions-gelder erborget worden; und sollen die dargegen habende widersprüch und gegenabreitung auf das gemeine Recht gestelt seyn. 5. was zu erkauff oder wideraufbauung der verwüestung anietzo wider in esse stehenden und immittels genossener güeter aufgelichen worden. 6. was ein Fideijussor oder ein Expromissor für einen anderen allbereit hat bezahlen müssen / oder noch künftig ausser des Reichs / wo dise Constitutio nicht bindig / bezalen muß; so vil aber das Interesse von dem was er aufgelegt haben mag / belanget / und er zu forderen vermeynen möchte / solle es damit gehalten werden / wie oben von denen zinsen versehen. Und wie es 7. in causis piis & privilegiatis zu halten / ad judicis arbitrium verwisen seyn.

§. 175. Diser unserer bißher gesetzter verordnung soll allerdings nachgegangen / und darüber steiff und vest gehalten werden / ungehindert aller hiebevor ertheilten Moratorien; wir wollen auch ins künftige keine andere Moratorien diser allgemeiner Reichs-verordnung zu entgegen nicht ausgehen noch ertheilen lassen.

Ex

Ex his ergo patet, in Romano Imperio tolerari cenſum utrinque redimibilem ab anno 1654. ſolennique Conſtitutione admitti in Tribunalibus. Ut autem exteris nationibus de hac Conſtitutione conſtet, ſubſtantiam ejus contentam §. 172. & §. 173. latine ſic reddo.

§. 172. Quod attinet capitalia, ea cuilibet creditori integra permaneant; nec habeat locum præſcriptio, ſi tempore belli omiſſa fuerit exactio cenſuum aut ſummæ capitalis. Attamen capitalia alioquin redimibilia non poſſint repeti ante tres annos a dato præſentis Conſtitutionis. Quod ſi creditor poſt triennium ſuum capitale repetat, debitori liberum ſit, ſummam capitalem ſolvendi per ſequens ſeptennium in duobus, tribus, quatuor, quinque, ſex, vel ad ſummum ſeptem terminis, prout proportione ad quantitatem ſummæ ſpectata æquum fuerit &c.

§. 173. Cenſus uſque in præſens nondum ſoluti, conſiderata conditione creditorum & debitorum, annullentur ac pro indebitis habeantur uſque ad quartam eorundem cenſuum partem. Debitori tamen incumbat, ut cogatur probare ſuam ſolvendi impotentiam. Ut vero & creditori conſulatur, volumus, ut intra decennium eidem præter cenſum annuum currentem etiam pars præfatæ quartæ partis cenſuum reſtantium ſimul a debitore ſingulis annis perſolvatur. Nec teneatur creditor obligationem debitori reſtituere, niſi reſtantes cenſus ipſi integre perſoluti ſint.

§. 174. Quod attinet cenſus in futurum perſolvendos, ſive fuerint promiſſi ex cenſibus redimibilibus, ſive ex commodatis pecuniis (vorgeſtreckten anlehen) illi juxta Conſtitutiones Imperii non ſolvantur majores, niſi in ratione quinque pro centum.

§. XXIII.

Utrum in Jure Bavarico poſitive approbentur contractus cenſuales perſonales utrinque redimibiles.

Dico. Ejuſmodi contractus in Jure Bavarico ad initium ſæculi decimi ſeptimi edito nec generaliter approbantur, nec generaliter improbantur, ſed tolerantur, & cujuſvis conſcientiæ relinquuntur.

Probatur 1. Quia non poteſt e toto Jure Bavarico proferri textus, in quo hi contractus generaliter approbentur, vel improbentur. Quamvis enim in Jure Bavarico fuſe agatur de mutuo, fidejuſſione, pignore, uſura & uſurariis contractibus, ac de ſubhaſtatione, nullibi tamen cenſus utrinque redimibilis improbatur, aut poſitive approbatur.

Dices 1. In Jure Bavarico conceditur creditori facultas non ſolum repetendi ſortem, ſed etiam Intereſſe; ergo poſitive approbantur contractus cenſuales utrinque redimibiles.

Reſpondeo. Non eſſe evidens, per *Intereſſe* intelligi in Jure Bavarico aliud, quam titulum *lucri ceſſantis* vel *damni emergentis*, ſaltem præſumptum; eo videlicet modo, quo etiam intelligitur in Jure Cæſareo, dum conceditur anno 1600. creditori actio adverſus debitorem moroſum ad exigendum cenſum a die moræ reſtituendi pecuniam mutuam. Itaque ceſſante omni titulo præſumpto non eſt evidens a Jure Bavarico approbari cenſum.

Dices 2. Dum Jus Bavaricum *lib.* 2. *art.* 3. Lands-Ordnung permittit creditoribus, ut illis in poſterum liceat emere cenſus pecuniarios redimibiles, non vero cenſus frumentarios redimibiles, id non reſtringit ad cenſus pecuniarios redimibiles ex parte ſolius venditoris. Ergo poſitive approbat cenſus pecuniarios redimibiles etiam pro arbitrio emptoris.

Reſpondeo. Eo loco potuiſſe a Jure Bava-

Bavarico solum prohiberi census frumentarios redimibiles ex parte venditoris, ob periculum videlicet palliandi usuras, quin per hoc necessario debuerint approbari census pecuniarii redimibiles etiam ex parte emptoris.

Dices 3. Praxis, authentica interpres legum, ostendit, eo tempore, quo prodiit Jus Bavaricum, jam publice conscriptos fuisse contractus censuarios personales utrinque redimibiles. Jus enim Bavaricum recens, de quo agitur, jussu Maximiliani I. conscriptum, prodiit anno 1617. & ex §. 2. patet, anno 1623. jam fuisse celebratos solemniter contractus censuales personales utrinque redimibiles.

Respondeo. Ex hoc solum evinci, ejusmodi contractus fuisse toleratos, ac cujusvis conscientiæ relictos; eo quod tribunalia quidem universim præsumant titulum particularem lucri cessantis, damni emergentis, vel periculi sortis; cæterum an præsumptio tituli nitatur veritate, relinquunt cujuslibet creditoris conscientiæ. Ea tribunalium legislatoris, & legum mens desumitur ex principiis legis naturalis, adductis §. 5. quia mens legum semper ea est, quæ debet esse. Itaque crediderim, Jus Bavaricum dedita opera voluisse abstrahere a clausula Caroli V. anno 1548. & Rudolphi II. anno 1577. contractibus censualibus apposita, quia voluit creditorum conscientiæ relinquere, an concurrat titulus particularis; aut certe, quia noluit præjudicare authorum litigantium sententiæ.

§. XXIV.

Utrum usuræ fuerint concessæ & positive approbatæ per Imperatores, etiam Christianos?

NOtandum, triplici modo aliqua concedi, prout recte observat Conradus tract. 2. quæst. 22. Concluſ. 7.

Nam *primo modo concessio* idem est, ac *non punitio*. Hoc modo ille dicitur aliquid concedere, quamvis sit malum, qui illud non punit. Talis concessio dicitur alio nomine *permissio simplex*. To *simplex* propterea additur, quia tantum pœna indulgetur, non culpa minuitur in illo, qui operatur taliter permissum. Dici etiam potest *tolerantia*, juxta illud: Nonnullos toleramus, *quos corrigere vel punire non possumus* 32. q. 7. c. *quod autem*. Et 31. q. 1. c. *hac ratione* dicitur: *Quod permittimus, nolentes præcipimus*, id est, permittimus, quia malas hominum voluntates ad plenum prohibere non possumus. Potest etiam dici *dissimulatio*. Hoc modo Deus multa mala concedit pro præsenti vita, quia hic ea non punit, licet in futuro puniturus sit.

Secundo modo concessio sumitur, prout duo involvit; nempe *non punitionem & prohibitionem impeditionis*. Hoc modo Ecclesia Judæis concedit observantiam cæremonialium V. T. quæ utique est peccatum mortale, quia non punit eos pro hoc peccato, & Christianis prohibet, ne judæos molestent aut impediant in exercitio illius peccati, prout patet ex c. *qui sincera*, dist. 45.

Tertio modo concessio sumitur, prout tria involvit; videlicet *non punitionem, prohibitionem impeditionis, & promotionem*, præbendo auxilium, favorem &c. Hoc modo Ecclesia concedit, Clericum occidi a sæculari potestate pro variis criminibus, v. g. pro hæresi, quia non solum occisores non punit, nec solum impedire volentes prohibet, sed etiam Clericum eo fine degradat, & tradit sæculari potestati, quamvis id non faciat intentione & ex motivo obtinendi mortem, sed obtinendi salutem populi ne seducatur, ob quod & judicem sæcularem pro degradato orat, ut eum citra mortem puniat. Quidquid tamen sit de hoc exemplo: Hæc tertia acceptio manifestius declarari potest ipso exemplo usuræ, nam non solum in ff. nulla habetur lex pœnam statuens in usurarios, sed etiam mutuatarii adstringuntur ad solvendas usuras, adeoque illi, qui vellent impedire exactionem usurarum, prohibentur. Denique & usurariis darur

actio

actio in judicio ad exactionem uſurarum, adeoque uſurarii juvantur ad conſequendas uſuras.

Notandum 2. Uſuras tempore veterum Romanorum ſolutas fuiſſe ſingulis menſibus; & quidem varias. Aliquando enim ſolvebatur *Centeſima*, videlicet reſpective ad totam ſummam; quo modo intra annum pro centum florenis mutuis cenſus annuus ſolvebatur *duodecim* florenorum. Aliquando pro uſura ſolvebatur *ſemiſſis*, id eſt, dimidium centeſimæ, quo modo cenſus annuus pro centum argenteis conſiſtebat *in ſex* argenteis. Aliquando pro uſura pendebatur *Beſſis*, id eſt, duæ tertiæ partes centeſimæ, quo modo annuus cenſus pro centum argenteis conſiſtebat in *octo* argenteis. Aliqui ultra Centeſimam vel aliam uſuram legibus permiſſam etiam exigebant *ſiliquam* ſeu *ſportulam*, id eſt, honorarium conſiſtens in rebus comeſtibilibus, v. g. in piſcibus, quod a mutuatario præſtabatur creditori, & ejus familiæ. Aliæ uſuræ vocabantur *quincunces*, in quibus per annum cenſus annuus pendebatur vigeſima pars ſortis adeoque quinque pro centum. Denique moderatiſſima uſura erat *triens*, ſeu *tertia pars* centeſimæ, *ſiliqua* dicta, quo modo pro centum argenteis per annum ſolvebantur quatuor argentei; quæ omnia male explicat Conradus, dum Tr. 2. q. 22. Concl. 9. putat, centeſima intelligi cenſum annuum æqualem ſorti, ob quam malam ſuppoſitionem non eſt mirum, quod ejuſmodi authores exiſtimaverint, veteres uſuras repugnare juri naturali. Quod autem per *centeſimam* intelligatur centeſima pars totius ſummæ ſingulis menſibus ſolvenda, aperte conſtat ex D. Ambroſio l. de Tobia c. 7. 9. 12. & ex D. Chryſologo Serm. 25. *De cura temporalium deſpicienda.*

His prænotatis

Dico 1. Imperatores gentiles uſque ad tempora Conſtantini Magni poſitive approbarunt uſuram Centeſimæ menſtruæ, utpote concedentes uſurariis actionem, & laudem; & imponentes tutoribus aliiſque perſonis ſic mutuandi neceſſitatem.

Id probo ex variis Legibus Codicis & Digeſtorum.

1. Antoninus Pius circa annum 160. *Cap. De uſuris* ſtatuit: „ Si promiſſio „ uſurarum recte facta probetur, licet „ inſtrumento conſcripta non ſit, tamen „ optimo jure debentur.

2. Imperatores Severus & Antoninus: „ Uſuras emptor cui poſſeſſio rei tradita eſt, ſi pretium venditori non „ obtulerit, æquitatis ratione præſtare cogitur.

3. Idem l. cc. „ Per retentionem pignoris uſuras ſervari poſſe, de quibus „ præſtandis convenit, merito conſtitutum eſt.

4. Imperator Philippus circa annum 250. „ Si ea lege tua mater poſſeſſionem apud creditorem ſuum obligavit, ut fructus in vicem uſurarum „ conſequeretur, obtentu majoris percepti emolumenti propter incertum „ fructuum eventum reſcindi placita non „ poſſunt.

5. Idem lib. 24. „ Si mater tua negotia tua, quæ ad te pertinent, geſſerit; cum omnem diligentiam præſtare debeat, uſuras pecuniæ tuæ, „ quam adminiſtraſſe fuerit comprobata, „ præſtare compelli poteſt.

6. In digeſtis l. 22. De uſuris lib. 1. Ulpianus dicit: „ Circa tutelæ reſtitutionem pro favore pupillorum latior „ interpretatio facta eſt; nemo enim „ ambigit, in eum diem, quo (tutor „ tutelam) reſtituit, uſuras præſtari.

7. Ibid. l. 30. „ Etiam ex nudo pacto debentur civitatibus uſuræ creditarum ab eis pecuniarum: & l. 33. „ Si bene collocatæ ſunt pecuniæ publicæ, in ſortem inquietari non debent debitores, & maxime ſi parient „ uſuras.

8. Ibid. l. 34. „ Uſuræ vicem fructuum obtinent, & merito non debent „ a fructibus ſeparari; & ita in legatis, & fideicommiſſis, & in tutelæ „ actione, & in cæteris judiciis bonæ „ fidei ſervatur.

9. Ibid. l. 11. „ Gajus, qui rem publicam gerebat, fœneravit pecuniam

„ pu-

„ publicam sub usuris solitis : fuit autem consuetudo, ut intra certa tempora non illatis usuris graviores infligerentur. -- Respondi, si Gajus a debitoribus usuras stipulatus esset, eas solas Reipublicæ præstari oportere, quæ secundum formam ab his exigi solent. Quid si servus publicus obligationem usurarum Reipublicæ acquisit? æquum est, quamvis ipso jure usuræ Reipublicæ debeantur, compensationem usurarum fieri &c.

Ibid. lib. 17. n. 7. „ Eos qui ex administratione rerum Civitatum conveniuntur, usuris obnoxios esse, satis notum est. Idem observatur in operum curatoribus, si pecunia apud eos remansit.

Ex his omnibus legibus & declarationibus legum, quæ omnes scriptæ sunt ante Constantinum M. satis colligitur, usuras non solum toleratas, sed etiam positive approbatas fuisse. Quod enim ipsa Respublica ex suis pecuniis publicis facit, utique non ut malum tolerat, sed ut bonum approbat. Dein quod dicitur *recte factum, merito factum, jure optimo factum, æquitatis ratione actum*, factum quod authoritate imperatoria *rescindi non potest*, factum ad quod compelluntur *tutores* & *administratores*, &c. utique positive approbatur; nemo enim compellitur ad id, quod ut malum præcise toleratur. Usuræ autem excedentes centesimam mensruam, quæ in legibus Romanis Codicis & Digestorum vocantur *illicitæ*, debent dici præcise toleratæ; quia licet fuerint prohibitæ, aut tanquam *illicitæ* declaratæ, nulla tamen in eas constituta est pœna.

Dico 2. Christiani Imperatores a tempore Constantini M. usque ad Justinianum illas immoderatas usuras Centesimæ mensruæ nulla lege positive approbarunt, sed tantum tolerarunt.

Probatur partim ex eo, quia nulla illorum lex usurarum approbativa ostendi potest; partim ex lege Constantini M. qua provide solum declarat, licite a mutuatario solvi & promitti posse usuras, abstrahendo, an licite accipi possint; lex c. l. 4. Tit. 32. l. 25. sic habet: *Pro auro, & argento, & veste facto chirographo licitas solvi vel promitti usuras jussimus.*

Dico 3. Justinianus Imperator usuras prius consuetas immodicas ad præsentem, quæ nunc in censu personali germanico viget, moderationem reduxit.

Probatur ex ejus verbis. C. de Usuris l. cc. l. 26. sic habet: „ Super usurarum quantitate etiam generalem „ sanctionem facere necessarium duximus, veterem & gravissimam earum „ molem ad mediocritatem deducentes. „ Ideoque jubemus illustribus quidem personis, sive eas præcedentibus minime „ licere ultra tertiam partem centesimæ „ usurarum nomine in quocunque contractu vili vel maximo stipulari. Illos vero, qui ergasteriis præsunt (trapezitæ, argentarii, institores) vel „ aliquam licitam negotiationem gerunt, „ usque ad bessem centesimæ usurarum „ nomine in quocunque contractu suam „ stipulationem moderari. In trajectitiis autem contractibus, vel specierum fœnori dationibus, usque ad centesimam tantummodo licere stipulari, nec eam excedere licet veteribus „ legibus (quoad trajectitias ultra mare) hoc erat concessum. Cæteros autem homines omnes dimidiam tantummodo centesimæ usurarum nomine posse stipulari, & eam quantitatem usurarum etiam in aliis omnibus „ casibus nullo modo ampliari, in quibus citra stipulationem exigi usuræ solent: nec liceat judici memoratam „ augere taxationem occasione consuetudinis in regione obtinentis.

Idem *Novella* 34. sic statuit: „ Rem „ duram atque inhumanam & quæ ultra omnem impietatem & avaritiam „ fit, perspeximus lege saluberrima sanare, & communem omnibus deponere medicinam, non tantum in præsentis necessitatis tempore, sed etiam „ in omni ævo futuro. Venit enim ad „ nostras aures, quosdam, avare temporum necessitate captata, fœneratorios fecisse contractus, & paucam

„ men-

„ menſuram dantes, terrulas eorum ab-
„ ſtraxiſſe, & ex hac cauſa quoſdam
„ colonorum fugæ latebras petiiſſe, alios
„ fame eſſe necatos, & triſtiſſimam pe-
„ ſtem homines invaſiſſe, incurſione
„ barbarica non minorem. Sancimus ita-
„ que, omnes hujuſmodi creditores,
„ quantumcunque vel tritici, vel hor-
„ dei, vel in alia ſpecie, quæ in fru-
„ ctibus aridis eſt, dederint, hoc red-
„ dito in præſenti cum parte modii o-
„ ctava per ſingulos modios in unoquo-
„ que anno præſtanda, terrulas colonis
„ reſtituere. Sin autem pecunias dedit,
„ nihil amplius quam ſiliquam unam
„ id eſt quatuor pro centum, prout ex-
„ plicatur in Novella 83. Imperatoris
„ Leonis pro ſingulo ſolido annuam præ-
„ ſtare. Et hanc ſaluberrimam legem
„ in omnes extendimus, in præſenti
„ quidem tempore initium accipientem,
„ in omne autem ævum modis omni-
„ bus obſervandam, ut ſi quando fue-
„ rit vel triticum vel hordeum fœnera-
„ tum, vel alii aridi fructus, creditores
„ tam quod dederunt accipientes, quam
„ pro uſuris octavam modii partem an-
„ nuam pro ſingulis modiis, vel ſiliquam
„ pro ſingulo ſolido ſecundum hunc mo-
„ dum, in quantum fœnus permanſe-
„ rit, percipientes. -- Et hæc lex com-
„ munis omnibus ſit, humanitate &
„ pietate gaudens, neque non omnibus
„ egenis conſulens, & creditoribus me-
„ diocre ſolatium afferens.

Hæc Juſtiniani verba oſtendunt, leges circa uſuras moderatas non reprobari, ſed potius ut *humanas* & *pias* approbari.

Dico 4. Conceſſio ſaltem permiſſiva uſurarum moderatarum in ratione quatuor pro centum fuit a Leone Imperatore, qui obiit anno 911., tanquam neceſſaria Reipublicæ æſtimata; ſed uſuræ ipſæ tantum fuerunt toleratæ.

Probatur ex Novella ejus 83., quæ ſic habet: „ Si a ſpiritus legibus ita ſe
„ mortale genus regi ſineret, ut huma-
„ nis præceptis nihil indigeret, id ve-
„ ro & decorum & ſalutare eſſet; at
„ quoniam ſe ad ſpiritus ſublimitatem
„ elevare, divinæque legis vocem am-
„ plecti non cujuſque eſt; ac vero quos
„ huc virtus ducat, numero valde pau-
„ ci ſunt: bene ſeſe adhuc res haberet,
„ ſi ſaltem ſecundum leges humanas vi-
„ veretur. Quæ vocantur pecuniæ cre-
„ ditæ uſuræ, ubique a ſpiritus decre-
„ to condemnantur. Id ſciens pater no-
„ ſter, (Baſilius Imperator,) æternæ
„ memoriæ princeps, uſurarum ſolutio-
„ nem ſanctione ſua prohibendam puta-
„ vit. At qui propter paupertatem res
„ illas non in melius, quem tamen fi-
„ nem legislator propoſuerat, ſed con-
„ tra in pejus vergit. Qui enim antea
„ uſurarum ſpe ad mutuandam pecuniam
„ prompti fuerant, poſt latam legem,
„ quod nihil lucri ex mutuo percipere
„ poſſint, in eos, qui pecuniis indi-
„ gent, difficiles atque immites ſunt.
„ Quin etiam ad facile jurandum quod-
„ que id fere conſequitur, ad jusjuran-
„ dum abnegandum id occaſionem præ-
„ buit. Breviter, propter redundantem
„ in humana vita perverſitatem non mo-
„ do non profuit legis virtus, verum
„ etiam obfuit. Quanquam igitur le-
„ gem ex ſe culpare nequeamus; pro-
„ pterea tamen, quod humana natura,
„ quomodo diximus, ad illius ſublimi-
„ tatem non perveniat, egregium illud
„ præſcriptum abrogamus, ac in con-
„ trarium ſtatuimus, ut æris alieni uſus
„ ad uſuras procedat, idque quomodo
„ veteribus Legislatoribus placuit, ad
„ trientes centeſimæ nempe, quæ quot-
„ annis in ſingulos ſolidos ſingulas fœ-
„ neratoribus ſiliquas pariunt.

Dico 5. Imperatores Chriſtiani uſuras nec generaliter approbarunt, nec generaliter rejecerunt. Non approbarunt pro caſu, quo ad mutuandum gratis obligat lex charitatis; non rejecerunt, ſed poſitive approbarunt pro caſu, quo, non urgente lege charitatis ad mutuandum gratis, periculum mutui relinquitur in creditore, ſicque eoipſo tranſit in naturam contractus cenſualis, vel quo emitur redditus perſonalis. Ex quo proin concordari poſſunt Juſtinianus & Leo Imperatores. Ille enim permiſit cenſum

cum titulo, seu usuram compensatoriam periculi, lucri, damni. Iste vero prohibuit usuram lucratoriam, seu censum sine titulo.

Probatur ex Novella 72. Justiniani, ubi tutores & curatores obligantur ad mutuandam pecuniam pupilli aut minoris, ita tamen, ut periculum mutui maneat in tutore vel curatore, per quam clausulam mutuum formalissime a significatione generali transfertur ad significatum census personalis. Verba Justiniani, cujus menti quoad intentionem legalem conformes esse possunt ac debent dispositiones Constantini M., Leonis, aliorumque Imperatorum Christianorum, sic habent: „ Omnia quidem „ legislatori reipublicæ in magna cura „ sunt, quemadmodum optime se habeant, & peccati nihil relinquatur; „ præcipue autem instrumenta Minorum, „ & quæ circa eos curatio est, studiosa cura est eis, qui proferendi leges „ a Deo licentiam acceperunt. -- cap. „ 6. Quoniam autem videmus, curatores, quicunque Dei memoriam habent ad curam difficulter accedere -- „ videmus autem præcipue difficilem esse curatorum causam propter fœneratorum necessitatem; sancimus, nullam „ necessitatem ex legibus esse curatoribus, Minorum pecunias fœnerare, „ sed caute reponere & reservare; quoniam melius est eis, in antiquis tutamen manere, quam usurarum appetitione etiam antiqua pecunia cadere, & periclitari quidem curatorem, „ si non mutuaverit, rursus autem, si „ mutuaverit, periculum sustinere, facto forsan in debitis detrimento. Si „ vero ipse sponte mutuare voluerit, sub „ obligatione forte pignorum, aut sub „ aliis, quæ putantur indubitatæ, cautelis, tunc habeat quidem duorum „ mensium (pro deliberatione, an mutuare velit aut possit) per singulos „ annos inducias; sciat autem mutui periculum omnino ad se venturum.

In hoc textu supponit Imperator, mutui periculum per se incumbere creditori, nempe in hoc casu Minori; si enim incumberet soli debitori, & pignora adsunt, non videtur tam urgens ratio, cur periculum transferatur in curatorem. Observo etiam, Imperatorem difficultatem non constituere in eo, quod curatores teneantur dare ad usuram, sed quod teneantur subire periculum, sive mutuent, sive non mutuent; hoc enim posteriore casu ipsi tenebantur Minori solvere usuras.

Ibidem cap. 7. dicitur: „ Si vero habeas sufficientes redditus, is, cujus cura administratur, eos expendat. Si vero plus sint, quam sufficiat; quod plus „ est, reponat. Quodsi forte mobilis „ ejus, cujus cura administratur, substantia est, tunc illud solum mutuare curator cogatur, quantum ad dispensationem sufficiet adolescenti, ejusque rebus; quod vero plus est, „ caute recondatur; licebit autem ei „ cum omni subtilitate perscrutari, si „ aliquos forsan caute invenire potuerit „ redditus & comparare Minori ex abundantibus pecuniis, modicis functionibus publicis obligatos; venditorem vero habentes idoneum, & opulentos redditus existentes. Damus „ enim ei licentiam & hoc agere, scienti, quia si quid horum neglexerit hujus *emptionis* ipsum respiciet periculum.

In hoc textu Imperator mihi sat clare videtur dare licentiam, emendi censum personalem utrinque redimibilem; si enim sermo esset de redditu ex Cassa reipublicæ, non adderet, venditorem habentes idoneum; & si sermo esset de redditu seu censu irredimibili, non foret ea dispositio in favorem sed in præjudicium Minorum. Id etiam confirmatur ex hoc, quod in venditore census requirat redditus abundantes, ne videlicet Minor periclitetur de censu, quæ conditio non fuisset necessaria, si loqueretur de censu ex bonis communibus reipublicæ, aut ærarii publici. Quod vero dicit, *modicis functionibus publicis obligatos*, iterum cavet securitati Minorum, quia securissimi sunt redditus personales constituti in Officialibus reipubli-

cæ,

cæ, iiſque non valde potentibus; nam cenſuiſta ſemper recurſum habet ad rempublicam, cui Officialis ſervit, ut reſervetur ſalarium; & non laborat periculo ex ſui debitoris potentia.

Ibid. cap. 8. Dicitur: „ Si vero tantum ſolummodo ſit Minoris aurum cujus uſuræ vix eum & qui ejus ſunt paſcere, & aliquam aliam ei præbere vitæ diſpenſationem ſufficiant, tunc neceſſitatis ratio nos etiam ad hoc vocat, ut curatores reſpicientes ad Deum ita faciant gubernationem tanquam in ſuis rebus.

Ex hoc & præcedente textu colligitur, quod Curatores etiam fuerint obligati ad mutuandas Minoris pecunias, aut comparandos redditus, ſeu, ut dixi, cenſus perſonales, ſi Minor cum ſuis alioquin non habuit congruam ſuſtentationem; ex quo præterea ſequitur, uſuras moderatas, late dictas illas videlicet, in quibus periculum mutui ſimul relinquitur in creditore, inquantum effective in æſtimatione morali ferme coincidunt cum cenſu perſonali uſitato in Germania, non fuiſſe habitas pro illicitis, ſed eas fuiſſe poſitive approbatas. Hinc

Dico 6. Imperator Juſtinianus poſitive approbavit contractum cenſualem perſonalem utrinque redimibilem ſub titulo *mutui* late ſumpti *remanente ejus periculo in creditore*, aut ſub titulo *emptionis reddituum perſonalium*. Patet ex Concluſionis præcedentis probatione; quia Imperator obligat curatores ad mutuandum aut comparandos redditus perſonales, ſi Minor alias non habeat congruam ſuſtentationem.

Quod autem Juſtinianus creditoribus imponat periculum mutui, confirmatur ex eo, quia prohibet, debitores, ſi non ſint ſolvendo ſine ſua culpa compelli ad ceſſionem bonorum infra competentiam ſtatus, quo caſu creditores non habebant amplius jus ad recuperandum ſuum mutuum, niſi debitor de novo venerit ad pinguiorem fortunam v. g. per hæreditatem, donationem, negotiationem, quod rarum erat. Auth. coll. 9. tit. 19. Ne quis cogatur bonis cedere ſic habet: „ Quibus rebus divinum a nobis Numen placari prohibetur, ea inter ſubditos jugiter incrementum accipere contendimus, zolarius cum lachrimis nos edocuit, quod cum pecuniarum publicarum pariter & privatarum nomine convenietur a provinciæ præſide, per contumeliam (factum ſit, ut non liceret ei res proprias perſequi ad retinendam competentiam ſtatus:) id quod injuſtiſſimum habetur. Ubi enim locorum juſtum eſt, ut is, qui in univerſum ex accidenti, non ſupina negligentia res ſuas amiſiſſe traditus eſſet, denuo per vim ad ignominioſam vitam tranſponatur, & ad quotidiani victus, neque non, ut licet conjicere, amictus corporis inopiam redigatur. ---- Cupientes id corrigere ſancimus, ut nemini Magiſtratuum liceat rei cauſa ceſſionis bonorum neceſſitatem alicui eorum inferre, qui de prædictis cauſis propter pecunias publicas forte, aut etiam privatas judicium ſuſtinent; jusjurandum tamen præbeat, quod nullam rerum cauſa occaſionem, aut rerum reliquum habeat, unde æris alieni ſupplementum faciat. Præterea ſi qua ipſi jura lex vel ex hæreditate vel ex cognatorum donatione in rebus mobilibus præſtet, in quarum poſſeſſione nondum conſtitutus ſit, poſſint creditores vel partem ex iis, vel etiam totum colligere, extra tamen res uxoris, creditoribuſque hujuſmodi actionum vindicandi, & in perſonam ejus, qui aliquando jurium futurus ſit Dominus, actiones inſtituendi, licentia ſit.

Idem confirmatur ex Novella 106. Juſtiniani *de uſuris nauticis*, ubi permittitur uſura limitata in ratione 10 aut 12 pro centum, attamen ſub conditione, ut creditores in ſe ſimul recipiant periculum mercium, vel navium; nec uſuras exigant, niſi *naves redierint ſalvæ*. „ Audivimus -- varios eſſe modos talium mutuorum (trajectitiorum) & ſiquidem placuerit creditoribus, habere

„ hunc pecuniarum quas crediderunt fructum, & inſuper etiam pro decem „ aureis unum percipere ſolidum pro uſuris; in ipſos autem creditores reſpicere ex eventibus periculum. Si „ vero non erumpant hanc viam creditores, octavam percipere partem pro „ ſingulis ſolidis nomine uſurarum, non „ in tempus aliquod certum numerandum, ſed donec naves revertantur ſalvæ. -- Si tamen poſt reverſionem navis ſalvæ nequaquam navigare propter „ tempus valentes revertantur -- mox mutuum in terrenum tranſponere modum, „ nequaquam maritimis periculis creditoribus moleſtandis. ---- Nos igitur „ ſancimus, & deinceps ita tenere, eo „ quod neque noſtris jam poſitis legibus „ repugnet. -- Quod enim longis ita „ ſervatum eſt temporibus, & tenuit „ immutabiliter, quomodo non eſt juſtum, & in aliis omnibus valere quæ „ poſtea erunt, & eſſe eis hanc rerum „ tranſactionem ex propria lege valentem, & altera quadam diſpoſitione „ non egentem: ita Juſtinianus; quæ tamen ejus ratio non procedit in pactionibus uſurariis excedentibus naturales limites juſtitiæ, & charitatis. „ Hinc ob hanc ipſam forte inſufficientiam „ ac nimiam generalitatem motivi iſta „ Novella revocata eſt per Novellam 110.

Demum, quod Juſtinianus fœneratoribus moderatas uſuras indulſerit intuitu generalis periculi, quod in ſe recipiunt, & quod non inhæret ſummæ mutuatæ, ſed juri perſonali ad rem, quod loco juris realis in re ipſis relinquitur, probatur ex Novella 136. ubi argentariis ſeu fœneratoribus publicis varias præſcribit leges. Sic habet: „ Qui „ in corpore ac collegio conſiſtunt argentariorum hujus almæ urbis, de „ multis capitulis nos petierunt, potiri „ cupientes auxilio, ut qui multis ſe „ utiles præbeant, unde ſponſiones & „ mutui obligationes periculo plenæ accedunt. Cap. 1. Sancimus igitur, ut „ cum aliqui ex his, qui argentariæ „ menſæ præpoſiti ſunt, mutuam alicui „ pecuniam dederint, ut creditori licentia ſit, tam principalem debitorem, „ quam mandatorem atque fidejuſſorem, „ & conſtitutæ pecuniæ rerum conveniendi (eorumque res excutiendi) „ non exſpectato conſtitutionis gradu „ (ſeu ordine, vi cujus prius eſſet excutiendus principalis debitor.) Cap. 2. „ His ſolummodo qui de prædicto conſortio ſunt, liberalitatem noſtram explicamus propter communem ipſorum „ utilitatem, quam in contractibus exhibent, dum multis ſe periculis immiſcent, ut ingruentibus aliorum neceſſitatibus medeantur. Et cap. 4. „ Quia vero legem tulimus, ne argentariæ menſæ præpoſiti ultra beſſes uſuras fœnerarentur, docuerunt autem „ nos, quod cum ſine ſcripto fœnerari „ ſoleant, hi deinde ſe illiberales circa „ uſuras præbeant; propterea ſancimus, „ ut uſuræ ipſis non ſolum ex ſtipulatione, ſed etiam abſque ſcripto præbeantur, nimirum tales, quales ipſos „ lex ſtipulari permittit, hoc eſt, uſque „ ad beſſem centeſimæ. Nam qui omnibus propemodum indigentibus opem „ ferre parati ſunt, hos utique per ejuſmodi minutias injuriam perpeti juſtum „ non fuerit. Et cap. 5. Si duntaxat „ ſcriptum fuerit, quod fœneratitium „ creditum extiterit, ex præſumptione „ ita celebretur exactio, quaſi beſſes uſuræ expreſſis verbis nominatæ ſint. „ In ratiociniis vero, quæ jam confecta ſunt, etſi nulla uſurarum habita „ ſit mentio, tamen quia manifeſtarium „ eſt, quod apud argentariæ menſæ præpoſitum ſolummodo contractus ſub uſuris ineatur, cum non poſſit qui ipſe „ uſuras dependit, ſine uſuris dare impendia, liceat ipſis uſuras beſſes expetere.

Dico 7. Ipſemet Imperator Juſtinianus inſinuat, mutuum aliquando induere naturam contractus cenſualis perſonalis utrinque redimibilis, ſaltem quando pecunia elocata eſt animo, eam non interveniente neceſſitate propria relinquendi longiori tempore in diſpoſitione debitoris.

Probatur. Imperator ponit caſum, quod civi-

civitas ſummam pecuniariam elocaverit privatis ſub obligatione annuatim præſtandi certam penſionem, quamdiu pecuniam retinuerint. In hoc ipſo caſu Imperator dubitat, an contractus vocandus eſſet *pactum*, an *redditus conſtitutio*, an *uſuræ ſtipulatio*, & aſſerit, potius habere ſpeciem *redditus*. Ex his colligo, cenſum fuiſſe utrinque redimibilem, alioquin non diceret illimitate quamdiu debitores pecuniam habuerint; & ſi tantum fuiſſet redimibilis a debitore, non a creditore, non fuiſſet dubio locus, num vocandus eſſet *redditus*, an *uſura*. Verba illius Novellæ 160. ſunt iſta:

„ Edocti fuimus, quod cum bene magna auri ſumma Aphrodiſienſium reipublicæ ex legatis a nonnullis civitati relicta eſſet; ne quando deperiret, quidam illorum, qui in republica cum poteſtate erant, eam auri ſummam collocaverint, ut quamdiu id auri apud ipſum reſideret, tamdiu qui ſuſcepiſſet, quoquo anno civitati pro eo dependeret; ſive quis id pactum, ſive redditum, ſive etiam uſuram appellare velit, quantum ferre civitatem æquum foret. Eos vero, qui aurum ſuſceperunt, poſtquam conſtitutionem protulimus, ne creditoribus permittatur, ut debitum ultra duplum exigere (poſſint) ſed hoc ipſo duplo contenti ſint, ſane legatum civitati deperire, & tam calefactiones balnearum publicarum, quæ exinde fieri ſoleant, quam opera publica labefactari. — Igitur ſancimus, ut qui id auri perceperunt in hoc, ut penſionem aliquam pro eo perſolvant reipublicæ ſingulis annis, quoad illud penes ſe aurum habuerint, inferre compellantur id, quod pro eo ſe illaturos conſtituerint, nequaquam noſtra ad hoc conſtitutione uſurpata; illam etenim de creditoribus conſcripſimus, præſens vero ſpeciem illam non attingit; ſiquidem hoc magis annuo redditui, quam uſurarum præſtationi ſimile videtur.

Idem confirmatur a ſimili caſu ex Novella 40. in qua Juſtinianus concedit Jeroſolimitanæ Eccleſiæ privilegium, vendendi quaſdam domos ad certum tempus v. g. 50. annos, cum obligatione ſolvendi annuum redditum in ratione ferme tredecim pro centum, ita tamen, ut finito emptionis termino domus ſine nova emptione ad Eccleſiam redeat. In hoc caſu periculum domus interea pertinebat ad emptorem, & non ad Eccleſiam. Dico, hunc caſum eſſe reipſa ſimilem conſtitutioni cenſus perſonalis utrinque redimibilis, quia perinde in effectu eſt, ſive ad tempus alteri detur res uſu conſumptibilis per modum mutui v. g. pecunia ſub cenſu annuo, ſive detur res uſu non conſumptibilis ſub cenſu annuo v. g. domus per modum locationis, attamen cujus periculum ſit in locatorio, & cum obligatione reſtituendi eandem rem in certo termino; ſive tandem eadem res detur ſub titulo emptionis, attamen ſub iiſdem obligationibus.

Verba Juſtiniani ſic habent: „ Novimus, quatenus Euſebius potuit trecentis octoginta libris comparare redditum triginta circiter auri librarum. „ Multis namque confluentibus ad Jeroſolimorum civitatem deſiderio dicatorum Deo locorum concupiſcunt comparare habitationes Eccleſiaſticas auro „ muto (id eſt, non numerato, ſed per „ modum mutui in acceptis præciſe ſcripto) quatenus ipſis liceat, ea habitatione perfrui, — ita ut in annos „ quinquaginta velint quidam tabernacula ſeu cœnacula illius modi comparare — inde multo (Eccleſiæ) commodo, ſiquidem poſſeſſio Eccleſiæ accedat redditus triginta auri librarum „ vix in tredecim annis, cum ædificiorum venditio in ipſis quinquaginta annis fiat, & præſertim cum ſubſtantia (Eccleſiæ) in domibus ſit conſtituta, quæ fortuitis omnibus ſubjacent „ caſibus repente pereuntes cum ipſis: „ cum igitur videamus tantam utilitatem, quomodo non hoc ipſis permittemus, omnem dantes & vendentibus licentiam, & ementibus ſecuritatem; maxime poſtquam præſumi-

„ mus, tempore ipso citius reducturo
„ iterum ædificia ad ipsam, emptori-
„ bus, postquam obierint, ipsi illa re-
„ licturis.

§. XXV.

Utrum contractus quoad substantiam similes contractui censuali personali utrinque redimibili anterioribus quinque sæculis viguerint, & tanquam liciti a populo habiti sint?

PLurimum valet sensus prædominans populi Christiani circa objecta legi naturali & divinæ non contraria, aut certe controversa. Vidimus hucusque sensum & praxin populi fidelis a tempore Constantini M. & Justiniani, & Leonis usque ad sæculum undecimum. Videamus nunc sensum & praxin prædominantem ejusdem populi a sæculo duodecimo.

Primum testimonium habetur ex concilio Lateranensi III., celebrato anno 1179, ubi Can. 25. sic habetur: „ Quia in „ omnibus fere locis (crimen) usura- „ rum ita inolevit, ut multi aliis ne- „ gotiis prætermissis, quasi licitas, u- „ suras exerceant, & qualiter utriusque „ testamenti pagina condemnentur, ne- „ quaquam attendant; ideo constitui- „ mus, ut usurarii manifesti nec ad com- „ munionem altaris admittantur: &c.

Secundum testimonium habetur ex Epistola Innocentii III. scripta ad Philippum II. regem Galliæ anno 1214. atque edita a D'Acherio tom. 3. Spicil. edit. nov. Ea sic habet. „ Auditis litteris, „ quas tu & quidam Barones tui con- „ tra Cardinalem Apostolicæ Sedis le- „ gatum super variis articulis destinatis, „ diversas querimonias continentes pro- „ tinus & querelas contra eundem le- „ gatum propositas & responsiones ip- „ sius fecimus explicari, easque præsen- „ tibus litteris mittimus intercluſas, hoc „ tuæ Serenitati respondentes; quod „ licet idem legatus a nobis super usu- „ rariis non acceperit speciale manda- „ tum; quia tamen in regno tuo plus „ solito usuraria pestis increverit, in „ tantum facultates Ecclesiarum, Mi- „ litum (id est, nobilium) aliorumque „ multorum devorans & consumens, „ quod nisi tanto languori adhiberetur „ effiax medicina, intendere non suf- „ ficerent ad subsidium terræ sanctæ, „ propter quod ipsum duximus speciali- „ ter destinandum; unde ipse tanquam „ spiritualis medicus adversus hanc mor- „ tiferam pestem de consilio virorum „ prudentum in diversis conciliis ad cu- „ randas animas salubre remedium ad- „ invenit. Quocirca non decet tuam „ regalem prudentiam pro aliquo tem- „ porali commodo spiritualem impedi- „ re profectum, sicut per quasdam lit- „ teras ad diversas communias destina- „ tas te feciſſe dolemus, quas ut pru- „ dentiori retractes consilio, præsenti „ paginæ fecimus intercludi, serenitatem „ regiam exhortantes, quatenus nec im- „ pedias, nec facias impediri, quo mi- „ nus in regno tuo Ecclesiastica juris- „ dictio valeat exerceri. Nos enim præ- „ dicto legato præcipimus, ut adhuc „ super his, quantum cum Deo po- „ test, necessarium adhibeat moderamen, „ ne in aliquo modum excedat, hone- „ stas consuetudines & usus rationabi- „ les non immutans, limam omnium „ generali concilio reservando — quia „ tunc super his & aliis sacri approba- „ tione Concilii statuemus.

Ex hac epistola colligo, non omnem consuetudinem in hac materia statim, ubi speciem usuræ habuerit, esse improbandam, videtur etiam colligi posse, regem Galliæ legato apostolico circa consuetudines quasdam ad speciem usurarias jurisdictionem negasse.

Quid ex eo tempore actum in Gallia circa usuras narrat Nicolius in suo Traitè de l'usure cap. 3. Sect. 3. his verbis: „ Negotiatio ista pecuniaria repressa „ fuit aliquantulum a S. Ludovico, sed „ denuo cursum suum obtinuit sub re- „ gno Philippi III. (qui fuit successor „ S. Ludovici, & obiit 1285.) Hic e- „ quidem jussit fieri inquisitionem in „ usurarios exteros, quos parte bono- „ rum fisco addicta regno expelli im- „ perat prout in Concilio generali Lug- „ dunensi 1274 constitutum fuerat. Plu-

„ res

„ res tamen eorum perſoluta taxa, præ-
„ ſertim Florentini, interventu quorun-
„ dam aulicorum obtinuerunt a rege
„ permiſſionem permanendi in regno, &
„ erigendi publicam menſam nummula-
„ riam. Ex eo tempore mutuationes pe-
„ cuniariæ, non obſtante rigore legum
„ fere ſemper toleratæ fuerunt inter mer-
„ catores: immo ultra ducentos quin-
„ quaginta annos toleratus fuit cenſus
„ ex mutuo major, quam fuerat tolera-
„ tus in Jure civili Romano. Verum
„ quidem eſt, quod centum abhinc an-
„ nis (depuis cent ans) cenſus ille fue-
„ rit imminutus, verum, quomodocun-
„ que moderatus ſit, non propterea
„ ceſſat opponi legi divinæ. Franciſcus
„ Quintini, author Italus, in ſuo di-
„ ſcurſu de urbe Lugdunenſi ſic ſcribit:
„ Quod attinet ad illum *contractum*, qui
„ hodie vocatur *Depoſiti*, ille conſiſtit
„ in traditione certæ ſummæ pecu-
„ niariæ, quæ alicui datur ad cer-
„ tum tempus cum obligatione ad cer-
„ tum *Intereſſe* limitatum, v. g. juxta
„ permiſſionem regum Gallię in ratione
8 $\frac{1}{3}$: ſeu octo & unius tertiæ pro cen-
„ tum per annum. Quia autem ſum-
„ mi Pontifices declararunt, hoc *in-*
„ *tereſſe* eſſe uſurarium, monemus mer-
„ catores, non inire hunc contractum
„ *depoſiti*, qui ſic nominatur ad tegen-
„ dum ulcus uſuræ. Ita Nicolius.

Idem lib. cc. cap. 5. Sect. 3. non ob-ſcure inſinuat, anno 1352 tutoribus im-poſitam fuiſſe neceſſitatem, pecunias pu-pillorum elocandi per modum mutui ad cenſum; quam legem ipſe quidem poli-ticam potius fuiſſe cenſet quam Cano-nicam. Deciſio, inquit, facta anno 1352, de qua ſermo eſt in Notis ad collectionem Decretorum de M. Loiiet letre 1. §. 8. ultimæ editionis politica magis eſt quam Canonica.

Eodem Nicolio teſte l. cc. cap. 3. Sect. 3. „ Iſſelius in Notis ad Covarruviam „ ſcribit, uſuram centeſimæ, id eſt, in „ ratione duodecim ad centum per an-„ num, a Carolo V. conceſſam fuiſſe „ mercatoribus Antverpianis; quod ip-„ ſum illis permiſit Philippus II. Rex „ Hiſpaniæ, qui obiit anno 1598.

Idem l. cc. cap. 4. Sect. 1. obſervat a nonnullis Parlamentis Galliæ ſæculo 16 tutores ad conquirendam uſuram ex pecuniis pupillorum non eſſe adſtrictos, ab aliis vero Parlamentis eos adſtrictos eſſe. Bochelius, inquit, in ſua Biblio-theca juris gallici, Verbo: *Uſure*, affert decretum tutores deobligans ſubdato an-ni 1559. Similia duo decreta affert Be-raultius de anno 1526 & 1535 ubi de-ſcribit conſuetudines Normanniæ, *La contume de Normandie*.

Ibidem Nicolius addit: „ Quando Gil-„ letus aſſerit, per leges tutoribus per-„ mitti, ut fœnerentur ex pecuniis pu-„ pillaribus, id non eſt intelligendum „ de legibus Galliæ, ſed de Jure Civili „ Romano, aut tantum de conſuetudi-„ ne quorundam Parlamentorum, quæ „ authoritatem præbent huic praxi lu-„ crandi ex bonis pupillaribus ſine ale-„ natione ſummæ principalis. Sed hæc „ tolerantia tantum ſervit pro foro ci-„ vili, non pro conſcientia. Conſue-„ tudo illa (tutorum ſic lucrandi pro „ pupillis) antiqua eſt, fateor, ſed eſt „ antiquus abuſus. Conſtitutio Caroli „ IX. de anno 1560 dans le Recueil „ de Fontanon tom. 1. lib. 4. tit. 21. tan-„ tum adſtringit tutores ad pœnam com-„ penſandi Intereſſe pecuniæ pupillaris „ otioſæ, ſi non comparent redditus, „ aut hæreditates.

Idem l. cc. cap. 4. Sect. 2. teſtatur tolleratas eſſe uſuras in ratione 15 pro 100, id eſt quindecim pro centum inter mercatores adeuntes nundinas Brietien-ſes & Campaniæ per edictum Philippi pulchri de anno 1311 & per edictum Philippi VI. de anno 1349.

Ibidem Nicolius recenſet ſequentes con-ſtitutiones Gallicanas uſurarum partim inhibitorias, partim permiſſivas. Edi-ctum S. Ludovici, editum Melodurri anno 1230 & renovatum anno 1254. prohibet uſuram; ejuſque tradit hanc de-finitionem: *Per uſuram intelligimus om-ne id, quod eſt ultra ſortem principalem*, quæ definitio eſt conformis Juri Cano-

nico, & Capitularibus Caroli M. lib. 1. cap. 50. 125. 130. & lib. 6. cap. 201. Constitutio Philippi pulchri de anno 1311 prohibet exercitium usurarum omni generi personarum; pœnam tamen nullam statuit nisi in eos, qui pacti fuerint usuram valde magnam, cujus quantitatem generaliter determinat sub ratione viginti pro centum per annum, ac speciatim quindecim pro centum quoad nundinas Campaniæ. Quia autem hoc edictum a nonnullis fuerat male intellectum, existimantibus, eum positive approbasse usuras minores moderatas, eo quod solum statuerit pœnam in usuras excessivas; ideo sequente anno 1312 edidit aliam constitutionem, in qua aperte declarat, a se prohiberi *omnes species usurarum, cujuscunque quantitatis fuerint, utpote prohibitas a Deo & Sanctis Patribus*.

In Litteris patentibus Philippi Valesii, concernentibus privilegium pro nundinis Brietiannis & Campaniæ, consimiliter prohibentur omnes usuræ tanquam contrariæ legibus divinis, Ecclesiasticis, & Civilibus, quamvis & ipse nullam statuat pœnam nisi in eos, qui exegerint majorem usuram quam in ratione *quindecim* pro *centum* per annum. Ordinatione Ludovici XII. improbantur usuræ, & præcipitur omnibus Officialibus, ut inquirant in usurarios manifestos. Idem ordinatur a Francisco I. Decreto Parlamenti Parisiensis de anno 1565 prohibentur usuræ omni generi hominum, cujuscunque status, qualitatis, aut conditionis sint, mercatoribus, & aliis, viris, ac fœminis; ubi notandum, quod ne quidem excipiat mercatores Parisienses, quamvis eo tempore habuerint idem privilegium ac mercatores Lugdunenses, Tolosani, & Rothomagenses juxta edictum Caroli IX. de anno 1563. & registratum in parlamento art. 14. Notandum etiam quo illo Decreto Parlamentari usuræ phrohibeantur quamvis exerceantur sub prætextu *commercii publici ad interesse*. Simile prorsus Decretum edidit Henricus III. anno 1576. & Status Blessenses 1579.

Durante bello civili incolæ Berrycenses contractus mutui cum interesse celebrarunt tanquam contractus licitos, & permissos legibus regni; sed variis litibus forensibus exinde exortis Rex anno 1605 litteris patentibus ordinavit præterita, & ejusmodi contractus prohibuit in futurum. Similis declaratio secuta est anno 1606 pro Andegavensibus: Causa autem turbarum, ob quas edi debuerunt illæ declarationes, fundabatur in nonnullis Decretis Parlamenti Parisiensis, quibus annui census, seu interesse, quamvis ultro soluti, præcipiebantur computari in ipsam summam, exceptis solis mutuis pupillaribus, quibus ab illo Parlamento permittebatur is favor non computandi census annuos in sortem principalem. Anno 1555. Henricus II. publico edicto permisit mercatoribus urbis Rothomagensis mutuare cum obligatione ad interesse. Henricus III. anno 1580 & 1581 erexit integram Societatem ejusmodi creditorum: quorum determinat numerum, & quibus ponit determinatam taxam annui census; & hoc ideo, ut sic evitarentur excessivæ usuræ, quibus aliqui clam se irretiebant.

Anno 1595 permittitur Decreto consilii officialibus Mercatorum in grosso, & Campsorum, ut possint accipere & administrare (bailler) pecunias sub titulo *depositi* mutuo acceptas pro tempore, quod assignaverint, & eorum negotia requisierint, juxta praxin observari solitam Lugduni, Venetiis, Antverpiæ, & aliis bonis urbibus, ubi ejusmodi contractus depositi cum interesse vigent, ita tamen ut interesse non excedat pretium a Constitutione permissum.

Anno 1601 Henricus edicto publico reduxit census annuos & declaravit nullas omnes promissiones census per modum interesse, cujuscunque fuerint pretii, excepit autem ab hoc edicto solos mercatores frequentantes nundinas Lugdunenses; ut proin vi hujus edicti ille contractus *depositi* nullibi tolerari debeat, nisi in mercatoribus frequentantibus nundinas Lugdunenses: nec illo privilegio uti poterunt mercatores Parisien-

ſenſes & Rothomagenſes. Hucuſque Nicolius l. cc.

§. XXVI.

Utrum omnis uſura ſit peccatum mortale?

SAtis conſtat ex Scriptura, Conciliis, & Patribus, uſuram ex ſuo genere eſſe peccatum mortale, utpote cui annectuntur conſtanter proprietates peccati mortalis, v. g. quod ſit objectum gravis iræ, & abominationis divinæ, quod mereatur graviſſima ſupplicia, quod nominetur *ſcelus*, *crimen*, *&c.* Solum poteſt fieri quæſtio, utrum omnis uſura etiam in individuo ſit peccatum mortale? Sic enim etiam quæritur de furto, detractione, ſuperbia, ira, invidia, gula &c. quæ licet ex ſuo genere ſint mortalia, in individuo tamen longe ſæpius ſunt tantum venialia.

Conſtat etiam ex dictis §. 3. 4. 5. duplicem eſſe uſuram; una quæ fundatur in mercis & pretii inæqualitate, nempe in diverſo valore *juris realis*, & *juris perſonalis*. Si enim jus perſonale ad ſortem conjunctim cum jure ad annuum cenſum in æſtimatione morali manifeſte plus valet, quam jus reale, ea uſura opponitur *juſtitiæ commutativæ*. Si vero *jus reale*, & *jus perſonale* ratione periculi, vel lucri ceſſantis, aut damni emergentis ſint inæqualis valoris, & auctarium cenſus præciſe ſufficiat ad conſtituendam æqualitatem *juris realis*, & *perſonalis*, peccetur tamen contra charitatem, quæ aliquando præcipit, ut in gratiam mutuatarii gratis ſuſcipiatur aliquod periculum, prout §. 6. dictum eſt, tunc illa uſura non opponitur *juſtitiæ commutativæ*, ſed tantum *charitati*: Datur proin duplex uſura, una *contraria juſtitiæ*; altera *contraria charitati*.

Dico 1. uſura contraria juſtitiæ ſemper eſt per ſe peccatum mortale. Dixi *per ſe*; niſi videlicet excuſet ignorantia invincibilis.

Probatur. Illa uſura eſt damnificatio proximi gravis & injuſta; quia eſt injuſta exactio cenſus annui in ratione 5. pro 100. adeoque etſi forte quinque floreni non eſſet peccatum mortale reſpectu cujuſcunque divitis, puta reſpectu opulentiſſimi; animus tamen per plures annos aſcendendi ad ſummam gravem reus eſt peccati mortalis.

Dico 2. Quando obligatio mutuandi gratis urget ſub peccato gravi titulo charitatis, uſura huic obligationi contraria eſt peccatum mortale.

Probatur: quia directe violat obligationem gravem charitatis. Vide §. 6.

Dico 3. Quando obligatio mutuandi gratis urget tantum ſub peccato levi & ex ſolo titulo charitatis, annuus cenſus germanicus non ſemper excedit culpam peccati venialis.

Probatur. Quando obligatio mutuandi gratis tantum urget ſub peccato levi & ex ſolo titulo charitatis, ſemper concurrit titulus periculi, aut lucri ceſſantis, aut damni emergentis, prout §. 5. & 6. oſtenſum eſt. Sed in tali caſu non apparet ratio peccati gravis; neque enim violatur æqualitas juſtitiæ; cum jus perſonale ad ſummam revera in æſtimatione morali ſit minori pretio æſtimabile, quam jus reale, quando concurrit periculum peculiare ſortis, non reperibile in manu aut arca creditoris; vel lucrum ceſſans, aut damnum emergens. Neque etiam ſemper violatur graviter charitas; cum ex tali cenſu non ſemper contriſtetur graviter mutuatarius; immo non raro gaudeat. *Dixi* autem, *non ſemper*; neque enim examino, an non aliquando ob particulares circumſtantias cenſus ille germanicus in tali caſu contriſtare graviter valeat mutuatarium.

§. XXVII.

Utrum ſit hæreticum dicere, uſuras moderatas, aut minus rigoroſe ſumptas eſſe licitas?

1. QUamvis jam ſupra §. 5. oſtenſum ſit, contractum cenſualem ceſſante titulo particulari eſſe illicitum, adeoque quaſvis uſuras, etiam moderatas, & approbatas lege vel conſuetudine, eſſe illicitas, operæ tamen pretium fuerit examinare, an ea ſententia ſit hæretica, præſertim cum videam, eam non ſolum dictari in publi-

blicis Universitatibus, sed etiam palam defendi in libris.

2. Ut autem intelligatur hæc adversariorum sententia, eam do ipsis P. Viti Pichler verbis. In Summa Jurisprudentiæ l. 5. tit. 19. De usuris num. 8. sic scribit: Dico 4. Usura lucratoria minus stricte sumpta, & jure naturali & divino prohibita, probabiliter non est ita absolute prohibita, ut a Magistratu humano per statutum (idem est de consuetudine, lege non scripta, quæ vim suam habet a consensu Legislatoris humani, & a causa, ex qua redditur rationabilis) in quibusdam circumstantiis & ex causa publica permitti non possit tanquam licita; modo sit moderata, & aliunde non repugnet charitati erga proximum a jure naturali ac divino præceptæ. Imo defacto in Imperio Romano existit hujusmodi Statutum & consuetudo permittens usuras quincunces, seu 5. pro 100. ex mutuo, quin probari debeat ullus alius titulus damni emergentis, lucri cessantis, periculi amittendæ sortis &c. Hæc assertio saltem quoad priorem partem est quidem contra communem, maxime Theologorum, eidem tamen patrocinantur cum Emman. Saa præstantissimi Theologi Adam Tannerus tom. 3. d. 4. q. 7. dub. 3. n. 79. Haunold. de 1. & 1. tom. 3. tr. 9. n. 421. ac teste Tannero l. cc. multi Scholastici. Ex Juris-Consultis autem acutissimus D. Glettle in Assert. Jurid. assert. 54. Molinæus, Hugo Donell. Hotoman. Jac. Curtius. Matth. Coler. & Alph. Vilagut. Neap. de usuris q. 13. concl. 4. aliique apud & cum Petro Heigio in QQ. Juris p. 2. q. 1.

Addidi tamen, *modo sit moderata, & aliunde non repugnet charitati* &c. Adeoque puto, stante tali Statuto vel consuetudine non quidem peccari contra justitiam, saltem si usuræ non sint ita excessivæ, ut causa publica, spectans bonum Reipublicæ, eas permittendi vere adhuc subsistat; charitatem tamen in particularibus casibus lædi posse: ut si valde pauperes per usuras seu lucrum ex mutuo solvendum mutuanti ad mendicitatem inevitabili necessitate adigerentur; quo casu sicut obligatorium videtur esse, dare mutuum, ita etiam jure naturali & a lege charitatis prohibitum exigere usuras.

Dixi notanter, *minus stricte sumpta*, eo quod tale auctarium, a Statuto vel consuetudine permissum, non tam ex mutuo, quam occasione mutui ex dispositione Juris videatur recipi posse; fere sicut usura compensatoria, quæ accipitur ratione damni emergentis, vel lucri cessantis, non est proprie & in stricto rigore usura, eo quod non immediate ex mutuo, sed ex alio titulo justo, qualem & Statutum quoque vel consuetudinem esse censeo, auctarium petatur. Atque sic nostram assertionem intelligi a Tannero n. 74. 75. 77. 79. l. cc. & ab iis quos citat, nempe S. Antonino, Major, Gabr. Covarruv., Molin. &c. Item ab Haunoldo patet ex doctrina, quam tradit num. præced. c. 3. §. 3. & §. 8. ubi consuetudinem agnoscit inter legitimos aliquid ultra sortem exigendi titulos. Hucusque P. Pichler.

Dico. Hæc propositio, *Usura moderata, ac minus stricte sumpta est licita*, est propositio aut imperita, aut hæretica.

Probatur. Usura moderata minus stricte sumpta vel participat simpliciter definitionem usuræ ut sic, vel non participat? si non participat; propositio est imperita, quod enim non participat rationem definiti, nec participet nomen definiti simpliciter. Adjectiva enim, quæ non addunt vel tollunt subjecto qualitatem accidentalem, sed essentialem, eoipso transferunt subjectum a significato proprio ad alienum, adeoque etiam ad denominationem essentialem aliam. Hæc vero adjectiva, *moderata, minus stricte sumpta*, non solent importare aliam denominationem essentialem, aut significatum essentiale aliud; sic nemo *hominem pictum* vocat *hominem minus stricte sumptum*. Si vero dicatur, *usuram moderatam minus stricte sumptam* adhuc participare rationem *usuræ ut sic*; eoipso propositio erit hæretica; quod probatur.

1. Pro-

1. Propoſitio, quæ in terminis formalibus, aut in manifeſte æquivalentibus contradicit propoſitioni revelatæ vel ab Eccleſia definitæ, eſt hæretica. Sed talis eſt illa propoſitio, ſi hi termini: *uſura moderata minus ſtricte ſumpta*, adhuc contineantur ſub ſignificato eſſentiali *uſuræ ut ſic*. Definitum enim eſt ab Eccleſia, & revelatum in Scriptura, uſuram non eſſe licitam. In Concilio Lateranenſi III. generali c. 25. ſic habetur: Quia in omnibus fere locis crimen uſurarum ita invaluit, ut multi aliis negotiis prætermiſſis, quaſi licite uſuras exerceant, & qualiter utriuſque Teſtamenti pagina condemnentur, nequaquam attendant, ideo conſtituimus, ut uſurarii manifeſti nec ad communionem admittantur altaris, nec Chriſtianam, ſi in hoc peccato deceſſerint, accipiant ſepulturam.

2. Prædicata, quæ ſubjecto conveniunt ex Scriptura, & definitionibus Conciliorum generalium, aut ex conſenſu unanimi Patrum ac Theologorum, eoipſo etiam conveniunt ſingulis contentis ſub ſignificato proprio ſubjecti; ergo cum uſura univerſim a Scriptura, Conciliis, & Doctoribus dicatur eſſe illicita, etiam uſura moderata minus ſtricte ſumpta erit illicita, utpote, ut ponitur contenta ſub ſignificato generico uſuræ. In Scriptura pſ. 14. dicitur modo excluſivo contrarii, eum ſalvandum, *qui pecuniam ſuam non dedit uſuram*. Et Ezech. 18. dicitur, eum non victurum, qui ad uſuram dederit, & amplius acceperit. Luc. 6. Chriſtus præcipit, mutuum dare, & nihil inde (lucri ex mutuo) ſperare. In Concilio Generali Viennenſi in Clementina *Ex gravi* §. De uſuris, dicitur: *Si quis pertinaciter affirmare præſumat, exercere uſuras non eſſe peccatum, decernimus, eum veluti hæreticum puniendum*.

Confirmatur a pari cum mendacio, perjurio, ſacrilegio, furto &c. neque enim recte exciperetur a generali prohibitione mendacium, ſacrilegium &c. *moderatum minus ſtricte ſumptum*, ſi adhuc ſimpliciter contineretur ſub nomine, ſignificato, & ratione mendacii, ſacrilegii &c.

Itaque ſi adverſarii ſuam *uſuram moderatam minus ſtricte ſumptam* eximere volunt a prohibitione legis naturalis ac divinæ, neceſſe eſt, ut & eam eximant a ſignificato ac ratione generica uſuræ; ac conſequenter ut mutent nomen, illique non amplius tribuant *nomen uſuræ*, correſpondentis ſimplici mutuo nullo interveniente titulo, ſed *nomen cenſus*, quamvis, ut §. 5. oſtendi, nec iſto titulo gaudere poſſit.

Dices: Polygamia invariato nomine fit licita & illicita per legem naturæ juxta diverſas circumſtantias & conditiones temporum; ergo etiam uſura invariato nomine fieri poterit per legem naturæ licita & illicita poſitis diverſis circumſtantiis temporum.

Reſpondeo. Motivum prohibendi polygamiam non peti ex ipſa intrinſeca malitia actionis, quæ eſt ſignificatum hujus nominis; ſed ex circumſtantiis boni communis, cui regulariter opponitur. Hinc non eſt mirum, quod idem manens idem poſſit fieri licitum & illicitum ob diverſas circumſtantias. Econtra motivum prohibendi uſuram petitur ex ipſa intrinſeca malitia actionis, quod quis ſubveniendo proximo indigenti, ſine ullo ſuo periculo, ſine damno, ſine diminutione lucri proprii, exigat vel a lege permittatur exigere compenſationem beneficii proximo nocivam. Itaque, ſicut invariato nomine non mutatur intrinſeca malitia ſignificati, ita invariato nomine ac ſignificato eſſentiali non poteſt variari prohibitio legis naturalis.

Cæterum illud etiam addo, Molinæum, Hugonem Donellum, Hotomanum, & Matthæum Colerum, quos P. Pichler pro ſe citat, reperiri in Romano Indice librorum prohibitorum, ut proin exiguam ejus ſententiæ concilient authoritatem. Emmanuel Saa in ſuis Aphoriſmis non ſolum non favet, ſed etiam eſt poſitive contrarius cenſui utrinque redimibili Tit. *Cenſus*, ſic habet: Cenſum ex utraque parte contrahentium redimibilem licere ajunt aliqui, alii negant.

gant. Ego concedere non auderem. Ubi Bulla Pii V. recepta est, negant quidam, licere censum super persona constitui; alii, etiam ubi recepta est, licere, si sit perpetuus. Quod ego non concesserim. Hæc plane non favent Usuræ moderatæ. Nec alium textum usuræ faventem in isto Emmanuele reperi Tit. *Mutuum*, & Tit. *usura*: nisi adversarii id forte in suas partes trahant, quod Saa Tit. Usura, dicit: *Domini temporales possunt ob bonum publicum cogere solvi promissas usuras*: qui plane textus nec minimum servit usuræ moderatæ; aliud enim est, cogere debitorem, ut solvat promissam usuram; & aliud est, approbare promissum aut creditoris inhumanitatem, extorquentis a misero tale promissum, cum alio modo non reperiat opem. Solus, quem adversarii ex Emanuele adducere solent, textus sumitur ex Tit. *Contractus* n. 4. ubi sic scribit: *Contractus qui communiter fit, & est Reipublicæ utilis, condemnari non debet, nisi aperte constet esse illicitum, cum præsertim Respublica ex potestate quam habet in bona communia, credenda sit supplere, siquid alioqui tali contractui deest*. Sed neque in hoc textu author ostenditur cogitasse de usura moderata; aut si cogitavit, eam forte comprehendit sub contractu *aperte illicito*. Probabilius author illo suo principio tantum viam sternere voluit ad alios quosdam contractus, de quibus illo titulo agit, v. g. istum: *Pactum de certa summa solvenda pro verisimili interesse, vel periculo, sive sequatur id, sive non, licitum est*.

Itaque pro usura moderata videamus an apertus sit Tannerus l. cc. Existimo, nec hunc esse apertum: solum enim dicit: *Ex decreto quoque rationabili superioris potestatis, seu consuetudinis æquivalentis, non vi mutui præcise, fieri NB. nonnunquam potest, ut aliquid in mutuo ultra sortem licite accipiat, cum translatio Dominiorum potestati superiori ipsius etiam Reipublicæ ex justa causa subsit*. Jam vero illud *nonnunquam* Tannerus explicat non per usuram moderatam, authoritate humana concedendam, sed tantum per pactum legis commissoriæ, alioquin ex c. *significante* usurarium, quo videlicet pignus, nisi certo tempore redimatur, transeat in mutuantem. Verba Tanneri sunt: *In pignore, quamvis pactum legis commissoriæ per se justum* non sit, sed nullum, ex C. significante; nisi forte quandoque per modum justæ pœnæ conventionalis; nec omnino per se loquendo, liceat fructus pignoris in sortem non computare; in quibusdam casibus, ob supradictum titulum dispositionis potestatis superioris pignoris fructus licite in sortem non computantur. Primus casus est, si feudatarius Domino directo in pignus tradat feudum: hujus enim fructus potest percipere Dominus forte integra ex Cap. 1. De feudis: & C. *conquestus* de Usuris. Idque jure concessum in favorem liberalis feudi concessionis. Secundus; si Emphiteuta similiter oppignoret Domino directo rem Emphiteuticam: cum hac etiam tacita conditione celebrari censeatur emphiteusis, nisi aliud exprimatur. Requiruntur tamen in utroque casu istæ conditiones. Prima ut Dominus interea non exigat obsequium & pensionem solitam &c. Tertio, eodem jure ac titulo potest gener percipere fructus pignoris dotalis, eos itidem in sortem non computando, juxta receptam consuetudinem, & l. ff. doli mali, & C. *salubriter* de usuris. Ita Tannerus, manifestum autem, hos casus, ad quos ille per suum, *nonnunquam*, respicit, non posse paritate rationis juvare usuram moderatam.

Relinquitur proin Pichlero solus Haunoldus, qui tamen & ipse non audacter pronuntiat, sed tantum dicit: *videri ita responderi posse*. De Usura n. 422.

Si Haunoldus inhæsisset firmiter huic sententiæ, non opus habuisset ad excusandas ab impietate leges civiles ea responsione, quod usuras *tantum toleraverint*, aut tantum *approbaverint punitorias & compensatorias*. Tract. 9. c. 3. controv. 10. §. 1. num. 381. & §. 2. num. 385.

SAN-

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

BENEDICTI XIV.

DUO BREVIA APOSTOLICA

De una refectione in casu dispensationis ad esum carnium, ab omnibus, etiam sexagenariis, observanda,

AB AUTHORE

Explicata, & propugnata.

INDEX.

Caput I. *SS. D. N. Benedictus XIV. declarat, dispensatos ad esum carnium obligari ad refectionem unicam.*

Caput II. *Similia aliorum Episcoporum, & Summorum Pontificum decreta.*

Caput III. *Simile Edictum Em. Cardinalis Guadagni, Vicarii in Urbe.*

Caput IV. *Quod Summus Pontifex omnes Episcopos obliget, ad urgendam unius refectionis clausulam.*

Caput V. *Effugia refelluntur.*

Caput VI. *Unam refectionem in jejunio semper ab Ecclesia fuisse requisitam.*

Caput VII. *Legem jejunii semper obligasse fideles in conscientia.*

Caput VIII. *Dispensationes generales a refectione unica repugnare finibus a Deo & ab Ecclesia præstabilitis.*

Caput IX. *Etiam sexagenarios obligari ad refectionem unicam.*

Caput X. *Eam unicam esse quoad modum jejunii regulam, ut quisque tantum jejunet, quantum potest.*

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

BENEDICTI XIV.

DUO BREVIA APOSTOLICA

De una refectione in caſu diſpenſationis ad eſum carnium, ab omnibus, etiam ſexagenariis, obſervanda.

CAPUT PRIMUM.

SS. D. N. Benedictus XIV. declarat, diſpenſatos ad eſum carnium obligari ad comeſtionem unicam, niſi periculoſa affectæ valetudinis ratio in caſu particulari aliud exigat.

CUM in Italia vehementi animorum æſtu agitaretur illa controverſia; an diſpenſati ad eſum carnium in quadrageſima aliiſve diebus præcepti jejunii obligentur ad refectionem unicam, SS. D. N. Benedictus XIV. litibus illis Theologorum poſiturus finem duobus Brevibus Apoſtolicis ad omnes Epiſcopos totius Eccleſiæ editis declarat, diſpenſatos ad eſum carnium obligari ad ſumendam unicam refectionem. Tenor Brevium Apoſtolicorum eſt ſequens.

BREVE I.

„ Venerabilibus Fratribus Patriarchis, „ Primatibus, Metropolitanis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis univerſis, gratiam „ & communionem Sedis Apoſtolicæ habentibus.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabiles Fratres, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

„ NON ambigimus, Venerabiles Fratres, quin univerſis Catholicæ „ Religionis cultoribus notum ſit, a tota per Chriſtianum Orbem Eccleſia „ *inter præcipua orthodoxæ diſciplinæ capita* perpetuo adnumeratum retineri „ Quadrageſimale jejunium, quod olim „ in lege & Prophetis primitus adumbratum, ipſius Domini noſtri Jeſu „ Chriſti exemplo veluti conſecratum,

„ ab

„ ab Apostolis traditum, a sacris Ca-
„ nonibus ubique præscriptum, & *ab*
„ *universali Ecclesia ab ipso sui primor-*
„ *dio retentum* & observatum est. Hoc
„ nimirum, ut veteres tradidere Patres,
„ nobis quotidie peccantibus communis
„ pœnitentiæ constituto remedio, per
„ consortium crucis Christi nos etiam
„ aliquid in eo, quod ipse propter nos
„ præstitit, agimus; simulque ad reco-
„ lenda sacratiora Redemptionis nostræ
„ mysteria, quæ per Dominicæ Passio-
„ nis ac Resurrectionis memoriam, Qua-
„ dragesimali potissimum tempore so-
„ lennius celebrantur, purificatis jejunio
„ corporibus & animis dignius paramur.
„ *Hoc veluti nostræ militiæ tessera ab ini-*
„ *micis crucis Christi secernimur*, flagel-
„ la divinæ ultionis avertimus, & cœ-
„ lesti præsidio in dies adversus princi-
„ pes tenebrarum munimur. Hoc de-
„ spectui habito non contemnendum
„ divinæ gloriæ detrimentum non leve
„ Catholicæ Religioni dedecus, nec du-
„ bium animabus Christi fidelium pe-
„ riculum oboritur: nec aliunde popu-
„ lis calamitates, rebusque publicis &
„ privatis cladem exitiumque importa-
„ tum esse constat. Ab hac vero insi-
„ ta inhærentique in omnium Catholi-
„ corum hominum animis de sacratissi-
„ ma Quadragesima, aliisque diebus je-
„ junio consecratis persuasione & reve-
„ rentia *quam aliena, quam discors,*
„ *quam absona sit hodierna jejunantium*
„ *consuetudo*, quantum ab ipsa jejunio-
„ rum institutione, & servata semper,
„ ubique, & ab omnibus disciplina quam
„ longissime distet; Vos, Venerabiles
„ Fratres, qui populorum curæ vestræ
„ commissorum mores, & usus probe
„ nostis, pro singulari sapientia vestra
„ præ cæteris clarius intelligitis. Nos
„ sane, qui in hac sublimi Apostolicæ
„ procurationis specula constitutis undi-
„ que gentium nuntii afferuntur, la-
„ chrymis satis deplorare non possumus,
„ augustissimam Quadragesimalis jejunii
„ observantiam *ob nimiam nullis legiti-*
„ *mis urgentibus causis ubique indiscri-*
„ *minatim dispensandi facilitatem* planè
„ sublatam esse; ita ut orthodoxæ qui-
„ dem Religionis cultores merito que-
„ rantur, hæresum vero sectatores illu-
„ dant & exultent. *Pernitiosæ huic cor-*
„ *ruptelæ* plurimorum insuper licentiam
„ adjunctam esse graviter dolemus; quæ
„ usque adeo invaluit, ut nulla Apostо-
„ lici Instituti sacratissimique præcepti
„ habita ratione jejuniorum tempore pa-
„ lam & impune ab iisdem *agitentur*
„ *convivia, & epulæ interdictæ promiscue*
„ *inferantur*. Ea propter quemadmodum
„ quibus curis, sollicitudinibus, & an-
„ goribus urgeamur, cum Fraternitati-
„ bus Vestris communicamus; ita face-
„ re non possumus, quin pro injuncto
„ Nobis supremo Sacrosancti Apostola-
„ tus Officio, & ardentissimum Frater-
„ nitatum Vestrarum zelum ad oppor-
„ tunum hisce malis adhibendum reme-
„ dium excitemus, & ad congruentes
„ hujusmodi abusibus penitus extirpan-
„ dis præscribendas meditemur. Inter-
„ ea, Venerabiles Fratres, gaudium &
„ corona nostra, nobiscum considéran-
„ tes, nihil Deo acceptius, nihil pasto-
„ rali ministerio nostro dignius, nihil
„ gregibus curæ nostræ commissis utilius,
„ quam ut verbo & exemplo præeun-
„ tes, Christi fideles ad tam salutarem
„ Christianæ pœnitentiæ & pietatis exer-
„ citationem alacrius suscipiendam, con-
„ stantissime retinendam, & ea, qua
„ instituta fuit, disciplina peragendam
„ vehementius inflammemus, omni o-
„ pera atque industria studeamus, ut fi-
„ deles in conspectu Dei per austerio-
„ rem jejuniorum observantiam tales per-
„ maneant, quales in ipso Paschali fe-
„ sto dignum est inveniri. Debitum igi-
„ tur Paternæ uniuscujusque Vestrum
„ sedulitatis & charitatis officium jure
„ postulat, ut omnibus notum faciatis
„ & annuntietis, nemini quidem sine
„ legitima causa, & de utriusque Me-
„ dici consilio; multitudini vero, ve-
„ luti populo aut civitati, aut genti in-
„ discriminatim integræ, nonnisi gratis-
„ sima & urgente necessitate, & in ca-
„ sibus per sacra Canonum Statuta præ-
„ scriptis cum debita Apostolicæ hujus

„ San-

„ Sanctæ Sedis reverentia a Quadrageſi-
„ mali jejunio diſpenſationem toties ,
„ quoties opus fuerit , concedendam ,
„ nec audacter ſidenterque uſurpandam ,
„ nec ſuperbe & arroganter ab Eccle-
„ ſia , ſicut alicubi in more poſitum eſ-
„ ſe accepimus , eſſe poſtulandam . Gra-
„ viſſimam vero urgentemque neceſſita-
„ tem , etſi non eſt , cur Vobis expli-
„ cemus , nolumus tamen Vos ignora-
„ re , *cum hujuſmodi neceſſitate & ſer-*
„ *vandam eſſe potiſſimum unicam come-*
„ *ſtionem* , ſicut alias hic Romæ , ac
„ Nos ipſi hoc anno urgentibus cauſis
„ diſpenſantes expreſſe præſcripſimus ,
„ & licitas atque interdictas Epulas pro-
„ miſcue minime apponendas eſſe . Por-
„ ro quemadmodum de ejuſmodi Indul-
„ gentia tam caute impertienda , ſi ſe-
„ cus fieret , Nos perſuaſum habemus ,
„ diſtrictam ſupremo divino Judici red-
„ ditum iri rationem , ita conſcientiam
„ uniuſcujuſque Veſtrum onerandam eſ-
„ ſe ducimus . Inſimul Fraternitates Ve-
„ ſtras rogamus , & in Domino exhor-
„ tantes obſecramus , ut populos , qui
„ communem omnium Chriſti fidelium
„ pœnitentiam , ac diſciplinam ſervare
„ nequeant , commonere ſatagatis , ne
„ per alia pietatis opera , ut ſua cui-
„ que devotio ſuggeret , peccata ſua ex-
„ piare , & Deo ſatisfacere negligant ;
„ quinimo ſanandis vulneribus , quibus
„ humana infirmitas ſauciatur , diligen-
„ tem adhibere ſtudeant curationem ,
„ ut culpas de mundano pulvere con-
„ tractas , dum caſta jejunia decoquere
„ non poſſunt , pia opera , orationum
„ ſuffragia , & eleemoſynæ munera re-
„ dimant . Interim ſolatium & levamen
„ non leve mœrori noſtro a paſtorali
„ vigilantia , & charitate veſtra præſto-
„ lantes ; ac certo Nobis pollicentes ,
„ Apoſtolicam Benedictionem cum ube-
„ ri cœleſtium chariſmatum copia con-
„ junctam in eoſdem populos veſtros re-
„ dundaturam , Vobis , Venerabiles Fra-
„ tres , peramanter impartimur . Vo-
„ lumus autem , ut præſentium tran-
„ ſumptis ſive exemplis etiam impreſ-
„ ſis , manu alicujus Notarii publici ſub-
„ ſcriptis , & ſigillo perſonæ in digni-
„ tate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis
„ eadem prorſus ubique fides adhibea-
„ tur , quæ præſentibus adhiberetur &
„ adhiberi poſſet , ſi forent exhibitæ vel
„ oſtenſæ . Datum Romæ apud Sanctam
„ Mariam Majorem ſub Annulo Piſca-
„ toris die trigeſima Menſis Maii mil-
„ leſimo ſeptingenteſimo quadrageſimo
„ primo , Pontificatus noſtri Anno
„ primo .

D. Cardinalis Paſſionæus.

BREVE II.

„ Venerabilibus Fratribus Patriarchis ,
„ Primatibus , Metropolitanis , Archie-
„ piſcopis , & Epiſcopis univerſis , gra-
„ tiam & communionem Sedis Apoſto-
„ licæ habentibus .

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabiles Fratres , Salutem & Apoſto-
licam Benedictionem .

„ IN ſuprema Univerſalis Eccleſiæ pro-
„ curatione meritis licet imparibus
„ per ineffabilem divinæ bonitatis abun-
„ dantiam ut Orthodoxæ fidei aſſerto-
„ res , ſic etiam Eccleſiaſticæ diſcipli-
„ næ cuſtodes ac vindices conſtituti ,
„ Quadrageſimale præſertim jejunium ,
„ quod *inter præcipua Orthodoxæ Diſci-*
„ *plinæ capita ſemper & ubique ab ipſo*
„ *Eccleſiæ exordio numeratum* eſſe nemo
„ ex Catholicis inficiatur , *ab hodiernæ*
„ *jejunantium corruptela vindicare , & in*
„ *priſtinam* , quantum benedicente Do-
„ mino fieri poſſet , *obſervantiam revo-*
„ *care cupientes* , per alias noſtras in ſi-
„ mili forma Brevis litteras ad Frater-
„ nitates veſtras die XXX. proxime e-
„ lapſi menſis Maii currentis anni da-
„ tas eximium Fraternitatum Veſtrarum
„ zelum excitandum curavimus , ut ad-
„ laborare ſtuderetis , ne hac in parte
„ & optatum Apoſtolicæ noſtræ ſollici-
„ tudinis angoribus levamen , & ſalu-
„ tare *abolendæ ſacratiſſimi Jejunii cor-*

„ *ruptelæ* remedium deesset. Quoniam „ autem paternæ pontificiæ charitatis, „ quæ novit imbecillitates infirmorum „ sustinere, atque etiam cum infirmantibus infirmari, non immemores, „ quemadmodum a Jejunio aliquando „ legitima causa, aut gravissima urgentique necessitate exigente dispensandum „ esse ex apostolica benignitate censuimus; *ita inter cætera præscripsimus unicam comestionem servandam*, & licitas atque interdictas epulas minime „ esse apponendas. *Hinc factum esse accepimus*, *quod non defuerunt*, *qui per humanas & hominibus a Christiana pœnitentia abhorrentibus duntaxat dignas illationes sibi aliisque persuadeant*, „ unicam potissimum comestionem servari, atque epulas licitas & interdictas minime apponi debere, cum multitudini quidem indiscriminatim ob urgentem gravissimamque necessitatem, „ non vero singulis ob legitimam causam & de utriusque medici consilio „ dispensatur. *Quam sane persuasionem a sententia nostra alienam*, ut ex omnium animis penitus evellamus, Nos „ quibuscunque quacunque occasione sive multitudini indiscriminatim ob urgentem gravissimamque necessitatem, „ sive singulis ob legitimam causam & „ de utriusque medici consilio, dummodo nulla certa & periculosa affectæ valetudinis ratio intercedat, & „ aliter fieri necessario exigat, in Quadragesimæ, aliisque anni temporibus „ & diebus, quibus carnium, ovorum, „ & lacticiniorum esus est prohibitus, „ dispensari contigerit, ab omnibus omnino, nemine excepto, *unicam comestionem servandam*, & licitas atque „ interdictas epulas minime esse apponendas tenore præsentium declaramus „ & edicimus; quemadmodum per singulas nostras in pari forma Brevis litteras singulis utriusque sexus Christi „ fidelibus ob corporis infirmitates, quibus obnoxii reperiuntur, in sacratissima Quadragesima, aliisque jejunio „ consecratis diebus vescendi prohibitis „ licentiam dantes, unicuique *expresse* „ *præscribimus atque præcipimus*. Eapropter Fraternitates vestras rogamus, „ atque in Domino obsecramus, ut populos vestræ curæ commissos ad tam „ opportunum sanandis vulneribus, quibus per humanam infirmitatem quisque sauciatur, sanctissimi jejunii remedium alacriter adhibendum cohortantes sedulo ac paterne moneatis, „ rem agi non quidem exiguam, sed „ longe gravissimam de observando sustinendoque Jejunio purificandis animis corporibusque salutari. In spem „ igitur illos erigite cœlestium præmiorum, quibus assequendis non sunt condignæ passiones hujus temporis, imo „ leve ac momentaneum non tribulationis, sed modicæ abstinentiæ nostræ „ incommodum magnum gloriæ pondus „ operatur in cœlis. Ab omnibus se „ abstinent, qui in agone contendunt, „ ut corruptibilem coronam accipiant; „ pudeat tam imbelles ac delicatos Christianæ militiæ milites refugientes a „ consortio Crucis Christi, qui coronam „ legitime certantibus propositam sperare præcipit incorruptam; ad cujus „ auspicium & pignus Fraternitatibus „ Vestris Apostolicam Benedictionem iisdem etiam populis vestris nostro nomine impertiendam peramanter elargimur. Volumus autem, ut præsentium transumptis sive exemplis etiam „ impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in „ dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus ubique fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur & adhiberi posset, si forent exhibitæ vel ostensæ. Datum Romæ a„ pud Sanctam Mariam Majorem sub „ Annulo Piscatoris die vigesima secunda mensis Augusti millesimo septingesimo quadragesimo primo Pontificatus Nostri anno secundo.

CA.

CAPUT II.

Referuntur Decreta aliorum Epiſcoporum, & Summorum Pontificum, diſpenſatos a cibis eſurialibus ad unicam refectionem conſimiliter obligantium.

NE cuiquam videatur, a SS. D.N. Benedicto XIV. novam obtrudi jejunandi formam, referam ex P. Daniele Concina variorum Epiſcoporum & Summorum Pontificum Decreta, idipſum, quod in duobus Brevibus præfatis continetur, dudum prius ſtatuentium.

I.

Eugenius IV. in Bulla: *Romani Pontificis*, data anno 1431. mitigans Regulam Carmelitarum ſic ſcribit: *Cum ſit nobis expoſitum, quod in certis Capitulis Regulæ fratribus dicti Ordinis traditæ cavetur expreſſe, quod Fratres prædicti Ordinis ab eſu carnium abſtineant, niſi pro infirmitatis vel debilitatis remedio ſumantur. Eiſdem etiam, qnod ſingulis diebus, Dominicis tantum exceptis, a feſto Exaltationis S. Crucis uſque ad feſtivitatem Reſurrectionis D. N. J. C. jejunare teneantur, præcipitur. -- Nos rigorem hujuſmodi mitigantes ordinamus & concedimus, quod dicti Ordinis profeſſores tribus duntaxat diebus ſingularum ſeptimanarum, etiam quibus, ut præfertur, jejunare juxta eandem regulam ſint adſtricti, carnibus veſci valeant.*

II.

Sixtus IV. in Bulla: *Dum attenta*: data anno 1476. ubi præfatam Bullam Eugenii IV. confirmat, manifeſte ſupponit, Carmelitas diſpenſatos ad eſum carnium non eoipſo a lege jejunii diſpenſatos eſſe; ſed ad hoc alia diſpenſatione, ubi in caſu particulari ratio diſpenſandi occurrerit, opus eſſe: ſic habet: „ Dum ab Eugenio IV. quadam „ temperie hujuſmodi rigorem tempe„ rante conceditur &c. Cum, ut etiam „ accepimus, ab aliquibus revocetur in „ dubium, an illis diebus, quibus eis „ uſus carnium conceditur, jejunare te„ neantur, pro eo, quod in conceſſio„ ne prædicta Eugenii non ſolum miti„ gationem abſtinentiæ, ſed relaxatio„ nem jejunii ab eodem Eugenio peti„ tam fuiſſe conſpicitur, & propterea „ Pius II. conceſſit, ut Prior generalis „ dicti Ordinis qui pro tempore foret, „ ſuper hujuſmodi jejunio poſſet diſpen„ ſare; Nos litteras Eugenii & Pii con„ firmamus concedentes, quod tu, di„ lecte fili Generalis, & tui in officio„ ſucceſſores, perſonarum, locorum, & „ temporum qualitate penſata, cum „ utriuſque ſexus dicti Ordinis profeſſo„ ribus ſuper præmiſſis tam jejunio quam „ carnium eſu diſpenſare valeas.

III.

Gregorius XIII. in Bulla Cruciata ad Luſitanos data expreſſe cavet, ut perſonæ particulares diſpenſatæ ad eſum carnium ſervent jejunium. *Præterea*, inquit, *indulgemus, ut dicto triennio durante carnibus de conſilio utriuſque medici jejuniorum tam quadrageſimalium quam quorumcunque diebus totius anni veſci poſſint, ac pro eorum debito* (nempe die Veneris & Sabbathi) *ovis & lacticiniis, ita quod, qui carnes comederint, ſervato in cæteris jejunio ſatisfeciſſe cenſeantur.*

IV.

Paulus V. D. Juliæ de Aragona Principiſſæ Rovellanæ indulſit facultatem veſcendi in Quadrageſima carnibus, addita tamen clauſula ſervandi jejunii.

V.

Cardinalis Paleotti in Synodo Bononienſi celebrata anno 1593. præcipit, ut, qui comederint carnes eo, quod ex piſcibus patiantur ſanitatis detrimentum, jejunent.

VI.

Priolus Patriarcha in Synodo Veneta celebrata anno 1594. dicit : *Sciant autem omnes, quod licet a delectu ciborum sint dispensati, se tamen adhuc jejuniorum observationi esse obstrictos, atque lethali peccato esse obnoxios, si ecis illicitis utentes non jejunaverint.*

VII.

Alexander VII. anno 1657. concessit Romanis facultatem comedendi quatuor diebus intra hebdomadem carnes, eo quod anno præcedente pestis vehementer depopulata fuerit urbem; simul tamen declarat, eos a se non eximi a præcepto jejunii. Verba Decreti latine reddita sic habent : „ Quamvis divina „ pietas dignata sit, fere totaliter re- „ vocare iræ suæ flagellum, justo judi- „ cio huic urbi immissum; quia tamen „ plaga nondum cessavit omnimode, ita „ ut periti medici timeant, cibis esu- „ rialibus alimentum præberi posse exi- „ guis contagionis scintillis adhuc resi- „ duis, paterna providentia SS. D. N. „ aliquantum mitigare voluit sanctum „ rigorem Quadragesimæ. Itaque Sua „ Sanctitas dispensat pro omnibus habi- „ tatoribus Romæ, ejus vinearum, & „ arcium, ut a prima Dominica Qua- „ dragesimæ inclusive usque ad Domi- „ nicam Palmarum exclusive ipsis liceat „ vesci lacticiniis, ovis, & carne qua- „ tuor diebus in quavis hebdomada, vi- „ delicet die Dominica, die Lunæ, Mar- „ tis & Jovis; ita tamen, ut in his „ tribus posterioribus diebus, quamvis „ concedat esum carnis, per hoc non „ intendat dispensare a jejunio; sed vult, „ ut hoc in suo vigore remaneat; sicut „ etiam dies Mercurii, & Veneris, & „ Sabbathi relinquit in perfecta obser- „ vantia ciborum esurialium & abstinen- „ tiæ.

VIII.

Idem Alexander VII. anno 1658. idem privilegium concedit Mediolanensibus & Neapolitanis, attamen cum obligatione ad jejunium.

IX.

Cardinalis Spinola in sua Synodo Basilicatana, & Fabianus Justinianus in Synodo Gajassensi consimili dispensationi consimilem obligationem annectunt.

X.

La Croix lib. 3. q. 240. num. 1269. de Episcopis, haud dubie etiam Germaniæ, testatur : *Hoc ipsum communiter declarant Episcopi dispensantes pro carnibus, se non aliter velle dispensare, quam relinquendo obligationem jejunii quoad refectionem unicam.*

XI.

Clemens XI. anno 1703. in Decreto pro observatione Quadragesimæ Romæ publicari solito apposuit sequentem n. 7. clausulam. *Qui ex justa causa non potest vesci cibis esurialibus, potest autem cum defectum supplere ovis & lacticiniis, non debet permitti, ut vescatur carnibus, quamvis salubribus, sed debet contentus esse ovis & lacticiniis, & observare jejunium : ad quam legem etiam tenentur illi, qui ex justa causa vescuntur carne salubri.* Verum cum ratione hujus clausulæ oriretur dubium, utrum esset *declarativa*, an *præceptiva*; ad illud punctum examinandum Summus Pontifex ordinavit Congregationem Theologorum & Canonistarum. P. Marchetti Jesuita præsentavit Papæ in una Scriptura collectim sensum sexaginta Doctorum in favorem clausulæ declarativæ. Horum voto accesserunt Consultores S. Officii & Examinatores Synodales Cardinalis Vicarii. Summus tamen Pontifex, cum pro tunc nollet definire controversiam,

pro

pro ſopiendis litibus mutavit verba; *Sono tenuti*; *tenentur*, in iſta; *ſiano tenuti*; *teneantur*.

Eodem anno 1703. Paulus Manfredi Protomedicus generalis Romanæ urbis, & totius Status Eccleſiaſtici promulgavit edictum, in quo conformiter ad expreſſam voluntatem Pontificis admonet omnes Medicos, ne eximant a jejunio illos, cum quibus ex rationabili cauſa diſpenſant ab abſtinentia ſola præciſe. *Nec per hoc*, inquit, *diſpenſent ab abſtinentia & jejunio ſimul eos, qui ad jejunium omni veſpere obligantur; hos enim Medici nec debent nec poſſunt eximere ab iſta obligatione alioquin ſalutari & utili, quamvis iis ratione ſanitatis concedatur eſus carnis, prout juxta expreſſum oraculum Summi Pontificis in ſuo edicto declarat Sua Eminentia*, videlicet Cardinalis Carpegna, Vicarius Clementis XI. in Urbe.

XII.

Petrus Barbarigo Patriarcha Venetus in ſua Synodo celebrata anno 1714. renovat pro ſua Diœceſi Decretum Pontificium, jam ante centum annos a ſuo Prædeceſſore Patriarcha Prioli conſtitutum. Verba Synodi ſunt iſta: *Diſpenſati autem omnes ſciant, quod licet a delectu ciborum ſint diſpenſati, ſe tamen adhuc jejuniorum obſervationi eſſe obſtrictos, atque lethali peccato eſse obnoxios, ſi eſcis illicitis utentes non jejunaverint.*

XIII.

Joſaphat Battiſtelli Epiſcopus Fuligniacenſis in ſua Synodo impreſſa Mutinæ anno 1724. & poſt diligens examen approbata a Summo Pontifice Benedicto XIII. ſuis ſubditis expreſſe præcipit obſervantiam jejunii, quando fuerint diſpenſati ab abſtinentia carnium.

XIV.

Franciſcus Pignatelli Cardinalis & Archiepiſcopus Neapolitanus idem Decretum inſeruit ſuæ Synodo Neapolitanæ anno 1726.

Amort Diſquiſit. Dogm.

XV.

Severinus Antonius Miſſini Epiſcopus urbis Sandoninenſis ex commiſſione Summi Pontificis anno 1736. concedit in ſua Diœceſi facultatem, tempore quadrageſimæ manducandi lacticinia & carnes. Conceſſionis tenor latine redditus ſic habet: „ Cum Sua Sanctitas conſideratis „ calamitoſis circumſtantiis præſentis „ temporis benigne indulſerit facultatem „ diſpenſandi ad eſum ovorum, lacticiniorum, ac etiam carnium pro noſtris Diœceſanis in proxima Quadrageſima, his proin permittimus, ut tempore præfato poſſint veſci ovis, & lacticiniis, & carne, exceptis tamen „ quoad eſum carnium diebus Mercurii, „ Veneris, & Sabbathi, & Dominica „ Palmarum, & tota Septimana ſancta. Cumque Sua Sanctitas hanc diſpenſationem noſtro arbitrio & conſcientiæ commiſerit, ſequendo exemplum ſanctæ memoriæ Clementis XI. „ intendimus diſpenſare cum conditione, ut obſervetur jejunium.

XVI.

Franciſcus Correrius Patriarcha Venetus in Synodo celebrata anno 1741. renovavit præceptum jejunandi pro diſpenſatis ad eſum carnium his verbis. „ Jejunium, quod, ut ait Auguſtinus, remedium eſt aut præmium, hoc eſt, „ aut indulgentiam peccatorum, aut „ præmium regni cœleſtis acquirit, in „ Evangelicis & Apoſtolicis litteris, totoque Inſtrumento, quod appellatur „ novum Teſtamentum, præceptum eſt. „ Statuit autem Eccleſia, quibus temporibus jejunandum ſit; & utinam ſacratiorem jejunii ſolennitatem, quæ „ quadrageſima dicitur, qua decet, religione ac pietate, Chriſti fideles peragerent. Ne igitur reatum illam violandi contrahat, quæ a ſæculo, & „ multo etiam ante ſemper in noſtris „ Diœceſanis Synodis tradita ſunt, iterum vulgamus, ut ſciant fideles diſ-

„ pensati a delectu ciborum, se tamen „ jejuniorum observatione esse adstrictos, „ atque lethali peccato obnoxios, si escis „ illicitis utentes non jejunaverint; pro „ personarum tamen qualitate, ætate, „ & indigentia. Cum igitur non omnes cibis quadragesimalibus uti possint toto tempore quadragesimæ, & „ dispensatione opus habeant, dispensatio qualis esse debeat, & quomodo ea „ uti possint, Medici officium est scire, & clientes suos instruere. Nos „ autem, quoad Medicorum attestationes, præcipimus, ne ulla admittatur, „ nisi sit juramento firmata, & nisi sit „ Medici sanctam Catholicam Religionem profitentis, qui certam habeat „ scientiam de causa dispensationis. „ Deinde nulla pariter a nemine recognoscatur ad effectum dispensandi, præter nos, nisi a D. Vicario nostro Generali, atque ab iis, quibus specialiter pro tempore, recurrente quadragesima, facultatem pariter dispensandi indulgebimus. Immo etiam pro „ majori populi commodo concedimus „ infrascriptis, ut si ipsis exhibeantur „ hujusmodi generis attestationes, dispensent; dispensantes autem addant, „ quod dispensati servent jejunium ad „ normam Constitutionum nostrarum Synodalium.

XVII.

Ecclesia Aquilejensis in Synodo celebrata anno 1742. sic decernit: „ A jejunio dispensari neminem, nisi urgens „ necessitas, imbecilla ætas, ac morbus excuset, ac de his judicium parochi „ petendum esse. Quod vero ad valetudinis causam attinet, tempore Quadragesimæ habita prius Medici attestatione, dispensandi facultatem in „ hac urbe nobis, nostroque Vicario reservamus, extra vero Archidiaconis, „ Vicariis foraneis, & parochis tribuimus. -- Exemplis tamen Alexandri „ VII. & Clementis XI. inhærentes declaramus, neminem in nostra Diœcesi ita dispensatum iri a cibis quadragesimalibus, ut vescens salubribus „ carnibus jejunium servare non debeat, „ nisi excuset valetudinis imbecillitas, „ quod & confessarios scire, & iis, qui „ dispensantur, significari a dispensantibus volumus.

CAPUT III.

Refertur Edictum quadragesimale Em. Cardinalis Guadagni Vicarii Generalis Romæ anno 1741.

„ FR. JOA. ANTONIUS Tit S. Mar„ tini de' Monti, S. R. E. Presbyter „ Cardinalis Guadagni Suæ Sanctita„ tis Vicarius Generalis &c.

„ UT tempus quadragesimale operi„ bus pœnitentiæ consecratum, „ & propterea ab Ecclesia dictum tem„ pus acceptabile, dies salutis, omnibus „ fidelibus serviat ad conscientiarum expiationem remota omni occasione scandali aut dissolutionis, quod specialiter obtinetur per præceptum abstinentiæ & jejunii, Sua Sanctitas indefesso zelo semper intenta ad salutem animarum, vivæ vocis oraculo mihi „ injunxit, ut publicarem præsens edictum, in quo primo fideles animantur ad exercendos actus Christianæ „ pietatis, ad vitanda peccata, ad augendas orationes ac eleemosinas, & ad „ hoc tempus jejunii sanctificandum a„ liis bonis operibus, utpote a divino „ Redemptore suo exemplo institutum; „ prout etiam S. Leo Papa his verbis „ admonet: Non in sola abstinentia cibi stat nostri summa jejunii, nisi mens „ ab iniquitate revocetur.

„ Dein cum ob notoriam penuriam „ olei & ciborum quadragesimalium judicatum fuerit, non posse in proxima „ Quadragesima practicari rigorosam abstinentiam ciborum prohibitorum, Sua „ Sanctitas ex paterna commiseratione „ cum suis amantissimis subditis benigne indulget, ut omnes habitatores „ Romæ, & vinearum suarum, & prædiorum eo tempore vesci possint o-

„ vis,

„ vis ; & lacticiniis , exceptis diebus „ Veneris & Sabbathi , & quatuor Tem„ porum , incipiendo a prima Domini„ ca Quadrageſimæ incluſive uſque ad „ Dominicam Palmarum excluſive. De„ clarat tamen Sua Sanctitas , quod per „ dictam diſpenſationem ad eſum ovo„ rum & lacticiniorum non intendat „ tollere obligationem jejunii , ſed eam „ a ſe concedi cum expreſſa conditio„ ne , ut , qui illam ſibi valere volue„ rit (concederla a chi vorrà valerſe„ ne) debeat jejunium exacte obſerva„ re . Vult etiam , ut illa diſpenſatio „ ſe extendat ad omnes Religioſos u„ triuſque ſexus , exceptis illis , qui ſub „ voto ſe obligarunt ad cibos quadra„ geſimales .

„ Sed quia pro ſpeciali indiſpoſitione „ aut infirmitate quarundam perſona„ rum non poteſt ſufficienter provideri „ per diſpenſationem ad eſum ovorum „ & lacticiniorum , ſed ab iis etiam ex„ igitur eſus carnium ſalubrium , Sua „ Sanctitas etiam in hoc propenſa ad „ relevamen ſubditorum , inhærendo di„ ſpoſitioni Sacri Concilii Tridentini , „ & Edictis alias pro obſervantia Qua„ drageſimæ publicatis mihi injunxit præ„ ſcribendi perfectam obſervantiam eo„ rum , quæ ſequuntur.

„ 1. Ut nemo durante hoc tempore „ vendat aut diſtribuat carnes in ullo „ hujus almæ urbis loco , niſi in macel„ lis deſignatis pro infirmis , valetudi„ nariis , aut debilibus (maſſani) , & „ carnes ſint ex earum ſolum genere , „ quæ vocantur ſalubres , nempe verve„ cina , vitulina , & hœdina (di Caſtra„ to , vitella , e capretto) Atque ut tol„ latur omnis umbra ſcandali , ac remo„ veatur publica expoſitio illarum car„ nium , non debent collocari extra ma„ cellum , ſed intro , ita ut non appa„ reant in publico : & ut hoc obſerve„ tur , laniones deputati in prima heb„ domada Quadrageſimæ more ſolito ſe „ ad hoc obligent in Secretaria noſtri „ Tribunalis ſub pœna infraſcripta .

„ 2. Qui comparant præfatas carnes „ pro infirmis , aut debilibus , eas ad „ evitandum ſcandalum geſtent tectas , „ ut non videantur .

„ 3. A nemine vendantur , aut per „ urbem palam geſtentur præfatæ aut „ aliæ carnes , etiam eæ , quæ ſunt ex „ venatione , aut carnes ferinæ , multo „ minus porcinæ .

„ 4. Venditores volatilium , & ii qui „ ſolent vendere carnes ferinas , & vo„ latilia ſylveſtria , eas ſervent in offi„ cinis , ita tamen ut non videantur in „ publico ; & ſolum illæ , quæ juxta te„ ſtimoniales Protomedici poſſunt annu„ merari carnibus ſalubribus ; non vero „ aliæ .

„ 5. Ut nemo cujuſcunque ſtatus , „ gradus , & conditionis comparet , aut „ faciat comparari , aut comedat quod„ vis genus carnium ſine licentia juxta „ formam a Nobis præſcriptam , quæ „ ipſi inſinuata fuerit a parocho . Hæc „ licentia primo ſcribi debet propria „ manu Medici ordinarii , qui ſe ſub„ ſcribat , in lingua vulgari , & quidem „ per omnia gratis , ſine exactione aut „ petitione ullius emolumenti , ſub pœ„ na decem ſcutorum aureorum , quo„ rum medietas applicetur accuſatori , „ altera piis locis . Dein debet ſubſcri„ bi a proprio infirmorum aut debilium „ parocho , conſimiliter gratis , ſub pœ„ na ſuperius dicta . Deinde portetur „ pro ſubſcriptione ad unum infra deſi„ gnandorum Reverendiſſimorum Pa„ trum , quorum requirimus propriam „ ac perſonalem induſtriam , ut conſi„ derent præfatam licentiam , & ſi vi„ derint , non obſervatam eſſe conſue„ tam formam , non ſubſcribant.

„ Monetur quilibet Medicus & Pa„ rochus , quod , ſi præfatas licentias „ ſubſcribant ſine legitima cauſa , aut „ ſi illas exhibeant & præſentent alicui „ non conſiderando , an habeat ſufficien„ tem cauſam , præterquam quod fiant „ alienorum peccatorum participes , in „ quo gravabitur eorum conſcientia , „ ſint puniendi ad noſtrum arbitrium „ etiam pœnis corporalibus , prout ſtri„ cte inculcatum eſt Protomedico.

„ 7. Admonentur tam Medici , qui

„ dant præfatas licentias, quam illi, „ qui eas recipiunt, quod carnes salubres solum indulgeantur iis, qui non „ possunt vesci cibis quadragesimalibus „ ex causa rationabili. Hinc nec debent concedi talibus, nec usurpari „ carnes, etiamsi salubres, si qui propriæ sanitati providere possunt vescendo ovis & lacticiniis. Interea *sepositis disputationibus Theologicis, usque dum fiat formalis decisio hujus controversiæ* (lasciate per ora da parte le dispute Teologiche fino alla loro formale decisione) vult sua Sanctitas, ut, qui voluerit uti licentia comedendi carnes, debeat omnino observare jejunium, & expresse intendit, ut illæ licentiæ concedantur sub conditione, ut, qui eas obtinent, debeant observare ipsum jejunium. Denique, si per totum annum abstinent a carnibus diebus Veneris, & Sabbathi, & quatuor temporum, & in Vigiliis de præcepto, multo magis debent talem abstinentiam observare in præfatis diebos Quadragesimæ non obstante, quam obtinent licentia, nisi in casu particulari circumstantiæ aliud exigerent: cumque in particulari non possit dari certa regula, quilibet considerare debet suam necessitatem & indispositionem, ne sint affectatæ, quia de hoc strictissimam reddet rationem coram tribunali divino, ubi non poterit se excusare per licentiam per causas suppositicias aut fictas extortam. Hinc bene perpendant, quod non decipiant parochos, sed semetipsos, & animas eorum, quorum exponunt indispositiones non veras, sed coloratas pro obtinenda præfata licentia.

„ 8. Caupones Tabernarii, diversariorum & domuum præfecti, & quicunque alii cujuscunque status & conditionis non permittant nec tolerent, ut in eorum cauponis, tabernis, diversoriis, & domibus coquantur aut manducentur cujusvis generis cibi prohibiti non solum tempore quadragesimæ, sed nec aliis diebus, in quibus „ a Sancta Romana Ecclesia prohibentur, nisi pro infirmis aut debilibus „ præhabita licentia, ut supra dictum „ est; idque sub pœna in transgressores in quolibet casu per hoc nostrum „ Edictum comprehenso viginti quinque „ scutorum, & trium tractuum chordæ, & aliarum pœnarum ad nostrum „ arbitrium juxta qualitatem personarum.

„ 9. Ordinamus, ut per totum tempus quadragesimale nemo cujuscunque „ status, gradus, & conditionis instituat, aut assistat conversationibus vel „ aliis conventibus, ubi fiunt saltus musici (dove si faccino suoni e balli) „ vel musicæ saltatoriæ, utque nemo „ Romæ per noctem in plateis circumeat sonando, vel cantando, aut consistendo producat symphonias noctur „ nas, sub pœnis supradictis.

„ Denique, cum plurimum rationabile & juxta debitum sit, ut qui præfato Indulto utitur, supremo Domino tributum rigorosæ abstinentiæ compensetur in alia forma, specialiter in ea, quam D. Chrysostomus insinuat, ut *largiorem det eleemosynam, fervention sit in precibus, majorem habeat alacritatem in audiendis divinis eloquiis, inimicis reconcilietur*, admonentur omnes, ut per hoc tempus præfata opera pietatis exerceant, præsertim frequentent sancta Sacramenta, divinis Sacrificiis assistant, Hospitalia & infirmos visitent, ut sic se ad celebrationem sanctæ Paschatis digne præparent, &c. Datum Romæ ex nostra „ solita Residentia 3. Februarii 1741.

A. G. Cardin. Vicarius.

Casparus Ori Secretarius.

In hoc Edicto bene notari merentur illi termini, qui num. 7. ponuntur, *usque dum fiat formalis decisio hujus controversiæ*. Itaque jam tunc secutura aliquando definitio cogitabatur; eam vero in duobus Brevibus Apostolicis secutam esse, res ipsa loquitur, prout in sequentibus videbimus.

CA-

CAPUT IV.

Quod Summus Pontifex intendat, omnes Epiſcopos obligare ſub peccato mortali, ut in diſpenſationibus ad eſum carnium apponant clauſulam unius Refectionis?

CErtum eſt 1. Epiſcopos habere poteſtatem, in caſu particulari, ubi ſufficiens ratio exigit, non ſolum diſpenſandi ad eſum carnium, ſed etiam ad duplicem refectionem. Cum enim in aliis legibus Eccleſiaſticis, in quibus diſpenſatio non reperitur eſſe ſpecialiter reſervata Summo Pontifici, habeant poteſtatem diſpenſandi, non eſt ratio, eam poteſtatem illis denegandi in materia jejunii. Ac ſane, cum in omnibus legibus intentio legislatoris ſit anima legis; legalis autem intentio legislatoris univerſim ea accipienda ſit, quam legislator ſic exigente bono communi non tantum ad melius eſſe, ſed neceſſario in ordine ad obtinendos præſtabilitos fines debuit habere, cuivis manifeſtum eſt, Eccleſiam voluiſſe Epiſcopis relinquere eam diſpenſandi poteſtatem, cum in caſibus particularibus, præſertim e locis remotioribus, non poſſit ſine gravi incommodo ſemper pro diſpenſatione recurri ad Summum Pontificem. Ex quo ſequitur, bonum commune Eccleſiæ, & fines præſtabilitos id exigere, ut Eccleſia ponendo legem jejunii habeat intentionem Epiſcopis relinquendi præfatam poteſtatem diſpenſandi.

Certum eſt 2. Rationem ſufficientem diſpenſandi non cenſeri moralem impotentiam obſervandi legem; ubi enim in legibus humanis certo intercedit moralis impotentia obſervandi, non eſt opus diſpenſatione, ſed per ſe ceſſat obligatio legis. Sed ratio ſufficiens diſpenſandi cenſetur tunc dari, quando aut moralis impotentia obſervandi legem eſt dubia, aut quando in obſervatione reperitur tam gravis difficultas, ut conſideratis materia legis, & aliis circumſtantiis legislator merito cenſeatur, talem caſum noluiſſe comprehendere ſub generali diſpoſitione legis, ſi de hoc caſu cogitaſſet, aut eum exprimendum duxiſſet. Itaque ſi alicubi reperiretur ferme generalis difficultas non ſolum circa modum jejunii per cibos eſuriales, ſed etiam circa ipſam ſubſtantiam jejunii quoad refectionem unicam, eaque difficultas foret tanta, ut Eccleſia conſideratis motivis pro & contra merito cenſeatur pro tali loco, tempore, & circumſtantia perſonarum nolle urgere legem jejunii, eoipſo Epiſcopis competeret poteſtas diſpenſandi etiam quoad ſubſtantiam jejunii. Quia tamen diſpenſatio non eſt abrogatio legis, ſed tantum ab ordinaria obſervantia ſingularis exceptio, eoipſo patet, non poſſe in materia jejunii eas difficultates haberi pro ratione ſufficienti diſpenſandi a ſubſtantia jejunii, quæ ſunt adeo frequentes, ut, ſi attenderentur in ordine ad diſpenſationem, inducerent potius ad omnimodam abrogationem legis, quam ad diſpenſationem. His prænotatis.

Dico 1. Summus Pontifex non intendit obligare Epiſcopos ſub peccato mortali ad apponendam unius refectionis clauſulam in caſu, quo certa & periculoſa affectæ valetudinis ratio interveniens aliud fieri neceſſario exigit. Eam ſuam mentem Summus Pontifex palam aperit in Brevi ſecundo his verbis: *Nos quibuſcunque, ſive multitudini indiſcriminatim, ſive ſingulis, dummodo nulla certa & periculoſa affectæ valetudinis ratio intercedat, & aliter fieri neceſſario exigat, diſpenſari contigerit, unicam comeſtionem ſervandam declaramus & edicimus.* Eadem intentio Apoſtolici colligitur ex eo, quia Summi Pontifices non ſolent in forma Brevium generaliter pro tota Eccleſia omnibus Epiſcopis tollere partem fuæ poteſtatis notabilem, indubitato illis competentem; hujuſmodi enim poteſtatis reſtrictio, ſicut indiget ſpeciali examine, ita indiget ſpecifica expreſſione & ſolennitate. Cum ergo Epiſcopi antecedenter ad iſta duo Brevia habuerint indubitato poteſtatem, in caſu poſito diſpenſandi etiam quoad ſubſtantiam jejunii, non erat intentionis Apoſtolicæ,

cæ, hanc illis tollere. Cæterum, an tempore contagioſorum morborum in Diœceſi graſſantium, locum habeat ille ipſe caſus, ut poſſit indulgeri generalis diſpenſatio a ſubſtantia jejunii, ex dicendis *Concluſ.* 2. quiſque colligere poterit.

Dico 2. Summus Pontifex ſaltem declarative omnes Epiſcopos obligat requirendi unicam refectionem a diſpenſatis ad eſum carnium, niſi in ſolo caſu, quo in perſona particulari certa ac periculoſa affectæ valetudinis ratio aliud poſtulat. *Dixi* 1. *declarative*, ideſt, declarando obligationem Epiſcoporum, independenter ab iſtis duobus Brevibus jam antecedenter ex jure divino vel Eccleſiaſtico muneri Epiſcopali annexam; & allegando præcipua fundamenta hujus obligationis. *Dixi* 2. *niſi in ſolo caſu, &c.* Quo denotatur, Epiſcopis non competere poteſtatem per diſpenſationem generalem diſpenſandi in ſubſtantia jejunii, ſeu refectione unica, ſed hoc neceſſario relinquendum eſſe privatorum judicio, cum conſilio parochi vel confeſſarii, ſi haberi poſſit, an in perſona particulari cujuslibet propria certa & periculoſa affectæ valetudinis ratio aliud neceſſario exigat.

Ratio concluſionis petitur ex ipſo tenore Brevium, in quorum utroque Pontifex generaliter *declarat*, nunquam ab Epiſcopis diſpenſandum eſſe ab una refectione, niſi ubi *affectæ valetudinis ratio aliud exigit*, qui termini non cadunt congrue in integram communitatem, ſed tantum in perſonas ſingulares. In priori Brevi dicit: *Notum faciatis, nemini ſine legitima cauſa; multitudini vero indiſcriminatim nonniſi graviſſima & urgente neceſſitate a quadrageſimali jejunio diſpenſationem concedendam eſſe. --- Nolumus tamen vos ignorare, cum hujuſmodi neceſſitate & ſervandam eſſe potiſſimum unicam comeſtionem. In altero* Brevi dicit: *Accepimus, quod non defuerunt, qui ſibi aliiſque perſuadeant, unicam potiſſimum comeſtionem ſervari debere, cum multitudini indiſcriminatim, non vero* (ubi) *ſingulis diſpenſatur. Quam perſuaſionem a ſententia noſtra alienam ut evellamus, Nos quibuſcunque quacunque occaſione ſive multitudini indiſcriminatim ſive ſingulis, dummodo nulla certa & periculoſa affectæ valetudinis ratio intercedat, & aliter fieri neceſſario exigat, diſpenſari contigerit, ab omnibus nullo excepto unicam comeſtionem ſervandam eſſe declaramus & edicimus.*

Fundamenta autem obligationis, & declarationis Summus Pontifex inſinuat ſequentia. 1. Quia iſta praxis diſpenſandi ab una refectione ad geminam tempore Quadrageſimæ & quatuor temporum eſt diſſona ad perpetuam obſervantiam Eccleſiæ uſque ad ſæculum XVII. 2. Quia jejunium eſt Chriſto & Eccleſiæ medium moraliter neceſſarium ad fines a Deo præſtabilitos, abſolute immobiles, nempe ad purificandas animas, refrænandas concupiſcentias, placandam iram divinam, præſtandam ſatisfactionem pro peccatis, portandam cum Chriſto crucem diſcipliuæ, &c. 3. Quia jejunium ſaltem quadrageſimale eſt ab ipſis Apoſtolis traditum, a Conciliis ubique præſcriptum, & ab Eccleſia per modum legis ſacratiſſimæ acceptatum. Hujuſmodi autem leges non decet reſolvi generaliter pro integris Diœceſibus quorumvis Epiſcoporum arbitrio præciſe ob difficultates eaſdem, quas tot antecedentibus ſæculis priores Chriſtiani habuerunt, nec tamen ad ſolvendum jejunium attenderunt. Tria hæc obligationis fundamenta ſuæ *ſententiæ* & *declarationis* Summus Pontifex inſinuat ſequentibus verbis: *Non ambigimus, quin univerſis notum ſit, a tota Eccleſia inter præcipua orthodoxæ diſciplinæ capita perpetuo annumeratum retineri quadrageſimale jejunium, quod ab Apoſtolis traditum, a Sacris Canonibus ubique præſcriptum, & ab univerſali Eccleſia ab ipſo ſui primordio retentum & obſervatum eſt. Hoc nimirum, ut veteres tradidere Patres, nobis quotidie peccantibus communis pœnitentiæ conſtituto remedio, per conſortium crucis Chriſti ad recolenda redemptionis & Paſſionis myſteria, purificatis jejunio corporibus & animis dignius paramur.*

Hoc

Hoc veluti noſtræ militiæ teſſera ab inimicis crucis Chriſti ſecernimur, flagella divinæ ultionis avertimus, & cœleſti præſidio adverſus principes tenebrarum munimur. Hoc deſpectui habito non contemnendum divinæ gloriæ detrimentum, non leve Catholicæ Religioni dedecus, nec dubium animabus Chriſti fidelium periculum oboritur; nec aliunde populis calamitates exitiumque importatum eſſe conſtat. ---- Nos ſane ſatis deplorare non poſſumus, auguſtiſſimam quadrageſimalis jejunii obſervantiam ob nimiam diſpenſandi facilitatem ſublatam eſſe, ita ut hæreſum cultores illudant & exultent. Pernitioſæ huic corruptelæ plurimorum licentiam adjunctam eſſe graviter dolemus. -- Eapropter facere non poſſumus, quin ad congruentes hujuſmodi abuſibus penitus extirpandis leges præſcribendas meditemur. -- Igitur omnibus notum faciatis, nemini ſine legitima cauſa, multitudini vero nonniſi graviſſima & urgente neceſſitate diſpenſationem concedendam eſſe -- nolumus autem vos ignorare, cum hujuſmodi neceſſitate & ſervandam eſſe potiſſimum unicam comeſtionem. Porro, quemadmodum, ſi ſecus fieret, Nos perſuaſum habemus, diſtrictam divino Judici redditum iri rationem, ita conſcientiam uniuſcujuſque Veſtrum onerandam eſſe ducimus &c.

In Brevi ſecundo dicit: „ Quadrageſimale jejunium, quod inter præcipua orthodoxæ diſciplinæ capita ſemper & ubique ab ipſo Eccleſiæ exordio numeratum eſſe nemo ex Catholicis inficiatur, ab hodierna jejunantium corruptela vindicare, & in priſtinam, quantum fieri poſſet, obſervantiam revocare cupientes --- præſcripſimus, unicam comeſtionem ſervandam. Hinc accepimus, quod non defuerunt, qui per humanas & hominibus a Chriſtiana pœnitentia abhorrentibus duntaxat dignas illationes perſuadeant, unicam comeſtionem ſervandam, cum multitudini indiſcriminatim, non vero (cum) ſingulis diſpenſatur. Quam perſuaſionem, ut ex omnium animis penitus evellamus, quibuſcunque, quibus diſpenſari contigerit, unicam comeſtionem ſervandam eſſe declaramus atque edicimus. -- Eapropter rogamus, ut populos ad tam opportunum ſanandis vulneribus jejunii remedium adhibendum cohortantes ſedulo ac paterne moneatis, rem agi non quidem exiguam ſed longe graviſſimam de obſervando jejunio purificandis corporibus animiſque ſalutari &c.

Hæc omnia oſtendunt, a Summo Pontifice jam præſupponi obligationem urgendi unicam refectionem, fundatam in ipſa natura præcepti, quam duobus Brevibus explanat.

Dico 3. Obligatio, quam Summus Pontifex Epiſcopis imponit ad annectendam unius refectionis clauſulam in caſu, eſt obligatio gravis adſtringens ſub reatu peccati mortalis.

Ratio eſt, quia univerſim in omnibus legibus intentio legislatoris obligandi ſub gravi poteſt ſufficienter agnoſci vel ex ſubjecta materia legis, eo quod petat præcipi vel prohiberi ſub gravi; vel poteſt deſumi ex tenore legis, eo quod forma loquendi non ſoleat adhiberi in aliis præceptis leviter obligantibus. Jam vero in hoc unius refectionis mandato tam verborum tenor, quam ſubjectæ materiæ gravitas inſinuant obligationem gravem. Dicit namque Summus Pontifex, eos Epiſcopos, qui hanc cautelam ſeu clauſulam in ſuis diſpenſationibus neglexerint, *diſtrictam ſupremo divino judici reddituros eſſe rationem*, qui modus loquendi eſt comminativus gravis pœnæ. Addit, ſe eatenus *onerare cujuslibet Epiſcopi conſcientiam*, quod *onus* conſcientiæ non reperit locum in obligatione levi; nec enim ſolent obligationes leves vocari *onus* & *gravamen conſcientiæ*. Dicit Pontifex ſe propterea magnis *curis*, *ſollicitudinibus* & *angoribus* urgeri adferendam legem, contrarium uſum vocat *corruptelam abolendam*, & opinionem oppoſitam contendit *ex omnium animis evellendam*. Quod attinet ſubjectam materiam legis, proteſtatur, rem agi *non exiguam*, ſed *longe graviſſimam*; declarat, hoc eſſe *diſtinctivum Eccleſiæ* Catho-

tholicæ a carnalibus Sectis horum novissimorum temporum; monet, hoc punctum negligi non posse sine magno Ecclesiæ *dedecore ac detrimento*, atque hæreticorum risu: ostendit, hoc uniusrefectionis requisitum esse substantiale jejunio, quo corruente corruat ipsum jejunii tam sancte a temporibus apostolicis *semper & ubique observati* munimentum; denique insinuat, in hoc jejunii modo haberi medium moraliter necessarium ad fines a Deo præstabilitos immobiles, nempe *ad purificandos animos*, ad refrænandas concupiscentias, ad pœnitentiam demonstrandam, ad vindictam divinam a populis avertendam, ad mysteria sobrie intelligenda, & digne percipienda, &c. Hæc omnia simul sumpta non possunt non exigere ac formare in mente Ecclesiæ & Summi Pontificis intentionem obligandi graviter ad promulgandam atque inculcandam fidelibus unius refectionis clausulam; ut proin dubitari nequeat, Summum Pontificem habuisse animum, Episcopis in hoc puncto gravem obligationem, quam Ecclesia dudum imposuit, non solum declarandi, sed, si opus foret, etiam de novo injungendi.

CAPUT V.

Responsiones quorundam frivolæ, quibus authoritatem duorum Brevium Pontificiorum imminuunt, refelluntur.

Objiciunt 1. Summum Pontificem in his duobus Brevibus non fuisse locutum ex Cathedra, sed tantum per modum Doctoris privati.

Respondeo. Imperitam plane esse hanc exceptionem contra observantiam Brevium. Ubi enim versamur in materia præcepti, non in materia fidei, Summus Pontifex neque loqui solet ex Cathedra, nec per modum Doctoris privati, sed per modum Summi Ecclesiæ capitis habentis authoritatem præcipiendi vel prohibendi; loquitur per modum legislatoris supremi, aut per modum authentici legum Ecclesiæ universalium interpretis. Quando Reges, Principes, Vicereges, regnorum Vicarii, Reipublicæ supremi Magistratus, Suprema tribunalia leges ponunt novas, aut declarant antiquas, vis obligandi in actu secundo non dependet ab ullo infallibilitatis dono, aut ab intellectus speciali sapientia, sed a nuda voluntate imperantis aut declarantis.

Dices: Ubi Legislator dat rationem mandati, licet opponere exceptionem, si fallat ratio falso nixa suppositio.

Respondeo. Si ratio legis per Legislatorem expressa nitatur *suppositio facti* notorie falso, licet opponere exceptionem, sed legislatori, ut solvat vinculum legis; non vero licet, semetipsum eximere ab observantia legis, si servari potest sine damno, aut cujusquam injuria. Econtra si ratio per Legislatorem expressa nitatur solum *suppositio juris* humani ad summum *dubio*, non licet opponere exceptionem, quia suprema potestas ferendi aut delcarandi leges, quæ in legislatore, vel in authentico legum interprete ponitur, supplet omnem, si quis forte irrepsisset, defectum juris. Jam vero in præsenti agitur de jejunio, quod est juris humani Ecclesiastici, cujus sine dubio authenticus interpres est Summus Pontifex; Neque etiam cuiquam irrogatur damnum aut injuria, si observetur. Sive ergo ponatur, Pontificem, non pensando locorum, regionum, temporum, aut personarum circumstantias errare in *suppositio facti*, & *facultatis* facilis observantiæ; sive ponatur errare in *suppositio juris* supponendo falso necessitatem, intentionem, antiquitatem, dignitatem, observantiam, aut universalitatem illius veteris, quam declarat, legis, non licebit privato, semetipsum eximere, aut Episcopo particulari suos absolvere ab observantia legis Pontificiæ. Quod si locorum aut regionum generales circumstantiæ nimis difficilem reddant observantiam præcepti, habent suum recursum ad Supremum caput Ecclesiæ, ad centrum unitatis, ut vel relaxet, vel dispensetur a lege. Hæc ita requiri ad perpetuam Hierar-

rarchiæ Eccleſiaſticæ ſubordinationem ſervandam & confervandam, nemo non videt, ſi vel parum attentionis admoverit.

Objicitur 2. Summus Pontifex in his duobus Brevibus neque agit perſonam Supremi Legislatoris, neque fungitur officio authentici legum Eccleſiæ univerſalium Interpretis. Ergo liberum eſt Epiſcopis, illam unius refectionis clauſulam in ſuis Diœceſibus urgere vel non urgere. Quod Pontifex nolit toti Eccleſiæ præſcribere legem per modum Supremi Legislatoris, colligitur ex ſequentibus; 1. quia mentis ſuæ declarationem non dirigit ad omnes fideles in forma Bullæ, prout tamen in præceptis generalibus fieri ſolet; nam in hoc ipſo conſiſtit diſcrimen Bullarum & Brevium, quod iſta non ſoleant dirigi ad totam Eccleſiam; illæ autem ſolennius uſurpari potiſſimum ſoleant ad totam Eccleſiam. 2. quia in his duobus Brevibus Pontifex Epiſcopos ſolum *rogat*, & *exhortatur*, ut præſcribant vel urgeant unius refectionis clauſulam, non vero utitur termino *præcipimus*, prout alias conſuevit in aliis Brevibus continentibus præceptum ad Epiſcopos. Ille autem modus *rogandi* & *exhortandi* moderatione plenus imbibitam ſolet habere conditionem: *Si circumſtantiæ & difficultates particulares ſinant*: conſequenter relinquit rogatis libertatem, agendi ſine offenſa rogantis juxta circumſtantiarum & difficultatum particularium exigentiam. 3. quia Pontifex hanc ſuam declarationem non vocat *legem*, ſed tantum *ſuam ſententiam*. *Quam perſuaſionem*, inquit, *a ſententia noſtra alienam*. 4. quia ubi orationem ſuam convertit ad omnes fideles, ſolum utitur terminis *Declaramus*, *edicimus*: econtra, ubi adhibet terminos; *præſcribimus atque præcipimus*, non agit de agendis & obſervandis in futurum a tota Eccleſia, ſed de eo, quod ipſe Pontifex hactenus obſervare conſuevit in diſpenſationibus particularibus locorum, vel perſonarum ſingularium a ſe conceſſis: *Quemadmodum*, inquit, *per ſingulas noſtras in pari forma Brevis litteras ſingulis fidelibus ob corporis infirmitates licentiam dantes præſcribimus atque præcipimus*: ponit ergo *exemplum* a facto proprio Epiſcopis; non *legem* ex plenitudine poteſtatis pro fidelibus. 5. quia ubi agitur de ferenda vel authentice interpretanda univerſali lege, Summi Pontifices ſolent procedere mature, atque idipſum inſerere ſuis litteris Apoſtolicis, quod præmiſſo maturo examine, invocato Spiritu Sancto, conſulto Cardinalium Collegio, requiſito Theologorum conſilio in eam demum reſolutionem venerint. Cum ergo nil horum appareat in duobus Brevibus Apoſtolicis, ſignum eſt, Summum Pontificem verſari voluiſſe intra limites rogantis, exhortantis, conſulentis; non vero ab eo ſuſceptum fuiſſe officium, in re tanti momenti legem univerſalem erigentis.

Quod vero Summus Pontifex neque intenderit, authentice pro tota Eccleſia interpretari legem quadraſimalem Eccleſiæ, exinde colligitur 1. quia non dicit, ſe declarare legem, ſed tantum declarare ſuam mentem de eo, quod in poſterum faciendum eſt. 2. quia declaratio authentica legis pro tota Eccleſia juxta leges prudentiæ requireret maturum examen, conſultationem cum Collegio Cardinalium, Theologorum conſilia, quæ in hoc articulo non præceſſerunt; alioquin id exprimeretur. Ergo relinquitur, declarationem Pontificiam eſſe præciſe Doctoralem.

Reſpondeo. Summum Pontificem in his duobus Brevibus referre perſonam & Legislatoris, & authentici Interpretis, eo quod conjungat modum declarativum cum modo præceptivo. Authenticum Interpretem agit, ubi dicit: *Tenore præſentium declaramus*. Doctor enim privatus rationibus pugnat, illuſtrat, & declarat, non *tenore præſentium*. Modum præceptivum oſtendit, dum, quid in poſterum faciendum ſit, *tenore præſentium declarat & edicit*. *Edicere*, quid faciendum ſit, non eſt terminus præciſe docentis, conſulentis, rogantis, aut exhortantis. *Ab omnibus*, inquit, *nemi-*

mine excepto, unicam comestionem servandam tenore præsentium declaramus & edicimus. Hæc loquendi forma est solum familiaris loquentibus cum authoritate & imperio, non Doctoribus præcise opiniones suas promentibus. Neque obstant rationes dubitandi in contrarium. Nam quod attinet formam mandati, multa Summi Pontifices disposuerunt pro tota Ecclesia per modum *Epistolæ Decretalis*, seu ut nunc vocari solet, per modum *Brevis*, prout patet legentibus Epistolas decretales Summorum Pontificum. Immo *Breve* nihil aliud est, quam *brevis Bulla*, id est, carens solennitatibus accidentalibus ut proin Bulla & Brevia non differant semper ratione objecti, sed ratione formæ accidentalis, sicut *processus Summarius*, & *Ordinarius* in Jure. Christus dixit: *Oves meæ vocem meam audiunt*, nec addidit, *Bullatam*. Qui itaque ex ovibus illis esse cupiunt, quas Christus commisit Petro, & ejus successoribus, tanquam summis Pastoribus Ecclesiæ, *vocem illorum audiant*, sive *Breviatam*, sive *Bullatam*. Modus rogandi non excludit modum præcepti, sic enim & D. Paulus & alii Summi Pontifices sæpissime rogant, adimpleri ea quæ sunt juris naturalis, divini, aut Ecclesiastici. Sic Apostolus 1. Thess. 4. dicit: *Rogamus vos, ut quemadmodum accepistis a nobis, quomodo oporteat vos ambulare, sic ambuletis; scitis enim, quæ præcepta dederim vobis*. Dum tertio objectio asserit, Pontificem non uti termino *legis*: Respondeo, Pontificem in primo Brevi expresse uti etiam termino *legis*, dum ait: *facere non possumus, quin ad congruentes hujusmodi abusibus penitus extirpandis leges præscribendas meditemur*. Præsentem ergo suam dispositionem, quam dirigit ad extirpandam corruptelam, pro lege agnoscit. Dein opus non est ad ferendum mandatum, ut Superior utatur terminis præceptivis, vocando suam jussionem *legem*, aut *præceptum*, vel dicendo, *jubemus, præcipimus*. Immo in Statutis quibusdam Religiosorum Superiores monentur, ne facile utantur his terminis redolentibus solam rigiditatem authoritatis sine leni oleo rationis; *jubemus, præcipimus*. Centurio ille Evangelicus non utebatur ejusmodi expressionibus, nec pater ille prodigi filii, ut verosimile est, erga ejus fratrem natu majorem; hic tamen jussa patris recipit pro mandato; *Mandatum tuum*, inquit; *nunquam præterivi*. Et ille de suis militibus & servis dicit: *dico huic: vade & vadit; & alii, veni & venit: & servo meo; fac hoc, & facit*. Similiter Christus in Evangelio omnibus Luc. 12. potestatur: *Servus, qui cognovit voluntatem Domini sui, & non facit secundum voluntatem ejus, vapulabit multis*. Itaque non obedientium, sed captiosorum hominum est, ubi ex contextu de seria voluntate Summi Pontificis constat, in re moraliter observabili sine permissione, venia, aut dispensatione speciali ejus reluctari jussionibus. Quid autem clarius ejus voluntate in his verbis: *Ab omnibus omnino, nemine excepto, unicam comestionem servandam esse tenore præsentium declaramus & edicimus*. Quod denique in Objectione additur de consuetudinibus prævis maturis cum Collegio Cardinalium & cum Theologis, Respondeo, hæc non allegari a Summis Pontificibus, ubi agitur præcise de reducenda & urgenda observantia legis liquidæ, naturalis, divinæ, vel Ecclesiasticæ, cujus usus viget in primariis Christianæ Religionis Ecclesiis, & semper viguit in omnibus Ecclesiæ provinciis usque ad recentis corruptelæ Epocham. Quid enim opus est multis consultationibus & disceptationibus in ejusmodi negotiis? mature consultandum est, ubi agitur de obscuro fidei articulo, vel de ferenda nova lege, difficili, & moribus utentium necdum comprobata. Itaque, cum unica refectio in casu dispensationis ad esum carnium non introducat legem novam, nec a moribus primariarum Ecclesiarum alienam, aut valde difficilem, non erat, cur Pontifex allegaret maturas consultationes cum Collegio Cardinalium; neque ista consultationum prævarum expressio semper

reperitur in Pontificum Epiſtolis decretalibus, aliiſque diſpoſitionibus pro tota Eccleſia. Idem Reſpondeo, dum in objectione ad interpretationem authenticam legis requiri exiſtimatur talium præviarum conſultationum allegatio. Ubi enim genuinus ſenſus & intentio Eccleſiæ circa ſuas leges non poteſt eſſe obſcurus conſideranti materiam & motiva & perpetuam obſervantiam legis, quid opus eſt multis deliberationibus & conſultationibus ad ſolam quæſtionem, an corruptela recens ſit evellenda? Dum objectio dicit, Summum Pontificem ſolum declaraſſe ſuam mentem, non legem, hanc frivolam exceptionem ipſe Brevium totus tenor excludit. Mentem quidem ſuam Pontifex aperit & declarat, ſed præcipientem, & authentice legis Eccleſiaſticæ cardines exponentem. Si enim declararet legem jejunii ſolum ſpeculative per modum Doctoris, afferendo argumenta ex neceſſitate, utilitate, & antiqua authoritate legis, non imponeret authoritative obſervantiam legis; dicendo: *ab omnibus unicam comeſtionem ſervandam eſſe tenore præſentium declaramus & edicimus.*

Objicitur 3. Fundamentum zeli Pontificii in urgenda refectione unica non ſubſiſtit; ergo ſive hanc urgeat per modum authenticæ declarationis, ſive per modum præcepti, executio mandati alieni a moribus variarum provinciarum, & a ſenſu plurimorum Theologorum uſque ad pleniorem eliquationem ſuſpendenda eſt. *Antecedens probatur.* Fundamentum zeli Pontificii eſt, quia jejunium, quale hic præcipitur, nempe cum refectione unica, *ab univerſali Eccleſia ab ipſo ſui primordio ſemper & ubique ſervatum eſt.* Hoc autem non ſolum probari nequit, ſed etiam repugnat variis teſtimoniis veterum.

Reſpondeo, hoc punctum, an in jejuniis veterum unica refectio ſemper & ubique obſervata fuerit, cap. 6. examinandum fore.

Objicitur 4. Jejunium primitivæ Eccleſiæ erat tantum obſervantiæ piæ; generalis quidem, ſed ſola obligatione publicæ honeſtatis ac decentiæ Chriſtianæ, non obligatione conſcientiæ ſub peccato. Ergo Summus Pontifex ex antiquitate præcepti non recte ſumit argumentum pro indiſpenſabilitate unius refectionis.

Reſpondeo, id me cap. 7. evicturum, jam in primitiva Eccleſia jejunii obligationem agnitam fuiſſe pro lege ſtringente conſcientiam.

Objicitur 5. Primis Eccleſiæ temporibus obligatio jejunii adſtringebatur ad unam ſolum hebdomadem paſſionis; reliquum Quadrageſimæ tempus erat obſervationis liberæ. Ergo non agunt contra perpetuam obſervantiam Eccleſiæ illæ Diœceſes, in quibus diſpenſatur a jejunio, & ab una refectione uſque ad Dominicam Paſſionis, vel Palmarum.

Reſpondeo. De hoc nos viſuros c. 7.

Objicitur 6. Prioribus Eccleſiæ ſæculis etiam in Quadrageſima jejunium tantum reſtringebatur ad duos, tres, aut ſummum quatuor dies hebdomadæ; reliquis diebus vel ſola requirebatur abſtinentia; ergo non recedunt longe a jejunio primorum temporum illæ Diœceſes, in quibus lex jejunii tantum ſolvitur præter Dominicam per ſe exceptam tribus diebus nempe die Lunæ, Martis, & Jovis.

Reſpondeo, id nos diſcuſſuros cap. 7.

Objicitur 7. Jejunium primis Eccleſiæ ſæculis non fuit habitum pro medio moraliter neceſſario ad ſanctificationem Eccleſiæ, placandam divinam iram atque ad obtinendos alios fines immobiles, a Deo vel Eccleſia præſtabilitos; ſed tantum fuit habitum pro medio utili. Ergo intuitu aliorum commodorum & utilitatum ſpiritualium lex illa jejunii per diſpenſationem moderatam ſolvi poterit.

Reſpondeo. Moralem neceſſitatem jejunii ad fines a Deo præſtabilitos evincendam cap. 10.

Objicitur 8. Primis ſæculis diſpenſatio a jejunio ex cauſa rationabili relinquebatur cujuslibet privati proprio judicio; ergo etiam ex cauſa æque rationabili gene-

generali relinquenda est judicio Episcoporum.

Respondeo. De hoc videbimus c. 11.

Objicitur 9. Rationi & consensui Theologorum conforme est, eximi a lege jejunii certas ætates & certos status hominum v. g. Juvenum, laborantium, quamvis individua multa ejusdem ætatis, status, vel familiæ possent convenienter tolerare legem jejunii; ergo non est etiam a ratione alienum, ob motivum dispensandi a jejunio generale integras Diœceses eximi, quamvis causa dispensationis non urgeat in omnibus.

Respondeo. Hoc nos examinaturos cap. 12.

Ut ergo fundamenta Declarationis & Legis Pontificiæ in duobus Brevibus expressa appareant solida in ordine ad urgendam ac præcipiendam clausulam refectionis unicæ, sit

CAPUT VI.

Utrum in Jejunio Ecclesiastico a primordio Ecclesiæ semper & ubique fuerit requisita refectio unica?

Dico. Refectio unica semper & ubique fuit considerata tanquam essentialis Jejunio Ecclesiastico.

Probatur. Illud solum debet considerari tanquam essentiale jejunio; quod semper & ubique fuit observatum sine ulla variatione locorum & temporum; econtra, quod non fuit ubique & semper observatum, sed variatum, debet considerari tanquam aliquid accidentale jejunio. Refectio autem unica semper & ubique fuit observata a jejunantibus, quod probatur ab inductione textuum, in quibus dicitur, Refectionem fuisse protractam usque ad Vesperam, adeoque fuisse unicam.

I.

D. Basilius exhibens consuetudinem medii sæculi IV. Homil. 1. de Jejun. n. 10. de jejunio quadragesimali loquens ait: „ Cave ne jejunii utilitatem sola „ escarum abstinentia metiaris. Carnes „ non edis; a vino abstines; exspectas „ vesperam, ut cibum capias.

II.

S. Epiphanius in Expositione fidei. „ Quadragesimam observare, atque in „ jejuniis perseverare consuevit Ecclesia. Præterea sex illos Paschatis dies „ Xerophagiis, hoc est, arido victu „ transigere populus omnis assuevit, hoc „ est, panem duataxat cum sale & aqua „ post vesperam adhibere.

III.

S. Augustinus l. de moribus Ecclesiæ c. 33. „ Jejunia prorsus incredibilia multos exercere didici, non quotidie semel sub noctem reficiendo corpus, „ quod est usquequaque usitatissimum, „ sed continuum triduum vel amplius, „ sæpissime sine cibo ac potu ducere.“

Idem in Epist. 118. reddens rationem, cur in Cœna Domini bis offeratur Sacrificium Missæ, nempe mane & vespere, dicit hoc fieri, ut quia illo die aliqui non jejunabant, sed prandebant, in quorum proin gratiam offerebatur mane, ut possent sub Sacrificio Missæ ante prandium communicare; alii vero jejunabant, in quorum proin gratiam Sacrificium differebatur usque ad vesperam, ut sic S. Communioni sub Sacrificio perceptæ subjungeretur cœna domi percipienda.

IV.

Theodulphus Episcopus Aurelianensis anno 835. in suo Capitulari, dicit: „ Solent plures, qui se jejunare putant „ in Quadragesima, mox, ut signum „ audiverint ad Horam Nonam (id „ est, tertiam pomeridianam,) comedere, qui nullatenus jejunare credendi „ sunt, si ante manducaverint, quam „ vespertinum celebretur officium.

V.

V.

Regula Magiſtri, cujus author videtur vixiſſe ſæculo VIII. cap. 43. dicit: „ Jejunia Quadrageſimæ protrahantur in „ Veſperam, id eſt, poſt Lucernaria „ reficiatur. Lucernalis autem hora vocabatur, quando accenſis lucernis fiebat officium veſpertinum.

VI.

Micrologus, qui ſæculo XI. floruit, c. 49. dicit: „ Nec juxta Canones Quadrageſimaliter jejunare cenſemus, ſi „ ante veſperam reficimur.

VII.

S. Bernardus, qui obiit ſæculo XII. Serm. 5. de Quadrageſima loquens ait: „ Nunc uſque ad veſperam jejunabunt „ nobiſcum univerſi, Reges & principes, Clerus & populus, nobiles & „ ignobiles, ſimul in unum dives & „ pauper.

Plura veterum de una refectione veſpertina documenta videri poſſunt in Natali Alexandro Sæc. II. diſſ. 4. art. 7.

Probatur Concluſio 2. Nullus Theologorum ante annum 1650. per quinque priora ſæcula reperitur, qui doceat, in Quadrageſima duas refectiones eſſe licitas; nec in hiſtoriis reperitur ullum exemplum factæ unquam diſpenſationis ad duas refectiones, niſi aliud valetudinis vel virium ratio exegerit. Ergo verum eſt, unam refectionem a primordio Eccleſiæ ſemper & ubique tempore Quadrageſimæ requiſitam fuiſſe. Quamvis enim ſæculo XIII. hora cœnæ ſenſim promota fuerit ab hora veſpertina ad Nonam ac Sextam, & ſubſtituta fuerit veſpere collatio; ea tamen nunquam pro refectione habita eſt, ut patet legenti P. Natalem l. cc.

CAPUT VII.

Utrum primis Eccleſiæ ſæculis lex jejunii Quadrageſimalis obligaverit fideles in conſcientia.

Dico. Jejunium quadrageſimale jam primis Eccleſiæ ſæculis obligabat in conſcientia.

Id probo ex variis teſtimoniis Scriptorum primitivæ Eccleſiæ, rite expenſis.

I.

Author Conſtitutionum Apoſtolicarum, qui vixit ſæculo II. vel III. repræſentat ſaltem praxin & ſenſum Eccleſiæ circa obſervantias publicas ac notorias. Cum enim hoc opus ſit citatum & laudatum a variis Patribus ſæculi III. & IV. fieri nequit, ut aperte mentiatur circa obſervantias publicas, ac notorias fidelium. Is vero l. 5. c. 12. ſic ſcribit: „ Dies „ feſtos agitate Fratres, ac primum qui„ dem diem Natalis; poſt hanc dies „ Epiphaniæ in maximo honore ſit. Poſt „ quos dies ſervandum vobis eſt jeju„ nium quadrageſimale. Celebretur ve„ ro jejunium hoc ante jejunium Paſ„ chæ, incipiens a feria ſecunda, deſi„ nens vero in ſextam. Deinde dimiſ„ ſo jejunio incipite ſanctam hebdoma„ dam Paſchæ; jejunateque omnes cum „ timore & tremore, facientes per eos „ dies precationem pro pereuntibus.

In hoc textu author diſtinguit jejunium quadrageſimale a jejunio Paſchæ, ſeu jejunio Hebdomadis magnæ, quod ut poſtea explicat, ſtrictiori jejunio ſervandum eſt. Cæterum modus loquendi non eſt rogantis ac invitantis ad bonum opus cuivis arbitrarium, ſed eſt modus inculcantis præceptum; loquitur enim eodem modo de jejunio, & obſervatione duorum feſtorum principalium, quorum obſervatio ſine dubio erat præcepta. Dein eodem modo urget obſervationem jejunii quadrageſimalis præcedentis ad jejunium Paſchale; ſed hoc erat de præcepto, ut teſtatur c. 16. dum

addit, jejunandum esse *cum timore & tremore*, qui modus non congruit operibus arbitrariis; aut certe ostendit materiæ magnitudinem in ordine ad fines intentos, ut vel ipsa materiæ gravitas ostendat, eam institutionem apostolicam exigere ac ponere obligationem in conscientia.

Idem Author l. 2. c. 16. sic scribit: „ Itaque præcepit nobis (Apostolis Dominus) jejunare his sex diebus (majoris hebdomadæ.) Quarta vero feria & sexta jussit nobis jejunare; illa quidem propter proditionem; hac vero propter passionem. Jejunium vero solvere præcepit, septima die post galli cantum; ipso autem Sabbatho jejunare; non quidem quod jejunandum sit (omni) Sabbatho, sed quia illo tantum jejunandum est, quo ipse author mundi adhuc erat sub terra. Et c. 17. Jejunate igitur diebus Paschæ incipientes a secunda feria usque ad sextam & sabbathum sex diebus, pane tantum, sale, oleribus, & aqua mensæ adhibitis. Abstinete his diebus vino & carne; dies quippe luctus sunt. Sexta tamen feria & Sabbatho ex toto manete jejuni, qui ita firmis viribus estis, ut ferre possitis, nihil prorsus gustantes usque ad nocturnum galli cantum. Si quis tamen propter imbecillitatem utrumque diem conjungere non potuerit, saltem Sabbathum servet. *Et c.* 18. Quamobrem monemus vos, ut his diebus jejunii maneatis usque ad vesperam, sicut & nos (Apostoli) jejuni mansimus, cum ablatus fuit nobis (Christus) reliquis vero diebus ante sextam feriam edite hora nona, vespere, aut pro ratione virium, ut quis potest. Sabbatho autem usque ad galli cantum jejunium producite.

Huic textui author eodem modo imperativo subjungit: „ Excitato Domino facite sacrificium vestrum. -- Post dies octo celebrate octavum diem. -- Rursus enumeratis quadraginta diebus a primo die Dominico celebrate festum assumptionis Domini. " Ergo sicut ista observantia festorum cadebat sub præcepto, ita & observantia jejuniorum. Verum quidem est, quod hoc ipso capite præscribat aliqua observanda, quæ non ligabant populum, v. g. pernoctare in Ecclesia, Legem, Prophetas, & Psalmos legere, catechumenos baptizare &c. Sed hæc præcepta dirigebantur ad Clerum, seu potius ad totam Ecclesiam, ita tamen ut singula mandata essent implenda per idonea Ecclesiæ membra.

II.

Tertullianus lib. de Jejuniis constanter supponit, jejunium quadragesimale apud Catholicos, quos psychicos vocat, esse de præcepto. Cum enim tota contentio inter Montanistas & Catholicos esset, an jejunio quadragesimali esset adjungendum alterum a spiritu Montani institutum? cap. 13. inducit Catholicos objicientes, quod jejunium illud quadragesimale solum sit præcepti Divini vel Apostolici; reliqua autem jejunia sint observationis liberæ, aut institutionis humanæ. „ Præscribitis, *inquit*, constituta esse solennia huic fidei (observantiæ) scripturis vel traditione majorum, nihilque observationis amplius adjiciendum ob illicitum innovationis. State in isto gradu si potestis. Ecce enim convenio vos & præter Pascha jejunantes, citra illos dies, quibus ablatus est sponsus, & stationum semijejunia interponentes, & vos interdum pane & aqua victitantes, ut cuique visum est. Denique respondetis, hæc ex arbitrio agenda, non ex imperio. Movistis igitur gradum excedendo traditionem, cum, quæ non sint constituta, obitis. Quale est autem, ut tuo arbitrio permittas, quod imperio Dei (Montanistico spiritui) non das? Bene autem, quod & Episcopi (vestri) universæ plebi mandare jejunia assolent. Itaque si & hominis edicto tapinophronisin (humiliationem per jejunium) agitatis, quomodo in nobis unitatem jejunationum denotatis?

Idem loc. cc. lib. 1. & 2. sic scribit: „ Ar-

„ Arguunt nos, quod jejunia propria „ cuſtodiamus, quod ſtationes plerum„ que in veſperam producamus; quod „ etiam Xerophagias obſervemus, ſic„ cantes cibum ab omni carne & omni „ jurulentia. --- Nam quod ad jejunia „ pertineat, certos dies a Domino con„ ſtitutos opponunt, ut cum in Levitico præcipit Dominus Moyſi decimam „ menſis ſeptimi diem placationis; San„ cta, inquit, erit vobis dies, & vexa„ bitis animas veſtras, & omnis anima, „ quæ vexata non fuerit in die illa, ex„ terminabitur de populo ſuo. Certe in „ Evangelio dies illos jejuniis determi„ natos putant, in quibus ablatus eſt „ ſponſus, & hos eſſe jam ſolos legitimos jejuniorum Chriſtianorum, abo„ litis legalibus & propheticis vetuſtati„ bus. Itaque de cætero indifferenter „ jejunandum ex arbitrio, non ex impe„ rio novæ diſciplinæ. Sic & Apoſtolos „ obſervaſſe, nullum aliud imponentes „ jugum certorum & in commune om„ nibus obeundorum jejuniorum; proin„ de nec ſtationum, quæ & ipſæ ſuos „ quidem dies habeant quartæ feriæ & „ ſextæ; paſſive tamen currant, neque „ ſub lege præcepti, neque ultra ſupre„ mam diei, quando & orationes fere „ hora nona concludat de Petri exem„ plo.

Ex his ergo patet, quod tempore Tertulliani fideles crediderint, jejunium Paſchale cadere ſub præcepto.

Hinc & lib. de Oratione cap. 14. dicit: „ Sic & die Paſchæ (id eſt Paſ„ ſionis) quo communis & quaſi publi„ ca jejunii religio eſt, merito deponi„ mus oſculum.

Dixi, per Paſcha a Tertulliano intelligi diem paſſionis; ita enim ipſe ſe explicat lib. adverſus Judæos cap. 10. ubi dicit: *Moyſes adjecit, Paſcha eſſe Domini, id eſt, paſſionem Chriſti.* Cæterum an Tertullianus jejunium illud Paſchale extenderit ultra hebdomadam ſacram, videbimus infra.

III.

Irenæus, prout refert Euſebius lib. 5. cap. 24. in Epiſtola ad Victorem Romanum Pontificem, parantem excommunicationis fulmen in Orientales ob ritum celebrandi cum Judæis diem Paſchatis, cum ea controverſia comparat controverſiam de celebrando jejunio Paſchali; ubi fatetur, omnes agnoſcere obligationem ac debitum jejunandi, ſed non convenire in modo: quin immo ipſa comparatio duarum controverſiarum oſtendit, etiam in jejunio interceſſiſſe obligationem conſcientiæ; vana enim eſſet argumenti a paritate ſumpti vis, ſi diceret; in re indifferente & obſervantiæ liberæ Catholici diſſentiunt ſine præjudicio pacis ac communionis, nempe in materia jejunii Paſchalis; ergo etiam pax rumpenda non eſt in articulo Paſchalis diei exiſtente de præcepto & inſtitutione Apoſtolica. Inſulſa plane foret hæc argumentatio. Ut ergo habeat vim, utrumque controverſiæ punctum debet eſſe de præcepto & inſtitutionis Apoſtolicæ: ſi enim etiam in materia de præcepto Apoſtolico reperitur diverſa obſervantia ſtante tolerantia & communicatione, habetur motivum, etiam in materia Paſchatis parcendi fulminibus. Verba Irenæi ſic habent: *Non enim de die Paſchatis ſolum, ſed etiam de jejunii* (Paſchalis) *ratione & modo eſt iſta conſtituta controverſia. Quidam enim exiſtimant, ſe debere jejunare unum diem; quidam duos, quidam plures, quidam quadraginta.* (Qui unum diem jejunant) *diurnis nocturniſque horis ſimul computatis diem ſuum metiuntur. Ac nihilominus iſti pacem inter ſe retinuerunt.*

IV.

Origenes homil. 10. in Levit. cap. 16. teſtatur, jejunium quadrageſimale eſſe omnium Chriſtianorum; quod autem omnium eſt, non eſt cuivis liberum; quia contingentia, qualia ſunt humanæ libertatis arbitria, non procedunt uniformi-

miter. *Phariſæi*, inquit, *indignati ſunt Domino, cur non jejunarent Diſcipuli ejus. Quibus ille reſpondit, quia non poſſunt filii ſponſi jejunare, quamdiu cum illis eſt ſponſus. Illi ergo jejunent, qui perdiderunt ſponſum. Nec hoc tamen ideo dicimus, ut abſtinentiæ Chriſtianæ frœna laxemus. Habemus enim quadrageſimæ dies jejunio conſecratos. Habemus quartam & ſextam ſeptimanæ, quibus ſolenniter celebramus.*

V.

Divus Baſilius homil. 2. de Jejunio, dicit: *Jejunium quidem ſemper eſt utile iis, qui illud lubenti animo ſuſcipiunt* (αἱρουμένοις) *ſed multo magis hoc tempore, quo per univerſum terrarum orbem undique denuntiatur jejunii præconium. Nec ulla eſt inſula, nec ulla terra continens, non civitas, non gens ulla, non extremus mundi angulus, ubi non audiatur jejunii edictum. Quin & exercitus, & viatores, & nautæ, & negotiatores, omnes pariter audiunt edictum* (παραγγέλματος). *Ne quis igitur ſemet excludat a numero jejunantium, in quo omne genus hominum, omnis ætas, omnes dignitatum ordines recenſentur. Angeli ſunt, qui in ſingulis Eccleſiis deſcribunt ac recenſent jejunantium capita. Vide, ne ob parvam eduliorum voluptatem teipſum apud eum, qui exercitum collegit, obnoxium facias deſertoris crimini. Minus periculum foret, ſi quis in acie clypeum abjiceret, quam ſi magnum illud ſcutum jejunium videatur projeciſſe. Ne jejunium a domo tua expuleris, a voluptate victum ac ſuperatum; ne quando te reum peragat apud jejuniorum legislatorem, fiatque ut condemneris ad longe majorem inediam multæ nomine.*

Hæc omnia a Divo Baſilio non bene dicerentur, ſi jejunium quadrageſimale, de quo agit, fuiſſet obſervantiæ liberæ; neque enim offenderetur legislator ex ejus tranſgreſſione, neque incurreretur pœna.

Huc ſervit, quod idem S. Doctor Epiſt. 160. ad Diodorum dicit: *Primum, quod in ejuſmodi rebus maximum eſt, morem noſtrum objicere poſſumus, ut viri legis habentem, eo quod nobis a viris ſanctis tradita ſint ſtatuta. Mos autem ille eſt ejuſmodi, ut ſi quis impuritatis vitio victus in illicitam duarum ſororum conjunctionem inciderit, neque id matrimonium exiſtimetur.* Si ergo Divus Baſilius hanc conſuetudinem pro lege agnoſcit, etiam conſuetudinem univerſalem jejunii quadrageſimalis pro lege agnoſcat, neceſſe eſt.

VI.

Epiphanius Hæreſ. 75. de Ærianis in hoc ipſo conſtituit hæreſin Ærii, quod dixerit, jejunia Eccleſiæ eſſe obſervantiæ liberæ. *Sed neque jejunium*, inquit, (Ærius) *eſt præcepta. Quippe juſto nulla lex poſita eſt. Nam ſi jejunare omnino decreverim, quacunque libuerit die ſponte & integra libertate jejunabo. Hinc eſt, quod iſti Dominica die jejunare potius affectant; quarta vero, ſextaque feria veſcantur. Quanquam ſæpenumero quarta feria jejunent, non ulla lege, ſed voluntate, ut aſſerunt, inducti. Porro diebus ipſis Paſchatis, quod tempus humi cubando, caſtimoniam ſervando, afflictandoque corpore, nec non & aridorum ciborum uſu, precibus, vigiliis, jejuniis, ac reliquis id genus ſaluberrimis corporis cruciatibus celebrare ſolemus, illi econtrario jam tum diluculo obſonare ſolent, & carnibus vinoque diſtenti cachinnari, videre, eoſque, qui illam Paſchatis hebdomadam ſanctiſſimis illis religionibus traducunt, ludibrio habere. -- Quis eſt uſpiam terrarum, qui non in eo conſentiat, quartam ſextamque feriam ſolenni in Eccleſia jejunio conſecratam? Quod ſi ex Apoſtolorum conſtitutione repetenda nobis authoritas eſt, cur illis quartæ ſextæque feriæ jejunium perpetua lege ſancitur? Cur ſex Paſchatis diebus nihil omnino ad cibum præter panem, ſalem, & aquam adhibendum definiunt? Jam vero utri tandem peritiores ſunt? An errore deceptus homuncio* (Ærius) *qui nunc emerſit, & adhuc hodie ſuperſtes eſt? An qui ante nos teſtes exſtiterunt, quique ante nos eandem traditionem in*

Ec-

Eccleſia tenuerunt, quam & ipſi a parentibus ſuis acceperant, & ipſorum parentes a majoribus ſuis didicerant, quemadmodum Eccleſia, quam a Patribus ſuis accepit rectam fidem, cum traditionibus adhuc obſervat. Quod ſi de quarta ſextaque feria nullam omnino in Conſtitutione ſua mentionem Apoſtoli feciſſent, aliis tamen argumentis uti licebat. Quanquam ea de re eſt ab illis accuratiſſime ſcriptum, idque ipſum ab Eccleſia ſuſceptum communi eſt conſenſione firmatum.

Idem in expoſitione ſummaria fidei poſt hæreſin 80. num. 22. dicit: *Sacri Conventus ab Apoſtolis inſtituti ſunt quarta ſextaque feria & Dominica. Item quarta ſextaque feria jejunium ad horam uſque nonam indictum, propterea quod quarta feria proditus eſt Dominus, & ſexta in crucem ſublatus. Ideo per illos dies jejunandum eſſe decreverunt Apoſtoli, ut impleatur illud quod ſcriptum eſt: Cum ſublatus ab illis fuerit ſponſus, tunc jejunabunt. --- Cæterum ante ſeptem Paſchatis dies quadrageſimam obſervare atque in jejuniis perſeverare eadem conſuevit Eccleſia; Dominicis vero nullis omnino, adeoque nec ipſius quidem quadrageſimæ jejunare ſolet. Præterea ſex illos Paſchatis dies Xerophagiis, hoc eſt, arido victu, tranſigere omnis populus aſſuevit, hoc eſt, panem duntaxat cum aqua ſub veſperam adhibere. --- Num. 25. Hæc eſt Eccleſiæ forma ex Lege, Prophetis, Apoſtolis & Evangeliſtis conflata. --- Hæc eſt Chriſti ſponſæ deſcriptio. Hæc illius dos. Hæc ipſius ſponſi Jeſu Chriſti voluntas.*

VII.

Gregorius Nazianzenus in Epiſt. 74. ad Celeuſium Judicem: *Inique agis, o Judex, qui non jejunes. Et quo modo leges humanas ſervabis, qui divinas contemnis, ac pro nihilo ducis?* His verbis Nazianzenus ſatis inſinuat, extitiſſe legem jejunii.

Idem Carmine 54. teſtatur, ſe carnem aſtrinxiſſe, ſicque mortificatione corporis myſtica ſacra tuliſſe.

Vicenis, Chriſti ut lex fert, totidemque diebus
Purgatæ carni cum medicina venit.

VIII.

Gregorius Nyſſenus Orat. de pauperibus amandis. „ Jejunii (interni a vi„ tiis) gratia etiam illud indictum eſt, „ ut a cibis abſtineamus. --- Propter „ munditiam animæ ſunt indicta jeju„ nia.“ Quæ autem ſunt obſervatu libera, non ſolent indici.

IX.

D. Hieronymus, Epiſt. 54. ad Marcellam. „ Nos unam quadrageſimam ſe„ cundum traditionem Apoſtolorum to„ to anno tempore nobis congruo jeju„ namus. Illi (Montaniſtæ) tres in „ anno faciunt quadrageſimas, quaſi tres „ paſſi ſint Salvatores. Non quod & „ per totum annum, excepta Penteco„ ſte, jejunare non liceat, ſed quod a„ liud ſit neceſſitate, aliud voluntate „ munus offerre.“ Supponit ergo Hieronymus, in quadrageſima dari neceſſitatem jejunandi; aliis autem temporibus libertatem.

Idem in cap. 9. Matth. ad illa verba: *Ait illis Jeſus*: „ Nonnulli putant, poſt „ dies quadraginta paſſionis jejunia de„ bere committi, licet dies Pentecoſtes „ indicent nobis feſtivitatem. Et ex „ hujus occaſione Montanus, Priſca, „ & Maximilla etiam poſt Pentecoſten „ faciunt quadrageſimam. Eccleſiæ au„ tem conſuetudo ad paſſionem Domi„ ni & reſurrectionem per humilitatem „ venit. Univerſalis autem Eccleſiæ con„ ſuetudo eſt lex, aut ſupponit legem.

X.

D. Auguſtinus, lib. de hæreſibus hær. 53. „ Æriani ab Ærio quodam ſunt no„ minati, qui in hæreſim Arrianorum „ lapſus fertur propria quoque dogmata „ addidiſſe, dicens: orare pro defunctis „ non oportere; nec ſtatuta ſolenniter

„ celebranda esse jejunia; sed cum quisque voluerit jejunandum, ne videatur esse sub lege. Si consuetudo illa vetus jejunandi non fuisset introducta aut recepta animo se vel alios obligandi, non habuisset Ærius prætextum suæ hæresis.

XI.

D. Chrysostom. Hom. 21. in Matth. „ Gemere & amarum quiddam immugire nos convenit. Non solum enim hypocritas imitamur, sed illos quoque simulatione ipsa superavimus. Novi enim, pluresque novi non jejunantes modo, idque ipsum omnibus ostentantes; sed non jejunantes quoque, & personam sibi jejunantium nihilominus induentes, ac peccato ipso graviorem sibi excusationem parantes. Ne -- inquit, scandalizem multos, id facio. Quid ais? divina lex est ista præcipiens, & tu scandali mentionem facis? & custodiens quidem legem Dei scandalizare te putas, transgrediens vero scandalis liberari? Et quid hac vecordia possit esse deterius?

Idem Homil. 6. ad Populum Antiochenum. „ Studeamus, tempus hujus quadragesimalis jejunii reddere memorabile; & sicut sæpenumero vestimentum adepti vel servum temporis reminiscimur, & inter nos dicimus: Servum illum tali solennitate emi; vestimentum hoc tali comparavi tempore; ita quoque si hanc legem (non jurandi) impleverimus, dicemus: Juramentum hac correxi quadragesima. Sed (dices:) res est difficilis correctu consuetudo. Novi & ego. ----- Quid difficilius, non jurare, an per totum diem jejunium manere, & aquæ potu, & modico epulo exsiccari? ἄσιτον εἶναι, καὶ ὑδροποσία καὶ εὐτελεῖ ταριχεύεσθαι διαίτῃ. Certum est, quod hoc illa gravius. Sed tamen consuetudo res est tam facilis, quod adveniente jejunio, etsi millies quis exhortetur, & infinita crucient, & cogant vinum delibare, vel aliud quid jejunii lege non concessum (κενομισμένων) degustare, omnia quis malle pati, quam prohibitum tangere nutrimentum. (κεκωλυμένοις τροφῆς.) Et hoc, licet non illibenter erga mensam affecti simus, tamen propter consuetudinem ex conscientia omnia generose ferimus laborando. δία τὴν ἀπὸ τοῦ συνειδότος συνήθειαν. Hæc iterum Chrysostomi verba ostendunt, jejunium quadragesimale non fuisse observatu liberum.

Idem Serm. 55. In eos qui primo Pascha jejunant, testatur, consuetudinem in quadragesima jejunandi non fuisse tantum omnium Ecclesiarum in communi, sed & singulorum fidelibus, quæ generalitas non solet reperiri in rebus observatu liberis. „ Nos quidem, *inquit*, si toto anno clamare ac jejunium prædicare non cessemus, nemo verbis nostris animum attendit. Quod si tantum quadragesimæ tempus advenerit, licet cohortetur nemo, licet consilium det nemo, etiam is qui negligentissimus fuerit, excitatur, & oblatum ab ipso tempore consilium & cohortationem admittit.

XII.

S. Leo Papa non solum jejunium quadragesimale sed etiam quatuor temporum testatur esse præceptum, Serm. 8. De jejunio decimi mensis dicit: „ Hujus observantiæ (nempe meditationis rerum divinarum) utilitas in Ecclesiasticis præcipue est constituta jejuniis, quæ ex doctrina sancti Spiritus ita per totius anni circulum distributa sunt, ut lex abstinentiæ omnibus sit adscripta temporibus. Siquidem jejunium vernum in quadragesimæ, æstivum in Pentecoste, autumnale in mense septimo, hyemale in hoc, qui est decimus, celebramus, intelligentes, divinis nihil vacuum esse præceptis.

Idem Serm. 7. l. cc. cap. 2. „ His conversionibus (internis) providente gratia Dei addita sunt sancta jejunia, quæ in quibusdam diebus ab universa

„ Ec-

„ Eccleſia devotionem obſervantiæ ge-
„ neralis exigerent.

Idem Serm. 4. de Pentecoſte. „ In-
„ ter omnia Apoſtolicæ inſtituta doctri-
„ næ, quæ ex divinæ inſtitutionis fon-
„ te manarunt, dubium non eſt, in-
„ fluente in Eccleſiæ principes ſpiritu
„ Sancto, hanc primum ab eis obſer-
„ vantiam fuiſſe conceptam, ut ſancti
„ obſervatione jejunii omnium virtutum
„ regulas inchoarent.

XIII.

S. Petrus Chryſolog. Serm. 166. De quadrageſimali jejunio. „ Dominus in-
„ trat ipſum numerum quadraginta die-
„ rum jejunii, ut quæ præceptis inſti-
„ tuerat, roboraret exemplo. Non enim
„ ſuffecerat, hoc Sacramentum (40.
„ dierum) imperaſſe verbis, niſi com-
„ mendaſſet & facto.

XIV.

S. Iſidorus lib. 1. De officiis divinis c. 36. „ Quadrageſimæ legibus perfecti con-
„ tenti non ſunt; quem quidem (Ca-
„ nonem) illis, qui per totum anni
„ ſpatium delitiis ac negotiis ſæculari-
„ bus implicantur, Eccleſiarum principes
„ ſtatuerunt; ut vel hac legali quodam-
„ modo neceſſitate conſtricti his ſaltem
„ diebus vacare Domino cogerentur,
„ ac dierum vitæ ſuæ vel decimas Do-
„ mino dedicarent.

Objicitur 1. In antiquis Pœnitentialibus primis decem ſæculis pœnitentes nunquam interrogantur de violatione jejunii quadrageſimalis, licet interrogentur de omni alio genere & ſpecie peccatorum. Ergo ſignum eſt, violationem jejunii Eccleſiaſtici non fuiſſe agnitam pro peccato, ſaltem mortali. *Antecedens* patet ex Pœnitentiali Romano ſæculi VI. Bedæ ſæculo VIII. Hilitgarii ſæculo IX. Joannis Jejunatoris ſæculo VI. quæ omnia habentur apud Morinum *de pœnitentia*.

Reſpondeo, in illis antiquis Pœnitentialibus tantum exprimi peccata, quibus conſtituta fuerat pœnitentia Canonica. Hinc in illis pœnitentialibus multa alia peccata non exprimuntur, quibus non fuerat conſtituta pœnitentia Canonica, v. g. peccata cogitationum, transgreſſio votorum, &c. cum enim ab ejuſmodi peccatis non reſervatis Eccleſiæ in ordine ad pœnitentiam Canonicam quilibet confeſſarius potuerit abſolvere ſine alligatione ad certos Canones, non expediebat, talia peccata non reſervata referre in Canones pœnitentiales.

Dices. Si jejunium quadrageſimale fuiſſet præceptum ſub peccato, & quidem mortali, veroſimile eſt, illud fuiſſe ſubjiciendum alicui Canoni Pœnitentiali.

Reſpondeo. Primis temporibus fuiſſe prudentiæ, gentiles neoconverſos, aut populos necdum ſatis excultos, aut Eccleſia ſub principibus probis necdum ſtabilita, onerare pœnis Eccleſiaſticis præciſe ob leges Eccleſiaſticas, urgebantur ſevere pœnis Canonicis leges divinæ, ſed qui nolebat ſervare conſuetudines Eccleſiaſticas habentes vim tacitæ legis, non cogebantur pœnis, ne cum ubivis locorum fuerit liberum exercitium, aut gentiliſmo, aut hæreſibus, infirmiores ejuſmodi auctione pœnarum Canonicarum circa rem arduam ſingulis obſervandam impellerentur ad ruinam apoſtaſiæ a fide.

Objicitur 2. Caſſianus collat. 21. c. 30. ſcribit, in primitiva Eccleſia non fuiſſe obligationem jejunii quadrageſimalis; additque, etiam ſuo adhuc tempore juſtos ac perfectos illa lege non teneri.

Reſpondeo diſtinguendo; dicit hoc, intelligendo per primitivam Eccleſiam ſolum eam, quæ uno alterove anno Jeroſolymis fundata fuerat, concedo; intelligendo univerſalem Eccleſiam etiam poſt diviſionem Apoſtolicam. *Nego*. Similiter *diſtinguo* alterum. Dicit, non teneri perfectos lege jejunii in caſu particularis neceſſitatis, idque per Epikiam; *concedo*: generaliter. *Nego*. Caſſianus ſolum dicit, quod viri perfecti, qui toto anno jejunant, in caſu particulari neceſſitatis facile per Epikiam poſſint præſumere de intentione legislatoris,

eum nolle suam obligationem extendere ad illum casum, sed velle potius dispensare pro tali casu; qua tamen indulgentia Ecclesia non censenda est uti erga quosvis homines sæculares, quia si illorum discretioni committeret exemptionem a jejunio in casu *honestæ necessitatis*, hujusmodi homines profani formarent sibi laxa dictamina, & imaginarentur sibi innumeros casus *honestæ necessitatis*, sicque secum ipsis dispensarent in lege jejunii. Illa itaque perfectorum, toto alioquin anno jejunantium, Epikia de intentione legis revera locum habuit tempore Cassiani, quo nondum erat consuetudinis, petere dispensationem pro casu particulari ab Episcopis, adimplebatur enim a perfectis intentio & motivum legis, nempe ut sic decimæ annui temporis in piis exercitationibus solverentur Deo; consequenter accedente casu particulari *honestæ necessitatis* præsumi poterat, eum casum non comprehendi a legislatore sua intentione seu voluntate obligandi. Hanc esse mentem Cassiani patet, attente legenti ejus textum; qui si totus inspiciatur, etiam confirmat nostram conclusionem, nempe sæculares strictissime, immo quod plus est, etiam indispensabiliter statim a temporibus Apostolicis fuisse obligatos lege jejunii, nulla illis relicta talium dispensationum, quales nunc ex causa aut prætextu *honestæ necessitatis* conceduntur, indulta venia. Textus Cassiani collat. 21. cap. 30. sic habet: *Sciendum sane, hanc observantiam quadragesimæ, quamdiu Ecclesiæ illius primitivæ (Jerosolymis) perfectio inviolata permansit, penitus non fuisse. Non enim præcepti hujus necessitate nec quasi legali sanctione constricti arctissimis (tantum 40. dierum) jejuniorum terminis claudebantur, qui totum anni spatium æquali jejunio concludebant. Verum cum ab illa Apostolica devotione desciscens quotidie credentium multitudo suis opibus incubaret, nec eas usui eunctorum secundum Apostolorum instituta divideret sed privatim in impendiis suis consulens non servare tantum, sed etiam augere contenderet, Ananiæ & Saphyræ exemplum non contenta sectari, id universis tunc Sacerdotibus placuit, ut homines sæcularibus curis illigatos, & pene, ut ita dixerim, continentiæ vel compunctionis ignaros, ad opus sanctum canonica jejuniorum indictione revocarent, & velut legalium decimarum necessitate compellerent.* Ex hoc textu elicitur 1. a Cassiano agnosci jejunandi obligationem; hanc enim indicat illis verbis: *præcepti hujus necessitate compellerent.* 2. initium huic præcepto Ecclesiastico a Cassiano assignari eo tempore desiit a Christianis observari vita communis Jerosolymis introducta, quod contigit brevi post prædicationem Evangelii in gentilibus. Itaque juxta Cassianum jam tunc fuit ab Apostolis constituta observantia quadragesimæ, non quidem per modum legis expressæ, sed tacitæ, prout infra dicetur. Quod attinet alteram partem objectionis, Cassianus collat. 21. cap. 29. sic scribit: *Hac quadragesimæ lege, qui justus atque perfectus est, non tenetur; nec exigui hujus Canonis subjectione contentus est, quam profecto illis, qui per totum anni spatium delitiis vel negotiis sæcularibus implicantur, Ecclesiarum principes statuerunt, ut vel hac quodammodo legali necessitate constricti, his saltem diebus vacare Domino cogerentur. Cæterum justi, quibus lex non est posita, quique spiritualibus non exiguam illam, id est, decimam partem, sed totum vitæ suæ tempus impendunt, si eos superveniens honesta, & sancta necessitas coarctarit, audent stationem jejunii absque ulla disceptatione laxare. Quod profecto absque summo fraudis reatu facere ille non poterit, qui nihil voluntarie offerens Deo inexcusabiliter solvere decimas suas legis necessitate compellitur.* In hoc textu Cassianus ostendit 1. obligationem legis illis verbis: *hujus Canonis, quasi legali necessitate, cogerentur, summo fraudis reatu, inexcusabiliter compellitur.* 2. initium hujus obligationis constitutum fuisse per *principes Ecclesiarum*, quo titulo venire solent Apostoli, ac debent; quia ante Concilium Nicænum, in quo jam supponitur observantia quadragesimæ, nulli unquam

con-

convenerunt alii Eccleſiarum principes. Itaque juxta Caſſianum obligatio jejunii eſt inſtitutionis Apoſtolicæ, non per modum expreſſæ legis, ſed per modum traditionis ac conſuetudinis Eccleſiaſticæ, ob quod Caſſianus hanc obligationem bene vocat *quaſi legalem ſanctionem.*

Objicitur 3. D. Chryſoſtomus non agnoſcit in jejunio quadrageſimali obligationem conſcientiæ, ſed tantum pietatem obſervantiæ, quod colligitur ex ſequentibus textibus. 1. in 1. Cor. cap. 3. hom. 9. *Si Deus juſſiſſet gravia, poſſet fortaſſe quiſpiam proferre legum difficultatem. -- Non potes jejunare, neque virginitatem exercere! Atqui potes, ſi velis. Neque tamen adeo ſeverus & rigidus fuit in nos Deus; neque hæc juſſit, neque lege conſtituit, ſed dimiſit in libero arbitrio & electione auditorum. Non potes abjicere omnes pecunias? Quanquam potes. Sed tamen ne hoc quidem juſſit.*

2. In Acta Apoſt. cap. 13. hom. 27. *Non ut legem præcipio jejunium. Neque enim eſt, qui audiat; ſed tollo luxum.*

3. Serm. 55. in eos, qui paſcha jejunant. *Quam ob cauſam jejunamus per hos dies quadraginta? Multi quondam profane ad hæc myſteria (Euchariſtiæ) accedebant. Cum igitur intelligerent Patres, quantum ex temerario acceſſu detrimenti caperetur, convenientes quadraginta dies jejuniis, precum, auditionis verbi Dei, & conventuum deſignarunt, ut in his diebus omnes per preces, per eleemoſinam, per jejunium, per vigilias, per lachrimas, per confeſſionem, ac per cætera omnia diligenter expurgati ita pro captu noſtro cum conſcientia pura (in Paſchate ad S. Communionem) accedamus.* Cum in hoc textu ponatur jejunium inter alias obſervantias quadrageſimales obſervatu liberas, v. g. vigilias, lachrimas &c. videtur, quadrageſimam tantum fuiſſe inſtitutam, ut daretur fidelibus occaſio bonorum operum liberæ obſervationis, inter quæ & jejunium.

4. Hom. 16. ad Populum Antioch. *Conſuetudinem omnes per Quadrageſimam habent interrogare, quot quiſque ſeptimanas Quadrageſimæ jejunavit? & audire licet, hos quidem quod duas; hos vero quod tres; illos autem, quod omnes jejunaverunt ſeptimanas.* Cum S. Doctor hæc dicat non improbando, videtur, quod tunc temporis nec ruboris nec culpæ fuerit, ſolum duabus aut tribus ſeptimanis jejunare.

5. Serm. 1. De Anna. *Hæc a me non eo dicuntur, quod cogere vos ad jejunandum velim, ſed ut vos perſuadeam, ne genio indulgeatis.*

Reſpondeo, ad 1. Ibi Sermonem eſſe de jejunio perpetuo quia illud comparat cum virginitate perpetua, & cum paupertate voluntaria pariter perpetua, vel id ſolum inſinuari, nullum jejunium eſſe juris divini, ſed tantum juris Eccleſiaſtici, aut propriæ devotionis.

Ad 2. Dicit, ſe non præcipere jejunia extraordinaria; neque enim eo loci agit de Quadrageſima.

Ad 3. Reſpondeo, a D. Chryſoſtomo quidem enumerari varias obſervantias pias, ad quas excolendos quadrageſima inſtituta eſt; ſed addit, obſervantiam jejunii fuiſſe feliciorem cæteris, quia hæc ſola in univerſalem conſuetudinem tranſiit, & ab omnibus recepta eſt. Immediate enim poſt textum objectionis ſubjungit: Porro illos hac ſua condeſcenſione (nempe conſtitutione quadraginta tantum dierum) magnum quid & egregium præſtitiſſe, dum effecerunt, ut in jejunii conſuetudinem veniremus, inde conſtat. Nam nos quidem, ſi toto anno clamare ac jejunium prædicare non ceſſemus, nemo verbis noſtris animum attendit. Quod ſi tantum quadrageſimæ tempus advenerit, licet cohortetur nemo, licet conſilium det nemo, etiam is qui negligentiſſimus eſt, excitatur, & oblatum ab ipſo tempore conſilium & cohortationem admittit. In hoc textu ergo inſinuatur diſcrimen inter jejunium, & alias obſervantias quadrageſimales, quia illud tranſiit in conſuetudinem univerſalem, quæ habet vim tacitæ legis.

Ad 4. Dico, non eſſe ſenſum illorum verborum, quod *poſt quadrageſimam* finito jam jejunio unus alium interroget, quot

quot durante toto quadragesimæ tempore hebdomadas jejunio sacraverit ; sed esse hunc sensum , quod *intra quadragesimam*, durante adhuc jejunio quadragesimali, κατὰ τὴν τεσσαρακοστὴν unus alium interroget, quot jam emensus sit hebdomadas jejunio, sic ut quæratur tempus ab initio quadragesimæ, non numerus hebdomadarum durante toto tempore quadragesimæ jejunio sacratarum . Neque absurda est illa interrogatio ex duplici ratione. Primo, quia in quibusdam locis inchoabatur jejunium sex hebdomadis , & alibi septem hebdomadis ante Pascha . Cum ergo Constantinopoli & Antiochiæ non solum fuerint personæ ex variis provinciis , sed etiam verosimile sit, incolas ejusdem urbis varium observasse ac numerasse jejunii illius initium , recte interrogabant se invicem , quot ab initio quadragesimæ suæ quisque numeret hebdomadas ? vel an omnes hebdomadas , id est , ab initio Quinquagesimæ suo jejunio impleverit. De variatione illa provinciarum testantur varii Scriptores . Cassianus Collat. 21. cap. 24. dicit : *Quid causæ est , ut sex hebdomadibus quadragesima celebretur , licet in quibusdam provinciis Religionis forsitan propensior cura adjecisse etiam hebdomadam septimam videatur ?* Socrates lib. 5. cap. 21. scribit : *Qui in Illyria & tota Græcia , quique Alexandriæ habitant , ante sex Septimanas jejunia , quæ ante Pascha fiunt , ordiuntur . Alii septem septimanas ante illud festum initium jejunandi faciunt* . Liber Pontificalis dicit. *Telesphorus* (*Papa*) *constituit , ut septem hebdomadis ante Pascha jejunium celebretur* . Immo Ratramnus in M S apud Launoium de *jejunio* , testatur , Græcos Latinis eo tempore objecisse tanquam rem iniquam , quod non more Græcorum ante Pascha octo aut novem hebdomadis jejunent. Itaque illa interrogatio solum erat de diverso initio jejunii pro cujusvis provinciæ aut civis diverso more . Secundo ratio sic interrogandi esse poterat solatium colloquentium, congratulantium de numero superatarum jam hebdomadarum jejunii . Sic & isto adhuc tempore imperfecti sollicite computant numerum hebdomadarum superatarum aut residuarum in quadragesima, & solatii causa in colloquio memorant, quot hebdomades superatæ sint , aut supersint . De hujusmodi imperfectis loquitur D. Chrysostomus Serm. 1. De Anna , ubi finito quadragesimali jejunio docet , memoriam jejunii præteriti non deponendam esse . *Cum jejunium* , inquit , *apud nos dies quadraginta fuerit diversatum , comiter illud excepimus ac dimisimus . Igitur reminiscamur eorum bonorum , quæ nobis invexit . Hæc non eo a me dicuntur , quod vos* (*iterum post Pascha præsens*) *cogere velim ad jejunandum ; sed ne* (*post hoc tempus Paschale*) *genio indulgeatis , neve sic afficiamini , ut plerique homines solent , qui tanquam e vinculis emissi , & gravi quopiam carcere liberati sic alloquuntur se mutuo : Tandem aliquando molestum illud jejunii pelagus emensi sumus : Alii vero qui multo pejus & imbecillius sunt affecti , etiam ob futuram quadragesimam pertimescunt . Ex hoc textu patet , quod extiterint eo tempore , sibi de emenso jejunii curriculo in colloquiis congratulantes ; & quod agnoverint omnes obligationem jejunandi ; alioquin non sensissent , se quasi* vinculis & carcere emissos.

Ad 5. Dico, D. Chrysostomum sues tempore paschali non cogere ad novum jejunium . Hunc enim esse verborum sensum patet ex textu proxime adducto.

Objicitur 4 Si extitisset obligatio jejunandi primis sæculis, transgressio non fuisset tam universalis, libera , ac impunis, ut vix ullus eam toto quadragesimali tempore servaret, nullo Episcoporum contra eam transgressionem reclamante, atque reos vel ex cathedra arguente, aut a Sacramento Eucharistiæ transgressores arcente . Atque ea transgressio ita fuit generalis ac impunis . Ergo. *Minor probatur* testimoniis Patrum.

1. *D. Hieronymus* in Epist. ad Gal. cap. 3. ad illa verba : *Dies observatis ,*

&

& menſes. Dicat aliquis: Si dies obſervare non licet, & menſes, nos quoque crimen incurrimus obſervantes quartam (feriam) Sabbathi, & paraſceven (id eſt, feriam ſextam) & jejunium quadrageſimæ, & diem Dominicam. -- Qui acutius reſpondere conatur, illud affirmat, jejunia & congregationes propter eos a viris prudentibus conſtitutos, qui magis ſæculo vacant quam Deo, nec poſſunt immo nolunt in Eccleſia congregari. Quotus enim quiſque eſt, qui ſaltem hæc pauca, quæ ſtatuta ſunt vel orandi tempora vel jejunandi, ſemper exerceat?

2. *S. Maximus* Hom. de non timendis hoſtibus. *Cum jejunandum dicimus, præter paucos nemo jejunat.*

3. *S. Auguſtinus* Epiſt. 86. ad Caſulanum, de Romanis & de obſervantia jejunii quadrageſimalis loquens ſcribit: *Videant ergo Romani quid agant, apud quos omnibus iſtis ſex diebus præter pauciſſimos Clericos aut Monachos quotus quiſque invenitur, qui frequentet quotidiana jejunia? maxime, quia ibi jejunandum quinta Sabbathi non videtur.*

4. *Socrates lib. 5. cap. 21. Jejuniorum rationem, quæ ante Paſcha fiunt, aliter ab aliis obſervatam eſſe, facile eſt reperire. Nam qui ſunt Romæ, tres ſeptimanas ante Paſcha, Sabbatho & Dominico exceptis, ſimul jejunant.* Ita Socrates. Immo D. Auguſtinus loco proxime citato teſtatur, etiam feria quinta Romæ non fuiſſe jejunatum.

Reſpondeo. Negando Minorem, dico enim, jejunium quadrageſimale quoad ſubſtantiam ubivis manſiſſe in ſuo vigore, quamvis quoad modum, præſertim quoad continuitatem dierum, & quoad refectionis tempus fuerit variatum. Hinc.

Ad 1. Dico, paucos fuiſſe tempore S. Hieronymi, qui continuis ſex diebus ſine dierum interruptione jejunium uſque ad occaſum ſolis protraxerint, quin aliquoties comeſtionis tempus anticiparint; & hunc ſenſum aptiſſime recipiunt illa ejus verba: *Quotus quiſque eſt, qui ſtatuta jejunandi tempora ſemper obſervet?*

Ad 2. Dico, S. Maximum intelligi poſſe de jejuniis extraordinariis, non de præceptis. Aut ſi de iſtis loquitur, intelligi poteſt in ſenſu primæ reſponſionis.

Ad 3. Dico, D. Auguſtinum pariter intelligendum eſſe de continuis ſex diebus, & hora refectionis, ut ſenſus ſit; Quotus quiſque eſt præter paucos Clericos & Monachos, qui continuis ſex diebus Romæ jejunet uſque ad occaſum ſolis, *maxime quia ibi jejunandum quinta Sabbathi non videtur*, protrahendo videlicet jejunium uſque ad occaſum ſolis. Quod ſi quis exiſtimet, quod mihi non videtur, D. Auguſtinum locutum fuiſſe de omnimoda comeſtione carnium, aut duplici refectione feria quinta; neque id officit, quin reliquis diebus jejunium exacte ſervatum ſit.

Ad 4. Dico, Senſum verborum poſſe & debere eſſe hunc; Romæ tantum tribus ultimis quadrageſimæ hebdomadis ab omnibus jejunari vere ac ſtricte uſque ad occaſum ſolis; nam prioribus quadrageſimæ hebdomadis quamvis pauci Clerici & Monachi eum jejunandi morem uſque ad occaſum ſolis obſervent, & quidem continuis ſex diebus; id tamen ab aliis non obſervari, niſi feria 2. 4. & 6. nam aliis diebus ſumi quidem cibos quadrageſimales, & unam refectionem, ſed non ad veſperam diei, prout requirit jejunium. Hinc & Tertullianus lib. adverſus Pſychicos lib. 13. talia jejunia, quæ non protrahebantur ad veſperam, ſed ſolvebantur hora nona in jejuniis quatuor temporum, vocat *ſemijejunia*, quæ ipſe cap. 1. reprobat. Hæc explicatio eſt conformis D. Leoni, qui eodem tempore vixit Romæ, quo Socrates Conſtantinopoli, nempe anno 440. *D. Leo* Sermone octavo, & nono, & ipſe diſtinguit Romæ duplex jejunium, unum a medio quadrageſimæ uſque ad Paſcha, quod durat tribus ultimis ſeptimanis, vocat *jejunium majus*; alterum vero præcedens, quod durat ab initio quadrageſimæ uſque ad ejus medium, vocat tantum *abſtinentiam*, a carne videlicet, & ſecunda refectione.

Idem

Idem Serm. 4. de Quadrag., quem habuit initio quadragesimæ tantum præscribit strictum jejunium, nempe usque ad occasum solis, pro tribus diebus, nempe pro feria 2. 4. & 6. *Secunda igitur*, inquit, *& quarta, & sexta feria* (usque ad tres ultimas hebdomadas) *jejunemus*. Sermone 8. quem habuit initio quadragesimæ, dicit: *quia utilitas abstinentiæ est necessaria*. In Sermone 9., quem habuit circa medium quadragesimæ, quia cap. 3. dicit, *quoniam jam aliquoties*, (per quadragesimam) *hic instructos vos esse meministis*, & cap. 1. *scimus, dies Paschales esse contiguos*, in eo, inquam, Sermone cap. 1. asserit: *In quibus* (diebus Paschati contiguis, seu vicinis) *merito a Sanctis Apostolis per doctrinam Spiritus Sancti majora sunt ordinata jejunia*. His verbis sat clare indicat, ultimis quadragesimæ septimanis esse strictiora ordinata jejunia. Similiter Serm. 10. & 11. appropinquante festo Paschali dicit, non solum a ministris Ecclesiæ, sed etiam ab omnibus *sine exceptione* fidelibus esse magis insistendum jejunio, & operibus pietatis. Et quamvis forte initio quadragesimæ jam loquatur de vicinia Paschatis, ea tamen magis urget ac incitat medio quadragesimæ.

Dices: Etiam Tertullianus jejunium tantum restringit ad diem passionis Dominicæ, non ad totam quadragesimam, nam l. de oratione c. 14. dicit: *Sic & die Paschæ* (videlicet cœnæ aut Parasceves) *quo communis & quasi publica jejunii religio est, merito deponimus osculum*.

Respondeo. Tertullianum ideo hujus solum diei facere mentionem, quia hoc solo die jejunium, quod juxta Evangelium celandum est, ex professo publicatur subtrahendo in communione Cœnæ osculum pacis. Communicatum autem fuisse noctu in die Cœnæ, colligitur ex ejus l. 2. ad uxorem c. 4. & Cypriani Ep. 45. & 48.

Objicitur 5. Plures SS. Patrum testantur, jejunium quadragesimale non esse præcepti. 1. Theodoretus lib. 5. divin. Decret. *DE ABSTINENTIA*. *Ecclesia non prohibet eorum* (vini & carnium) *participationem*. 2. *Tertullianus* l. adversus Psychicos c. 2. referens Catholicorum mentem de obligatione jejunii dicit: „ Quod ad jejunia pertineat, certos dies „ a Deo constitutos opponunt, ut in „ Levitico (23). Certe in Evangelio „ dies illos jejuniis determinatos putant, „ in quibus ablatus est sponsus, & hos „ esse jam solos legitimos jejuniorum „ Christianorum. De cætero indifferenter jejunandum ex arbitrio, non ex „ imperio disciplinæ. Sic & Apostolos „ observasse, nullum aliud imponentes „ jugum certorum & in commune omnibus obeundorum jejuniorum; proinde nec Stationum, quæ & ipsæ „ suos quidem dies habeant quartæ feriæ & sextæ, passive tamen currant, „ neque sub lege præcepti, neque ultra supremam diei, (horam, id est, „ Nonam) quando & orationes fere hora nona concludant de Petri exemplo. “ Quot tempore Tertulliani dies jejunium Paschale exegerit, eo loci non dicitur nec cap. 13. ubi dicit: *Convenio vos præter Pascha jejunantes*, quamvis videatur ex aliis locis colligi, solum intelligi hebdomadam Passionis. Sic enim l. contra Judæos scribit: Pascha passio Domini est, & l. 4. Contra Marcin. Quo pateretur; Paschæ diem elegit Dominus. Et de orat. c. 14. Sic & die Paschæ, quo communis & quasi publica jejunii religio est, merito deponimus osculum, & contra Psychicos c. 14. Cur dicamus jejuniis Parasceven? (id est, Sabbathum ante Dominicam Paschæ) Quanquam & vos etiam Sabbathum figurando continuatis, nunquam nisi in Pascha jejunandum. Si ergo tempore Tertulliani ex præcepto sola Septimana Passionis fuit jejunanda, reliquæ hebdomadæ erant observationis liberæ. 3. *Gregorius Nyssenus* Serm. de pauperibus amandis de jejunio quadragesimali loquens ait: De his satis multa diximus, & vos consilium admonitionemque nostram reipsa & factis comprobastis.

Respondeo ad 1. Theodoretum ibi loqui

qui contra hæreticos, qui prohibebant aliqua ciborum genera ut immunda; & dicit, ab Eccleſia non prohiberi ipſum genus, ut perpetuo vitandum. Hic ſenſus patet legenti contextum.

Ad 2. dico, a Tertulliano per jejunium Paſchale intelligi totam quadrageſimam. Ratio eſt, quia oppoſitionem inter jejunium præceptum, & jejunia libera facturus tantum ponit hos terminos jejunio præcepto oppoſitos, jejunia feriæ quartæ & ſextæ & jejunia Stationum; ſi autem jejunium paſchale præceptum tantum reſtringeret ad hebdomadam Paſſionis, debuiſſet inter jejunia libera ponere etiam jejunia ipſius reliquæ quadrageſimæ, quam tamen fatetur etiam a Catholicis obſervatam eſſe. Idem patet ex eo, quia Catholici non objiciebant Montaniſtis, quod injungerent novum jejunium quadrageſimale ante Paſcha, ſed quod injungerent plures quadrageſimas quam unam. *Nos*, inquit Hieronymus Epiſt. 54. *unam quadrageſimam ſecundum traditionem Apoſtolorum jejunamus, illi tres in anno faciunt quadrageſimas*. Si tempore Hieronymi obſervatio unius quadrageſimæ fuiſſet noviter adjecta ab Eccleſia, Montaniſtæ facile potuiſſent defendere ſuam adjectionem alterius quadrageſimæ.

Ad 3. dico, Gregorium Nyſſenum loqui non de ſubſtantia jejunii, ſed de modo, & majore exactione in reſecandis lautitiis quadrageſimalibus. *De his*, inquit, *multa diximus* (*quod conveniat coquorum ſtudium cohibere, & pincernarum manus miſcendis poculis fatigatas comprimere*) & conſilium admonitionemque noſtram comprobaſtis.

Objicitur 6. Teleſphorus Papa, qui rexit Eccleſiam anno 143. jejunium quadrageſimale inſtituit; ſic enim dicitur in libro Pontificali: Teleſphorus conſtituit, *ut ſeptem hebdomadis ante Paſcha jejunium celebretur*. Et Interpolator Chronici Euſebiani ad annum 236. ſcribit: *Quadrageſimale jejunium a Teleſphoro Papa per hoc tempus inſtitutum ac præceptum quidam ſcribunt*.

Reſpondeo, quod Teleſphorus tantum auxerit tempus quadrageſimæ ad ſeptem hebdomadas, convenientia hac, ut veroſimile eſt, ductus, quia alioquin non obtinentur 40. dies jejunii, utpote demptis Dominicis. Iſta autem exactio pertinet ad perfectionem accidentalem jejunii, quæ etiam nunc obſervatur, inchoando jejunium a die cinerum. Imperitia Interpolatoris non eſt digna reſponſione; cum certum ſit, jejunium quadrageſimale non fuiſſe inſtitutum a Teleſphoro, utpote cujus meminerunt antiquiora Teleſphoro documenta, aut coætanea, ut oſtendi in *Demonſtratione Critica Religionis Catholicæ* part. 1.

Objicitur 7. Irenæus teſtatur, eo tempore quo ad Victorem Papam ſcripſit, nempe circa annum 195. adhuc fuiſſe dubitatum; an in quadrageſima unus dies, duo, vel tres, vel quadraginta eſſent jejunandi, ergo ſaltem exeunte ſæculo ſecundo nondum fuit ab Eccleſia agnita obligatio jejunii quadraginta dierum.

Reſpondeo, a D. Irenæo non approbari, ſed reprobari tanquam abuſum, mera ſimplicitate vel pertinacia particularium Diœceſium jam dudum introductum, morem paucarum Diœceſium in regionibus barbaris jejunandi ante Paſcha paucioribus diebus, quam quadraginta. Cum enim primi cujuſvis gentis Apoſtoli non judicaverint expedire, in locis eo tempore barbaris, ut in Galliæ quibuſdam provinciis, urgere præceptum jejunii quadrageſimalis, maxime ſi raræ fuerunt familiæ integræ ad fidem converſæ; veroſimile eſt, in hujuſmodi locis particularibus per conniventiam neoconverſis ſolum conſtitutos fuiſſe paucos ante Paſcha dies jejunii. Duo tamen ex hoc ipſo Irenæi teſtimonio in favorem Concluſionis eruo. 1. Id, quod Irenæus tanquam abuſum præciſe toleratum refert, non poſſe ſervire pro regula aliis more apoſtolico genuino imbutis. 2. Illi fideles, quotquot deſignatos jejunio antepaſchali habuerint dies, eos obſervabant ſub obligatione præcepti, ut colligitur illorum generali ſollicitudine; ergo etiam illi, qui obſervabant

bant 40. dies, id observabant ex præcepto. Verba Irenæi ad Victorem Papam, intendentis probare, etiam magnos abusus, atque aberrationes a vera institutione Apostolica tolerari oportere amore pacis, sunt ista: *Non enim de die* (Paschatis) *solum est controversia, sed etiam de modo observandi jejunium* (antepaschale). *Quidam enim existimant, se debere unum diem jejunare, alii duos, alii plures, alii autem quadraginta horas diurnas & nocturnas diem suum metiuntur. Atque hæc diversitas observantium non primo nostro tempore sed longe ante nos introducta est ab iis, qui, ut verosimile est, statuta Apostolica non exacte observabant, sicque consuetudinem ex simplicitate vel propriis moribus constitutam ad posteros transmittebant. Nihilominus omnes isti,* (non obstante tali abusu) *pacem inter se retinuerunt.* Hæc interpretatio consonat fonti græco.

Existimant quidem aliqui, Irenæum sic explicandum esse, ut sensus sit, aliquos tam stricte jejunium observasse, ut 40. horas, aut plures dies, immo & quadraginta dies sine ullo omnino cibo transegerint; Sed hæc explicatio non solum rejicienda est ex eo, quod Irenæus intendat demonstrare diversam observantiam circa modum jejunii præceptum, non circa modum jejunii arbitrarium; sed etiam convincitur esse falsa ex Actis Concilii Palæstini, celebrati anno 198. quo ipsissimo scripsit Irenæus. In Actis illius Concilii, prout in antiquis membranis habetur teste Baluzio, sic habetur: *Cum ommes Apostoli ex hoc mundo transissent, per universum orbem diversæ erant jejunia. In Italia alii plenos quadraginta dies jejunabant; alii triginta; alii dicebant, septem diebus in quibus mundus concluditur, sibi sufficere jejunare. Alii quia Dominus quadraginta diebus jejunasset, illi horas quadraginta deberent. Cum hæc ergo talis diversa esset observatio, mœror erat sacerdotum, quod ubi erat una fides, dissonarent jejunia.* In iisdem Actis habetur, etiam *ex vicinis* Palæstinæ *provinciis omnes Episcopos & sapientes ad Concilium evocatos esse*; ut proin ille abusus & a quadragenario numero recessio in ipso Concilio emendatus fuisse videatur.

CAPUT VIII.

Utrum dispensatio generalis a refectione unica, præsertim frequens, repugnet finibus, a Christo ad sanctificationem suæ Ecclesiæ præstabilitis?

Dico; eam certo repugnare. Id probo ex inductione omnium motivorum ex finium, quæ assignantur a sanctis Patribus pro institutione quadragesimalis jejunii.

I.

S. Leo Serm. 2. de jejunio decimi mensis. „ Quid potest esse efficacius je„ junio? cujus observantia appropinqua„ mus Deo, & resistentes diabolo vi„ tia blanda superamus. Semper virtu„ ti cibus jejunium fuit. De abstinen„ tia prodeunt castæ cogitationes, ra„ tionabiles voluntates, salubriora con„ silia. Et per voluntarias afflictiones „ caro concupiscentiis moritur, virtu„ tibus spiritus innovatur. Sed quia „ non solo jejunio animarum nostrarum „ salus aquiritur, impendamus virtuti „ quod subtrahitur voluptati. Fiat refe„ ctio pauperis abstinentia jejunantis. „ Studeamus viduarum defensioni, pu„ pillorum utilitati, lugentium conso„ lationi, dissidentium paci. Suscipia„ tur peregrinus, adjuvetur oppressus, „ vestiatur nudus, foveatur ægrotus, „ ut quicunque nostrum de justis labo„ ribus authori bonorum omnium Deo „ sacrificium hujus pietatis obtulerit, ab „ eodem regni cœlestis præmium per„ cipere mereatur.

Idem l. cc. Serm. 4. „ In omni tem„ pore, vitaque hujus sæculi jejunia nos „ contra peccata faciunt fortiores; je„ junia concupiscentias vincunt, tenta„ tiones repellunt, superbiam inclinant, „ iram mitigant, & omnes bonæ vo„ lun-

„ luntatis affectus ad maturitatem to-
„ tius virtutis enutriunt; ſi tamen in
„ ſocietatem ſibi benevolentiam chari-
„ tatis aſſumant; jejunium enim ſine
„ eleemoſina non tam purgatio animæ
„ quam carnis afflictio eſt.

„ *Ibid.* In exequendis divinis manda-
„ tis quia humana fragilitas plerumque
„ laſſeſcit, & in multis per lubricum
„ ſuæ infirmitatis offendit, miſericors
„ & pius Dominus remedia nobis &
„ adjutoria dedit, per quæ veniam ob-
„ tinere poſſimus. Quis enim tot ille-
„ cebras mundi, tot inſidias diaboli,
„ tot denique pericula ſuæ mutabilita-
„ tis evaderet, niſi clementia æterni
„ regis mallet nos reparare, quam per-
„ dere? Nam & qui jam regenerati fi-
„ lii lucis effecti ſunt, quamdiu tamen
„ in hoc mundo, qui totus in maligno
„ poſitus eſt, detinentur, quamdiu in-
„ firmitati carnis corruptibilia & tem-
„ poralia blandiuntur, non poſſunt iſtos
„ dies ſine tentatione tranſire. Nec fa-
„ cile provenit cuiquam tam incruenta
„ victoria, ut inter multos hoſtes, fre-
„ quenteſque conflictus, etiamſi ſit li-
„ ber a morte, ſit quoque immunis a
„ vulnere. Curandis igitur læſionibus
„ quas ſæpe incidunt, qui cum inviſi-
„ bili hoſte confligunt, trium maxime
„ remediorum eſt adhibenda medicina:
„ in orationis inſtantia, in caſtigatione
„ jejunii, in eleemoſinæ largitate; quæ
„ cum pariter exercentur, Deus propi-
„ tiatur, culpa deletur, tentator eliditur. Et iis quidem præſidiis ſemper
„ fidelis anima debet accingi, ſed tunc
„ ſtudioſius præparari, cum ii adſunt
„ dies, qui proprie ſunt ad hæc pieta-
„ tis officia præſtituti.

Idem Serm. 8. l. cc. „ Cum de ad-
„ ventu regni Dei diſcipulos ſuos Sal-
„ vator inſtrueret, totamque Eccleſiam
„ ſuam in Apoſtolis erudiret; Cavete,
„ inquit, ne graventur corda veſtra in
„ crapula & ebrietate, & cogitationi-
„ bus ſæcularibus. -- Ad cujus (proin)
„ adventum omnem hominem conve-
„ nit præparari, ne quem aut ventri
„ deditum, aut curis ſæcularibus inve-
„ niat implicatum. Quotidiano enim
„ experimento comprobatur, potus ſa-
„ tietate aciem mentis obtundi, & ci-
„ borum nimietate vigorem cordis he-
„ betari; ita ut delectatio edendi etiam
„ corporum contraria ſit ſaluti, niſi ra-
„ tio temperantiæ obſiſtat illecebræ, &
„ quod futurum eſt oneri, ſubtrahat vo-
„ luptati. Quamvis enim ſine anima
„ nihil caro deſideret, & inde accipiat
„ ſenſus, unde ſumit & motus; ejuſ-
„ dem tamen eſt animæ, quædam ſibi
„ ſubditæ negare ſubſtantiæ, & interio-
„ ri judicio ab inconvenientibus exte-
„ riora frœnare, ut a corporeis cupidi-
„ tatibus ſæpius libera, in aula mentis
„ poſſit divinæ vacare ſapientiæ, ubi
„ omni ſtrepitu terrenarum ſilente cu-
„ rarum in meditationibus ſanctis, &
„ in delitiis lætetur æternis -- Hujus
„ obſervantiæ utilitas in Eccleſiaſticis
„ præcipue eſt conſtituta jejuniis, quæ
„ ex doctrina ſancti Spiritus ita per to-
„ tius anni circulum diſtributa ſunt,
„ ut lex abſtinentiæ omnibus ſit ad-
„ ſcripta (quatuor) temporibus.

Idem Serm. 4. De Quadrageſima.
„ Prædicaturus vobis ſacratiſſimum ma-
„ ximumque jejunium quo aptius utar
„ exordio, quam verbis Apoſtoli: Ec-
„ ce nunc dies ſalutis. Quamvis enim
„ nulla ſint tempora, quæ divinis non
„ ſint plena muneribus; & ſemper no-
„ bis ad miſericordiam Dei per ipſius
„ gratiam præſtetur acceſſus. Nunc ta-
„ men omnium mentes majori ſtudio
„ ad ſpiritales profectus moveri, & am-
„ pliori fiducia oportet animari; quan-
„ do ad univerſa pietatis officia illius
„ nos diei, in quo redempti ſumus,
„ recurſus invitat, ut excellens ſuper
„ omnia Paſſionis Dominicæ ſacramen-
„ tum purificatis & corporibus & ani-
„ mis celebremus. Debebatur quidem
„ tantis myſteriis ita inceſſabilis devo-
„ tio, & continuata reverentia, ut ta-
„ les permaneremus in conſpectu Dei,
„ quales nos in ipſo paſchali feſto di-
„ gnum eſt inveniri. Sed quia hæc for-
„ titudo paucorum eſt; & dum carnis
„ fragilitate auſterior obſervantia rela-

„ xatur,

„ xatur, dumque per varias actiones vi-
„ tæ hujus sollicitudo distenditur, ne-
„ cesse est de mundano pulvere etiam
„ religiosa corda sordescere, magna di-
„ vinæ institutionis salubritate provisum
„ est, ut ad reparandam mentium pu-
„ ritatem quadraginta nobis dierum e-
„ xercitatio mederetur, in quibus alio-
„ rum temporum culpas & pia opera
„ redimerent, & jejunia casta decoque-
„ rent. Ingressuri igitur dies mysticos,
„ & purificandis animis atque corpori-
„ bus sacratius institutos præceptis apo-
„ stolicis obedire curemus.

Idem Serm. 11. de Quadrag. „ Ap-
„ propinquante festivitate Paschali adest
„ maximum sacratissimumque jejunium,
„ quod observantiam sui universis fide-
„ libus sine exceptione denuntiat; quia
„ nemo tam sanctus est, ut non san-
„ ctior, nemo tam devotus, ut non
„ debeat esse devotior. Quis enim in
„ hujus vitæ constitutus incerto aut im-
„ munis a tentatione, aut liber inve-
„ niatur a culpa? Quis est, qui nihil
„ virtutis sibi adjici, aut qui nihil vi-
„ tii sibi optet auferri? Cum & adver-
„ sa noceant, & secunda corrumpant;
„ nec minoris sit periculi carere deside-
„ ratis, quam abundare concessis? In-
„ sidiæ sunt in divitiarum amplitudine;
„ insidiæ in paupertatis angustiis. Illæ
„ elevant ad superbiam; hæ incitant ad
„ querelam. Tentat sanitas, tentat in-
„ firmitas. -- Magni est ergo operis,
„ mobilitatem cordis ab omnibus con-
„ tinere peccatis, & cum undique vo-
„ luptatum illecebræ blandiantur innu-
„ meræ, ad nulla contagia vigorem a-
„ nimi relaxare. Quis picem tangit,
„ & non inquinatur ab ea? Quis non
„ infirmatur in carne? Jubet per Apo-
„ stolum doctrina divina, ut qui habent
„ uxores, tanquam non habentes sint.
„ -- Hanc autem fortitudinem nulli ma-
„ gis quam præsentes & exigunt & con-
„ ferunt dies, quibus dum observantia
„ spiritalis impenditur, consuetudo, in
„ qua perseveretur, aquiritur.

Idem Serm. 12. De Quadragesima. „ Quia universitas fidelium ad perfectam „ innocentiam, & ad plenam debet „ tendere puritatem, omni instantia & „ virtute nitendum est, ut quidquid se- „ cretum conscientiæ maculat, quidquid „ aciem mentis obscurat, diligentissi- „ mis emundationibus deleatur. -- Ne- „ mo tam sanctus, qui in tempore hu- „ jus vitæ, quæ tota tentatio est, cu- „ jusçunque peccati remissione non e- „ geat. Circumstant undique pericula „ innumerabilium delictorum, & per „ licitos usus ad immoderatos transitur „ excessus, dum per curam salutis ir- „ repit delectatio voluptatis, & non „ sufficit concupiscentiæ, quod potest „ satis esse naturæ. -- His autem & „ aliis tentationibus, quarum est infi- „ nita connexio, quæ rectius virtus, „ quam continentia opponitur, quæ nu- „ triendis atque servandis animi & cor- „ poris bonis & incrementa præbet & „ roborat? Unde in cœlestibus Eccle- „ siæ disciplinis multum utilitatis adfe- „ runt divinitus instituta jejunia; ut „ dum continentiæ legibus subjicitur car- „ nalis appetitus, motus quoque inte- „ rior temperetur, ac sicut corpus a „ cibis, ita mens ab iniquitate jejunet. „ Dominus dicit: Gustate & videte quo- „ niam suavis est Dominus. Quisquis „ dulcedinem justitiæ & misericordiæ „ Dei gustu cordis attigerit, & nullo „ unquam minuenda fastidio experimen- „ ta supernorum hauserit gaudiorum, „ corruptibilia & temporalia bona æter- „ norum admiratione despiciet, & in „ illo igne, quem Dei accendit chari- „ tas concalescet, ut algore in fervo- „ rem conversa, & in lucem mutata no- „ cte, uno opere in animis fidelium „ Spiritus sanctus & tenebras abigat, „ & peccata consumat. Unde quia ta- „ les fructus mater virtutum continentia „ parit, & jejunantes a vitiis ad ineffa- „ bilia oblectamenta perducit, studio- „ siori nunc opere exequamur præcepta „ cœlestia, &c.

Idem Serm. 1. De jejunio septimi mensis. „ Observantiam vestram ita no- „ vimus esse devotam, ut animas ve- „ stras non solum legitimis, sed etiam

„ vo-

„ voluntariis jejuniis excolatis. Verum-
„ tamen adjicienda eſt huic ſtudio et-
„ iam noſtræ admonitionis exhortatio',
„ ut ſiqui ſunt in hoc exercitio tardio-
„ res, in his ſaltem diebus communi
„ abſtinentiæ ſe obedienter adjungant,
„ in quibus nos oportet ſacratiſſimam
„ conſuetudinem attentius celebrare, ut
„ per humilitatem jejunii contra omnes
„ hoſtes noſtros divinum mereamur au-
„ xilium. Res enim eſt præcipui ope-
„ ris, quam & ex authoritate indici-
„ mus, & ex charitate ſuademus, ut
„ paululum edendi libertate compreſſa
„ caſtigationi corporum, & pauperum
„ ſuadeamus alimoniæ.

Idem Serm. 2. De jejunio ſeptimi menſis. „ Deus, qui nos ad promiſ-
„ ſiones vitæ æternæ per ſemitas vult
„ ambulare juſtitiæ, de futura tenta-
„ tione, quæ nobis in virtutum itine-
„ re inſidioſis adverſaretur occurſibus,
„ multis nos præſidiis, in quibus la-
„ queos diaboli obtereremus, inſtruxit.
„ Inter quæ hoc famulis ſuis ſaluberri-
„ mum contulit, ut contra omnes ini-
„ mici dolos fortitudine ſe continentiæ
„ & operibus pietatis armarent. Ille
„ enim, qui ab initio primis hominibus interdicti cibi inſeruit appetitum,
„ & male credulis per illecebram edendi omnium concupiſcentiarum virus
„ infudit, eaſdem fraudes retractare non
„ deſinit, & in natura, quam ſcit ſuis
„ feminibus eſſe vitiatam & corruptam,
„ ſationis ſuæ germen inquirit, ut ad
„ labefactanda ſtudia virtutis deſiderium
„ voluptatis accendat. Quoniam pœna
„ ipſius eſt provectio Chriſtiana; nec
„ poteſt eorum animos aliquo modo læ-
„ dere, qui noverunt auxiliante Domino in ſua carne regnare. Rationabili ergo moderatione ſanctoque propoſito frœnandæ ſunt rebelles cupiditates, nec ſinendum eſt, ut caſtis & ſpiritalibus deſideriis corporales concupiſcentiæ reluctentur. Agnoſcat interior homo exterioris ſui ſe eſſe rectorem, ut mens divino gubernata dominatu terrenam ſubſtantiam in bonæ voluntatis cogat obſequium. Nec „ enim deeſt nobis ad hunc ordinem ob-
„ ſervandum miſericordioſiſſimi regis au-
„ xilium, qui nos ſaluberrimæ obſervan-
„ tiæ ratione informavit, præfiniens
„ nobis per temporum recurſus quoſ-
„ dam jejuniorum dies in quibus caſti-
„ gatione corporum virtus roboraretur
„ animorum. -- Nam in omni agone
„ certaminis Chriſtiani utilitas continen-
„ tiæ plurimum valet, ita ut quidam
„ ſæviſſimorum ſpiritus dœmonum, qui
„ ab obſeſſis corporibus nullis exorcizan-
„ tium fugantur imperiis, ſola jejunio-
„ rum & orationum virtute pellantur,
„ dicente Domino Matth. 17. Hoc ge-
„ nus dœmoniorum non ejicitur, niſi
„ in jejunio & oratione. Grata ergo
„ eſt Deo, & terribilis diabolo jejunan-
„ tis oratio; nec latet, quantum aqui-
„ rat ſaluti ſuæ, quæ tantum præſtat
„ alienæ.

Idem De jejunio ſeptimi menſis, Serm. 3. „ Ad exorandam miſericordiam
„ Dei, & ad renovandum ſtatum fra-
„ gilitatis humanæ quantum valeant re-
„ ligioſa jejunia, ſanctorum prophetarum prædicatione cognoſcimus, qui
„ divinæ juſtitiæ commotionem, quam
„ frequenter populus Iſrael merito iniquitatis inciderat, non niſi jejunio
„ proteſtatur poſſe placare. Unde &
„ Joel propheta: Convertimini ad me
„ in toto corde veſtro, in jejunio, &
„ fletu, & planctu. Et iterum: Sanctificate jejunium, prædicate curationem, congregate plebem, ſanctificate Eccleſiam. Quæ cohortatio noſtris
„ quoque eſt amplectenda temporibus,
„ quia hujus curationis remedia etiam
„ a nobis ſunt neceſſario prædicanda,
„ ut in obſervantia ſanctificationis anti-
„ quæ quod perdidit Judaica prævarica-
„ tio aquirat Chriſtiana devotio. Di-
„ vinarum namque reverentia ſanctio-
„ num inter quælibet ſpontaneæ obſer-
„ vantiæ ſtudia habet ſemper privilegium
„ ſuum, ut ſacratius ſit, quod publica lege celebratur, quam quod privata inſtitutione dependitur. Exercitatio enim continentiæ, quam ſibi
„ quiſque proprio arbitrio indicit, ad

„ utilitatem cujusdam pertinet portio-
„ nis. Jejunium vero, quod universa
„ Ecclesia suscipit, neminem a genera-
„ li purificatione sejungit; & tunc fit
„ potentissimus Dei populus, quando
„ in unitatem sanctæ obedientiæ om-
„ nium fidelium corda convenerunt, &
„ in castris militiæ Christianæ similis ex
„ omni parte præparatio, & eadem est
„ ubique munitio. Ad hujus ergo invi-
„ ctæ pietatis potentiam etiam hoc nos
„ solenne jejunium septimi mensis invi-
„ tat; & ibid. Serm. 4. Quamvis uni-
„ cuique nostrum liberum sit voluntа-
„ riis castigationibus proprium corpus
„ afficere, & repugnantes spiritui car-
„ nales concupiscentias edomare, qui-
„ busdam tamen diebus ab omnibus o-
„ portet pariter celebrare generale jeju-
„ nium, & tunc est efficacior, san-
„ ctiorque devotio, quando in operi-
„ bus pietatis totius Ecclesiæ unus ani-
„ mus & unus est sensus. Publica enim
„ præferenda sunt propriis; & ibi in-
„ telligenda est præcipua cura utilitatis,
„ ubi vigilat cura communis.

Idem l. cc. Serm. 6. „ Non ignoro,
„ observantiam vestram ad celebrandum
„ solenne jejunium spiritaliter incitari,
„ quoniam experiendo didicistis, quan-
„ tum hæc præparatio & exteriora &
„ interiora hominum purificet, ut cum
„ a licitis abstinetur, facilius illicitis
„ resistatur.

Idem l. cc. Serm. 8. „ Omnis divino-
„ rum eruditio præceptorum hoc maxi-
„ me agit apud corda credentium, ut
„ amor pravus recto amore superetur,
„ & delectatione justitiæ peccandi cupi-
„ ditas destruatur. -- Abstinendum est
„ itaque ab his, quæ nobis noxie blan-
„ diuntur, & lex peccati, quæ est in
„ membris nostris, Dei lege superanda
„ est; ut licet per omnes sensus corpo-
„ ris multæ insidientur illecebræ, ani-
„ mus tamen, cui summum bonum &
„ verum gaudium Deus est, inter ca-
„ stas, spiritalesque delitias in sapien-
„ tiæ latitudine & in veritatis luce ver-
„ setur. Si enim seipsum sibi rationa-
„ lis homo comparet, omnesque suo-
„ rum actuum qualitates vera inspectione
„ dijudicet, nunquid in intimis con-
„ scientiæ suæ hoc delectationis inveniet
„ de iniquitate commissa, quod de æ-
„ quitate servata? aut tantum ei jucun-
„ ditatis carnalis voluptas, quantum spi-
„ ritalis pariet appetitus? Nihil pror-
„ sus de virtutum splendore attingit,
„ nihil de pietatis suavitate gustat, qui
„ magis vult fordescere in iis, quæ im-
„ munda sunt, quam in iis splendere,
„ quæ sancta sunt. Non sinit ratio, ut
„ cordibus non usquequaque captivis ita
„ placeat satiata ira, ut remissa vindi-
„ cta; aut tantum generent gaudium
„ mala quæsita de alieno, quantum bo-
„ na expensa de proprio. Ut autem in
„ hoc provectu animus religiosus excel-
„ lat, & jus suæ dominationis obtineat,
„ subigendo corpori castigatio est adhi-
„ benda jejunii.

Ex hucusque inductis D. Leonis ver-
bis erui possunt sequentes fines jejunii,
quos intendit Deus & Ecclesia.

1. Jejunio mente pura & serena ap-
propinquatur Deo.

2. Per jejunium vitia blanda carnis su-
perantur.

3. Per jejunium excoguntur castæ co-
gitationes, & sana consilia, & volun-
tatis bona proposita.

4. Concupiscentia innata moritur aut
notabiliter edomatur.

5. Spiritus innovatur virtutibus.

6. Parsimonia victus præbetur facultas
subveniendi pauperibus, viduis, pupil-
lis, peregrinis, nudis, ægris, &c.

7. Jejunio fit animus adversus peccata
fortior.

8. Motus concupiscentiæ vincuntur.

9. Tentationes repelluntur.

10. Superbia humiliatur.

11. Ira mitigatur.

12. Bonæ voluntatis affectus ad ma-
turitatem virtutis enutriuntur.

13. Contracta ex innumeris tentatio-
nibus vulnera sanantur.

14. Innumera peccatorum debita re-
dimuntur.

15. Mens a strepitu cupiditatum cor-
poralium liberatur, sicque fit idonea,

ut

ut vacet ſapientiæ divinæ ac delitiis lætetur æternis.

16. Per jejunium purificatur mens a culpis, & affectibus terrenis, ſicque præparatur ad digne recipiendam S. Communionem paſchalem.

17. Boni contrahunt jejunio bonam conſuetudinem, fortius reſiſtendi vitiis, & melius inſiſtendi virtutibus.

18. Conjugati aquirunt potentiam ſervandi leges matrimonii, ne excedant aut in peccata mortalia, aut in innumera venialia circa uſum matrimonii.

19. Satisfit pro peccatis.

20. Obligatio tendendi ad perfectionem Chriſtianam cujuslibet ſtatui congruam, quam habet quilibet, magna parte urget ad jejunium, utpote quo intellectus perficitur, & purificatur conſcientia.

21. Jejunium plurimum valet ad promerendum divinum auxilium, contra hoſtes animæ neceſſarium.

22. Aliquod genus dœmoniorum, præſertim eorum, quæ vim & dominatum ſuum in homine exercent per concupiſcentiam, non ejicitur, niſi per jejunium junctum orationi. Sic enim conſtitutum eſt juſto judicio Dei.

23. Deus iratus, dum exercet vindictam in populos immiſſis plagis publicis, non placatur niſi jejuniis communibus & publicis.

24. Abſtinendo a licitis contrahitur facilitas abſtinendi ab illicitis.

25. Jejunio diſponitur animus ad gaudendum in ſolo Deo, ſuo ſummo bono, & in divinis.

Hi ergo ſunt fines a Deo & Eccleſia præſtabiliti atque intenti, qui generaliter atque a potiori in hac providentia non poſſunt a Deo ſperari atque exſpectari ſine lege jejunii. Si ergo Deus & Eccleſia efficaciter volunt hos fines, utpote neceſſarios ad finem primarium ſeu ſanctificationem Eccleſiæ, non poſſunt non velle medium ad illos fines neceſſarium, nempe obligationem quadrageſimalis jejunii. Videant ergo Epiſcopi, quomodo rationem dare poterunt Deo, ſi diſpenſationes a lege jejunii non ſolum quoad eſum carnium, ſed etiam quoad refectionem ſecundam concedant generaliter ob motivum commoditatis temporalis, quaſi vero in ſtatera æſtimationis divinæ non plus valeant fines enumerati, qui fruſtrantur, quam fines per diſpenſationem intenti. Quoad diſpenſationem ad ſecundam refectionem non poterunt prætendere ignorantiam invincibilem, cum tam aperte reclamet Summus Pontifex, non novam legem ſtatuendo, ſed divinam & Eccleſiaſticam declarando.

II.

Tertullianus fines & fructus jejunii, a Chriſto & ab Eccleſia neceſſario intentos, in libro *adverſus Pſychicos*, ſeu *animales*, per quos intelligebat Catholicos, eo quod jejunarent, tantum unam quadrageſimam, non tres more Montaniſtarum, ſic deſcribit cap. 2. „ Eo „ jam ſubtiliter tendunt, (Pſychici) „ ut unuſquiſque pronior ventri poſſit „ ſupervacua, nec adeo neceſſaria exiſtimare ſublati vel diminuti vel demorati cibi officia, præponendo videlicet juſtitiæ & innocentiæ opera. „ Et ſcimus, quales ſint carnalium „ commodorum ſuaſoriæ; quam facile dicatur: In duobus præceptis (dilectionis Dei & proximi) tota lex pendet, non in pulmonum & inteſtinorum meorum inanitate. Itaque nos „ hoc prius affirmare debemus, quantum valeat apud Deum inanitas iſta; „ & unde ratio iſta proceſſerit hoc modo promerendi Deum. Tunc enim „ agnoſcetur obſervationis neceſſitas, „ cum eluxerit rationis authoritas. Acceperat Adam a Deo legem non guſtandi de arbore -- verum & ipſe reverſus in pſychicum, nec etiam capiens, quæ erant ſpiritus facilius ventri quam Deo ceſſit; ſalutem gula „ vendidit, ſalvus alioquin, ſi uni arbuſculæ jejunare maluiſſet. Teneo „ igitur a primordio homicidam gulam, „ tormentis & ſuppliciis inediæ cruciandam, etiamſi Deus nulla jejunia præ-

„ cepisset . Ostendens enim , unde sit „ occisus Adam , mihi reliquerat intel- „ ligenda remedia offensæ . Hinc ultro „ cibum pro veneno deputarem , & „ antidotum famem sumerem , per quam „ purgarem mortis a primordio cau- „ sam , in me quoque cum ipso gene- „ re traductam , certus , hoc Deum „ velle , cujus contrarium noluit , sa- „ tisque confidens , placituram illi con- „ tinentiæ curam , a quo damnatam „ comperissem incontinentiæ culpam . „ Porro cum & ipse jejunium mandet , „ & animam conquassatam , utique ci- „ bi angustiis , sacrificium appellet , „ quis dubitabit , omnium victus ma- „ cerationum hanc fuisse rationem , qua „ rursus interdicto cibo primordiale de- „ lictum expiaretur , ut homo per ean- „ dem materiam Deo satisfaciat , per „ quam offenderat , id est , per cibi „ interdictionem , atque ita salutem æ- „ mulo modo reaccenderet inedia , si- „ cut extinxerat fagina , pro unico il- „ licito plura licita contemnens . Hæc „ ratio servabatur apud providentiam „ Dei pro temporibus omnia modulan- „ tis (nempe usque ad legem gratiæ , „ in omnibus perfectam , in qua tan- „ dem jejunium quadragesimale etiam „ ex isto secreto motivo Dei introduc- „ tum est.)

„ *Ibid.* cap. 6. Nunc conscientiam „ nostram consulamus , quales nos an- „ te pabulum & potum in virgine ad- „ huc saliva (id est , jejuna) sensus „ exhibere consueverit rebus agendis ? „ (præsertim ad divina tractanda) E- „ xaminemus , an multo pollentioris „ mentis , an multo vivacioris cordis „ simus , quam cum totum domicilium „ interioris hominis escis stipatum , vi- „ nis inundatum , decoquendis jam ster- „ coribus æstuans præmeditatorium ef- „ ficitur latrinarum , in quo plane ni- „ hil tam in proximo superst , quam „ ad lasciviam sapere. *Manducavit po- „ pulus & bibit , & surrexerunt ludere* . „ Exod. 22. Intellige Scripturæ vere- „ cundiam , lusum nisi impudicum non „ denotasset . Cæterum quotusquisque me- „ minerit religionis occupatis memoriæ „ locis ? impeditis sapientiæ membris ? „ Nemo ita ut decet , ita ut par est , „ ita ut utile est , recordabitur Dei in „ eo tempore , quo ipsum sibi hominem „ excidere solenne est. Omnem disci- „ plinam victus aut occidit , aut vul- „ nerat . Mentior , si non Dominus ip- „ se oblivionem sui exprobrans Israeli „ causam plenitudini reputat. *Incrassa- „ tus est dilectus , & pinguefactus , & „ dilatatus est , & dereliquit Deum qui „ fecit eum*. Deut. 32. Cæterum (Moy- „ ses) cui cor erectum potius inveniebа- „ tur quam impinguatum , quadraginta „ diebus jejunium perennavit , & vidit „ oculis Dei gloriam , & audivit Dei „ vocem ; cum pinguior populus nec ip- „ sum Moysen contemplari valeret . „ Merito igitur & in carne Dominus se „ ostendit Collegæ jejuniorum suorum „ (Joanni Baptistæ) , non minus , & „ Eliæ , qui cum vacuo ventre (post 40. „ dierum jejunium) in spelunca diver- „ tisset , familiari congressu Dei excep- „ tus est. *Quid tu Elia hic ?* Multo a- „ micior ista vox , quam *Adam ubi es?* „ Illa enim pasto homini minabatur ; „ ista jejuno blandiebatur . Tanta est „ circumscripti victus prærogativa , ut „ Deum præstet homini contubernalem . *Ibid.* cap. 7. „ Processimus jam ad „ exempla , ut revolvamus utilitatis ef- „ ficacia potestates (jejunii) quod etiam „ Deum iratum homini reconciliat . De- „ liquerat Israel apud Maspha 1. Reg. „ 7. Statim delictum jejunio diluit . Cum „ Samuel offerebat holocaustum , in nul- „ lo magis procuratam audimus Dei Cle- „ mentiam , quam abstinentia populi . „ Et corruerunt Allophili in conspectu „ Israel. Hæ erunt vires jejunantium „ Deo ; cœlum pro ejusmodi militat . „ Habes formam præsidii etiam spiritua- „ libus bellis necessariam . Per inediam „ etiam Ninive de exitio liberatur . „ Sodoma quoque & Gomorrha evasis- „ sent , si jejunassent . Achab post ido- „ lolatriam & necem Nabuthæ jejuna- „ vit , & dormivit in sacco ; & tunc „ sermo Domini ad Eliam : Vidisti , ut

„ re-

„ reveritus ſit Achab a facie mea? Pro
„ eo, quod reveritus eſt, non ſuperdu-
„ cam læſuram in diebus ipſius. Ita
„ jejunium in Deum reverentiæ opus
„ eſt; per quod Anna quoque ſterilis
„ impetravit a Deo inanem cibo ven-
„ trem filio implere, & quidem pro-
„ pheta. Sed non modo naturæ muta-
„ tionem, aut periculorum averſionem,
„ aut delictorum obliterationem, verum
„ etiam Sacramentorum agnitionem je-
„ junia de Deo merebuntur. Aſpice Da-
„ nielis exemplum. Circa ſomnium re-
„ gis omnes turbant Sophiſtæ. Solus Da-
„ niel, ſciens quid ad demerendam Dei
„ gratiam faceret, cum ſua fraternitate
„ jejunat, atque ita orationibus com-
„ mendatis ſignificationem ſomnii in
„ ſtruitur. Non minorem poſtea (illu-
„ ſtrationem) retulit, cum dedit faciem
„ ſuam Deo in jejuniis & ſacco & ci-
„ nere. Nam & angelus miſſus ad eum
„ hanc ſtatim profeſſus eſt cauſam di-
„ vinæ dignationis. Veni, inquit, de-
„ monſtrare tibi, quatenus miſerabilis
„ es, jejunando ſcilicet. In limine E-
„ vangelii Anna Prophetis poſt egregium
„ titulum veteris & univiræ viduitatis
„ jejuniorum quoque teſtimonio auge-
„ tur, oſtendens, in quibus officiis aſſi-
„ deri Eccleſiæ debeat, & a nullis ma-
„ gis intelligi Chriſtum, quam ſemel
„ nuptis, & ſæpe jejunis. Ipſe Domi-
„ nus baptiſma ſuum, & in ſuo om-
„ nium, jejuniis dedicavit, immo no-
„ vum hominem in veteris ſugillatio-
„ nem virtute faſtidiendi cibi initiabat,
„ ut eum diabolo riurſus per eſcam ten-
„ tare quærenti fortiorem fame tota o-
„ ſtentaret. Præſtituit exinde jejuniis le-
„ gem. Docuit etiam, adverſus diriora
„ dœmonia jejuniis præliandum. Quid
„ enim mirum, ſi eadem operatione ſpi-
„ ritus iniquus educitur, qua ſanctus in-
„ ducitur? Ut in Centuriorem Corne-
„ lium necdum tinctum dignatio Spiri-
„ tus Sancti cum chariſmate prophetiæ
„ feſtinaſſet, jejunia ejus legimus exau-
„ dita. Principalis hæc ſpecies in ca-
„ ſtigatione victus poteſt jam de infe-
„ rioribus quoque abſtinentiæ operatio-
„ nibus præjudicare (id eſt, formare ju-
„ dicium), ut & ipſis pro modo uti-
„ libus, aut neceſſariis. Nam exce-
„ ptio eduliorum quorundam portionale
„ jejunium eſt.

Ex his Tertulliani teſtimoniis eliciuntur ſequentes jejunii fines & fructus a Deo intenti. 1. Caſtigatio ſolennis culpæ originalis, & conteſtatio odii erga cauſam malorum, ut hoc modo Chriſtianus induat & præferat affectum divinæ juſtitiæ conformem. 2. ut Chriſtiani fiant idonei ad intelligenda divina. 3. ut retrœnetur propenſio ad laſciviam, comes ſaturitatis. 4. ut Chriſtiani conſerventur in memoria habituali Dei & divinorum, quæ extingitur aut ſopitur nimium in ſaturis. 5. Ne Chriſtiani fugiendo ardua induant horrorem diſciplinæ Chriſtianæ; ſed potius aſſueſcantur difficultatibus, & diſciplinæ 6. ut Chriſtiani fiant idonei ad majorem familiaritatem cum Deo 7. & ad contemplationem. 8. & ad agnitionem myſteriorum divinorum. 9. ut placetur ira Dei in populum. 10. ut Chriſtiani fortius pugnent contra dœmonem, & felicius; utpote muniti copioſiori præſidio gratiæ. 11. ut poteſtas vehemens dœmonum, quam Deus juſto judicio ſæpe permittit, expellatur ab homine. 12. ut impetrentur uberiora Spiritus Sancti chariſmata.

Cum ergo Deus hos fines & fructus copioſos quærat a ſua Eccleſia, ut ſic exhibeat ſibi glorioſam ſponſam; nec eos obtinere poſſit ſaltem a potiori parte Eccleſiæ ſine jejunio, atque lege jejunii; utpote torpentibus plerumque fidelibus ad ejuſmodi moleſta bona opera, niſi lege adſtringantur; ſequitur; legem jejunii productioris, quale eſt quadrageſimale, eſſe medium neceſſarium ad fines præſtabilitos a Deo.

III.

Origenes neceſſitatem jejunii ad fines a Deo præſtabilitos in cap. 16. Levit. Hom. 10. ſic oſtendit. „ Habemus qua-
„ drageſimæ dies jejuniis conſecratos.

„ Habemus quartam & sextam septi-
„ manæ dies, quibus solenniter jejuna-
„ mus. Est certe libertas Christiano per
„ omne tempus jejunandi. Nam quo-
„ modo apud eos castitas incorrupta ser-
„ vatur, nisi arctioribus continentiæ ful-
„ ta subsidiis? Quomodo Scripturis ope-
„ ram dabunt? Quomodo scientiæ &
„ sapientiæ studebunt? Nonne per con-
„ tinentiam ventris & gutturis? Quomo-
„ do quis seipsum castrat propter regnum
„ cœlorum, nisi ciborum affluentiam
„ resecet? nisi abstinentia utatur mini-
„ stra? Hæc ergo Christianis jejunandi
„ causa est. Ita Origenes.

IV.

S. Basilius Hom. 1. *De jejunio*, va-
rios recenset jejunii fines & fructus.
„ Hilari animo excipiamus jejunium.
„ Noli tristis esse dum curaris. Quem-
„ admodum enim vermes, qui in puero-
„ rum intestinis germinant, pharmacis
„ quibusdam acribus & amaris excutiun-
„ tur; ita peccatum in intimis secessi-
„ bus inhabitans delet, enecatque, si-
„ mul atque in animam supervenerit,
„ jejunium, quod scilicet vere sit hoc
„ nomine dignum, num. 3. Reverere je-
„ junii canitiem. In paradiso jam præ-
„ scriptum est. Illud: *Non comedetis*,
„ jejunii & abstinentiæ lex est. Si a
„ ligno jejunasset Eva, nequaquam hoc
„ nunc jejunio opus haberemus. Fuimus
„ per peccatum læsi; sanemur per pœ-
„ nitentiam: pœnitentia autem sine je-
„ junio iners est & infrugifera. *Male-
„ dicta terra, spinas & tribulos germi-
„ nabit tibi*. In tristitia vivere jussus
„ es, non indulgere delitiis. Per jeju-
„ nium satisfacito Deo. 4. Quoniam
„ non jejunavimus, exulamus e paradi-
„ so: jejunemus igitur, ut ad illum re-
„ vertamur. Ne causeris corporis infir-
„ mam valetudinem ac debilitatem.
„ Infirmis non ciborum varietatem,
„ sed inediam & abstinentiam a medi-
„ cis solere præscribi scio. Utrum ven-
„ tri facilius est, tenui victu transmit-
„ tere noctem, an copia ciborum gra-
„ vatum jacere? Corpora assidua exple-
„ tione degravata facile a morbis de-
„ merguntur: quæ vero facili levique
„ utuntur alimonia, non modo quod ex
„ morbo imminet malum, velut pro-
„ cellæ assultum effugiunt; verum etiam
„ præsentem jam ægritudinem velut tur-
„ binem quendam exorientem discutiunt.
„ —6. Quid Samsonem invictum reddi-
„ dit; an non jejunium? Hunc pepe-
„ rit jejunium; hunc enutrivit jejunium;
„ jejunio in virum adolevit, quod je-
„ junium angelus præscripserat matri.
„ Jejunium prophetas generat; roborat
„ fortes; jejunium legum latoribus sub-
„ ministrat sapientiam; bona animæ cu-
„ stodia; corpori tutus contubernalis;
„ armatura fortiter belligerantibus, a-
„ thletis exercitium. Hoc tentationes
„ depellit; hoc ungit ad pietatem; so-
„ brietatis domesticus comes; opifex ca-
„ stitatis; in bellis fortiter agit; Naza-
„ ræum sanctificat; perficit Sacerdotem.
„ Jejunium Eliam magni illius specta-
„ culi spectatorem fecit, dum meruit
„ in spelunca videre Dominum. Atque
„ ut semel omnia dicam, reperies,
„ quotquot fuerunt sancti, omnes per
„ jejunium ad vitam Deo dignam in-
„ stitutos fuisse. Num. 7. Jejunium pre-
„ cationem transmittit in cœlum, dum
„ ipsi est alarum loco. Jejunium domo-
„ rum incrementum est; sanctitatis ma-
„ ter; juventutis pædagogus, ornamen-
„ tum sensibus, bonus comes viatoribus,
„ tutus contubernalis conjugatis. Nul-
„ las maritus suspicatur conjugio strui
„ insidias, conspiciens uxori familiare
„ jejunium. Non contabescit uxor Ze-
„ lotypia, cernens maritum amplecti je-
„ junium. Num. 8. Jejunium non novit
„ fœnoris naturam: non olet ususas je-
„ junantis mensa. Num. 9. Quod præ-
„ cipuum est, ipse Dominus noster non
„ prius in carne diaboli insultus exce-
„ pit, quam eam jejunio communisset,
„ tum nos erudiens, ut nosmet jejuniis
„ ad tentationum certamina ungamus &
„ exerceamus. — An ignoras, quod pe-
„ rinde atque in acie hinc atque hinc
„ instructa, qui alteri parti fert suppe-

„ tias,

„ tias, facit ut altera vincatur? Ita qui „ carni ſeſe adjungit, expugnat ſpiritum; & qui ad ſpiritum tranſit, „ carnem in ſervitutem redigit. Proinde ſi mentem cupis reddere validam; „ fac carnem domes jejunio. Hoc enim eſt, quod ait Apoſtolus, quod „ quantum externus homo corrumpitur, „ tantum internus renovatur. Item illud: cum infirmor, tunc potens ſum. „ — Jejunium armatura eſt ad confligendum cum dœmonibus — Jejunium „ etiam in uſu conjugii modum temperantiamque docet, ac voluptatum lege conceſſarum immodicum uſum caſtigans parit concors otium, ut perſeverent in oratione.

Similia habet S. Baſilius in Orat. 2. *De jejunio* quadrageſimali, in quo per hebdomadam jejunabatur quinque diebus.

V.

S. Chryſoſtomus in c. 17. Matth. hom. 58. ad illa verba: Hoc genus dœmoniorum non ejicitur, niſi per orationem & jejunium, dicit: „ Univerſum „ dœmonum genus, non lunaticorum ſolummodo intellexit. Nec mihi, „ quæ rara ſunt dicas; quod ſcilicet „ abſque jejunio ejecti dœmones fuerint „ aliquando. Si enim unus vel alter ſic „ expulit, impoſſibile tamen eſt, ſi „ quis id patitur, & in delitiis vivit, „ ab hoc furore liberari. Hujuſmodi enim morbo laborantibus jejunio maxime opus eſt. Qui jejunat, levior „ eſt, & vigilanter orat, & cupiditatis incendia extinguit, ac animam „ ſuam humiliat, & facile Deum placat. Qui orans jejunat, binas poſſidet alas, quibus ventos ipſos prætervolando evehitur: non enim oſcitat, „ nec torpet orando, ſed igne ardentior & terra ſuperior eſt, quare terribilis hoſtis dœmonibus redditur. Nihil enim eſt homine probe orante potentius.

Ex hucuſque adductis Origenis, D. Baſilii, & D. Chryſoſtomi textibus elicitur 1. jejunium eſſe medium neceſſarium ad ſervandam caſtitatem. 2. Et ad obtinendam ſupernam ſapientiam ex Scripturis. 3. Ad extinguendum peccatum vera pœnitentia & ſatisfactione. 4. Jejunio obtineri etiam ſanitatem corporis. 5. Per jejunium obtineri ſubſidia generali Eccleſiæ neceſſaria, nempe prophetas, heroes, legislatores bonos, victorias, ſanctos Aſcetas, ſacerdotes & Religioſos perfectos &c. quæ omnia ad bonam Eccleſiæ habitudinem ſunt abſolute neceſſaria. 6. Per jejunium commendari preces Eccleſiæ Deo, ut ſint efficaces. Quid autem magis Eccleſiæ, adeoque ad fines a Deo præſtabilitos magis neceſſarium, quam efficax oratio? Cum ergo jejunium ſit neceſſarium ad bonum ſtatum Eccleſiæ, atque ad primaria illius præſidia, negari non poterit, jejunium eſſe neceſſarium ad fines præſtabilitos a Deo & ab Eccleſia. Si autem eſt neceſſarium ad fines intentos a Deo & ab Eccleſia, eoipſo debuit a Deo & ab Eccleſia poni lex jejunii ſic inſtructa & qualificata, ut efficacem præbere poſſit ſpem, a potiori & ut in pluribus obtinendi finem intentum. Hoc enim eſt providi gubernatoris aut legislatoris, ordinare media, aut Decreta, de ſe idonea ad concipiendam ſpem de aſſequendo ut in pluribus fine ſeu intento.

Dices. Ex his conſequi, quod etiam tria conſilia evangelica, oratio, meditatio, Exercitia S. Ignatii, & varia alia pietatis opera debuiſſent poni ſub præcepto, eo quod & iſta ſint neceſſaria ad perfectum ſtatum Eccleſiæ.

Reſpondeo, aliqua eſſe Eccleſiæ neceſſaria *in ſingulis generum*; alia autem eſſe tantum neceſſaria *in generibus ſingulorum*; quando enim finis Eccleſiæ ſalvatur ſufficienter in generibus ſingulorum, aut in uno determinato genere, non eſt neceſſe, ponere præceptum pro ſingulis generum. Itaque cum perfectio Eccleſiæ ſufficienter obtineatur, ſi illa tria conſilia evangelica ſerventur in cœtibus clericalibus aut monaſticis, non eſt opus præcepto generali, ſed tantum

vo-

vocatione interna divina ad ejusmodi status particulari. Econtra fines jejunii hactenus enumerati, saltem primarii, urgent in singulis generum; igitur subjici debet legi universali. Quod attinet *orationem*, ea indirecte præcepta est omnibus fidelibus per legem devote assistendi Missæ, sicque communicandi precibus Ecclesiæ. Reliqua pietatis opera, de quibus in objectione fit mentio, sunt *ad melius esse*, non *moraliter* necessaria ad fines a Deo, & ab Ecclesia præstabilitos.

CAPUT IX.

Utrum ad refectionem unicam teneantur etiam Sexagenarii?

Dico. Etiam Sexagenarii obligantur in quadragesima ad refectionem unicam.

Probatur 1. Ex tenore Brevis Apostolici, quod in casu dispensationis ad esum carnium nullum omnino excipi vult ab obligatione unius refectionis nisi solos infirmos. In secundo Brevi sic habetur: *Nos quibuscunque quacunque occasione sive multitudini indiscriminatim, sive singulis, dummodo nulla certa & periculosa affectæ valetudinis ratio intercedat, & aliter fieri necessario exigat, in quadragesima, aliisque anni temporibus, & diebus, quibus carnium, ovorum, & lacticiniorum esus est prohibitus, dispensari contigerit, ab omnibus omnino, nemine excepto, unicam refectionem servandam tenore præsentium declaramus & edicimus*. Ex his verbis duo infero. 1. Sexagenarios, cum & ipsi comprehendantur inter dispensatos ad esum carnium, eoipso etiam comprehendi inter obligatos ad unius refectionis clausulam. 2. Si Sexagenarii obligantur ad unam refectionem in casu dispensationis ad esum carnium, multo magis eos obligatos fore in casu, quo nulla intercedit dispensatio ad esum carnium.

Probatur 2. ab authoritate Patrum, qui nullos, ne quidem senes, excipiunt a lege jejunii, seu refectione unica, quæ, ut supra c. 6. ostendi, includebatur in lege jejunii.

D. Basilius Serm. 2. *de Jejunio* sic scribit: num. 2. „ Jejunium semper est „ utile, sed multo magis hoc tempo„ re, quo per universum terrarum or„ bem undique denuntiatur jejunii præ„ conium. Nec ulla est insula, nec ul„ la terra continens, non civitas, non „ gens ulla, non extremus mundi an„ gulus, ubi non audiatur jejunii edi„ ctum. Quin & exercitus, & viato„ res, & nautæ, & negotiatores, om„ nes pariter audiunt edictum, & sum„ mo gaudio excipiunt. Ne quis igi„ tur semet excludat a numero jejunan„ tium, in quo omne genus hominum, „ omnis ætas, omnes dignitatum ordi„ nes recensentur. Angeli sunt, qui in „ singulis Ecclesiis describunt ac recen„ sent jejunantium capita. Vide ne ob „ parvam eduliorum voluptatem simul „ & priveris angeli recensione, & te„ ipsum apud eum, qui exercitum col„ legit, obnoxium facias desertoris cri„ mini. Minus periculum foret, siquis „ fugiendo scutum in acie abjicere de„ prehenderetur, quam si magnum il„ lud scutum jejunium videatur proje„ cisse. Dives es? Ne jejunium affe„ ceris contumelia, excludens illud a „ mensæ tuæ consortio, ne quando te„ reum peragat apud jejunii legislato„ rem, fiatque ut condemneris ad lon„ ge majorem inediam mulctæ nomi„ ne, sive ex adversa valetudine cor„ poris, sive ex alio quopiam tristi ca„ su. Contra qui pauper est, ne ludum „ jejunium faciat, quandoquidem illud „ jam a multo tempore habet mensæ „ socium. Porro mulieribus quam est „ naturale respirare, tam est conveniens „ jejunium. Pueri velut plantæ virides „ jejunii aqua irrigentur. Senibus levem „ reddit laborem contracta jam olim „ cum jejunio familiaritas. Viatoribus „ expeditus itineris comes est jejunium. „ Et n. 5. Jejunium servat parvulos, „ sobrium reddit juvenem, venerabilem „ facit senem; venerabilis enim est ca„ nities jejunio decorata. Jejunium fœ-

„ mi-

„ minis ornatus eſt congruentiſſimus ; „ ætate ac robore vigentibus pro fœ„ no eſt ; jejunium matrimonii cuſtodia „ eſt , virginitatis nutritius . “ Ita D. „ Baſilius .

Similiter D. Leo ſolos a lege jejunii excipit infirmos . Serm. 2. De jejunio ſeptimi menſis c. 3. dicit : „ In hac „ obſervantia quamvis omnes nos una„ nimiter oporteat eſſe devotos, ſi qui „ tamen ſunt, quorum voluntati aliqua „ obſiſtit infirmitas, laborem qui ſupra „ vires eſt corporum, redimant impen„ diis facultatem .

Probatur 3. Obligatio ad refectionem unicam viguit ab initio Eccleſiæ conſtanter uſque ad ſæculum XVII. nec ex eo tempore nova circumſtantia aut ratio urgens ad abolitionem illius obligationis ; ergo etiamnum obligantur . *Antecedens* quoad primam partem probatur ex conſenſu omnium fere Doctorum , qui ad illud uſque tempus obligarunt ad legem jejunii . Certe Diana , alioquin minime rigidus, Tom. 4. tract. 6. Reſol. 6. §. 1. ſcribit : „ Dico , *fere om„ nes Doctores* aſſerere , ſexagenarios non „ excuſari a præcepto jejunii : hinc l. „ cc. teſtatur, ſe, dum amplectitur ſen„ tentiam contrariam , *cum paucis* „ *commilitonibus* adverſus plures hujus „ militiæ *fortiſſimos duces* aggredi pu„ gnam . “ Quoad ſecundum membrum *Antecedens* probatur ex eo , quia natura humana intra hos ultimos centum annos non tam notabiliter deficit, ut nunc ſexagenarii a potiori cenſeri debeant ad ſufferendum onus jejunii : nec aliud motivum novum deobligandi oſtendi poteſt .

Probatur 4. Deobligatio generalis ſexagenariorum in integra natione repugnat finibus a Deo & Eccleſia præſtabilitis . Ergo Deus & Eccleſia nunquam habent intentionem præſtandi conſenſum legalem conſuetudini contrariæ invaleſcenti ; conſequenter ea conſuetudo nunquam fit rationalis ac licita , ſed ſemper manet corruptela . *Antecedens* probatur ab inductione eorum finium , quos c. 9. oſtendi fuiſſe intentos a Deo & ab Eccleſia per legem jejunii . Generalis enim eſt regula , obligationem legis non ceſſare , niſi ceſſet finis legis ſaltem pro majore parte communitatis ; qum reſpicit . Itaque fines , qui urgent etiam in ſexagenariis pleriſque, ſunt iſti . 1. Ut purificati jejunio mente puriore appropinquent Deo . 2. Ut contracta ex præcedentibus vitiis, ſeu magnis ſeu parvis, vulnera tandem aliquando in ſenio ſanentur ; cum jejunium moderetur animum ad habitus vitiorum agnoſcendos & facilius ſanandos . 3. Ut ſatisfaciant pro peccatis toto vitæ tempore commiſſis ; cum Indulgentiæ non tollant totum reatum pœnæ niſi ſerio proponentibus ac præſtantibus ſatisfactionem congruam , ſeu viribus proportionatam, prout oſtendi in opere de Indulgentiis . 4. Ut præparentur ad digne recipiendam communionem paſchalem . 5. Ut communicent paſſionibus Chriſti , ſi volunt communicare fructui paſſionis . 6. Ut vacent ſapientiæ ſupernæ , quæ copioſius communicatur jejunis . 7. Ut hoc ſacrificio promereantur virtutem ac gratiam reſiſtendi variis periculoſis tentationibus, a quibus vita humana nec in ſenio eſt exempta longo tempore . 8. Ut, ſi fuerint in matrimonio , facilius contineant ab innumeris peccatis venialibus , quæ incurrunt , niſi utantur matrimonio prolis cauſa . 9. Ut juvent ad placandam iram divinam ſævientem in populum , & ad avertandas plagas publicas . 10. Ut concurrant ad ſtabiliendam diſciplinam Eccleſiaſticam in ſe per exercitium, in aliis per exemplum . 11. Ut ſe conforment moribus & affectionibus divinis in Chriſto , qui intendit hoc modo ſolennem caſtigationem culpæ originalis, & indurationem Chriſtianorum ad ardua legis Chriſtianæ . 12. Ut promereantur ſaltem in ſenio , ubi ſtrepitus paſſionum regulariter ſilet , uberiora Chariſmata Spiritus ſancti , neceſſaria ad bonum & decorem Eccleſiæ . Hi omnes fines ſimul ſumpti ſunt motivum urgens in mente Dei & Eccleſiæ ad continuandam in ſexagenariis obligationem jejunii , nullo notabili motivo retrahente .

Obji-

Objicies 1. Consuetudo exemit pueros & juvenes ab obligatione jejunii usque ad annum ætatis vigesimum primum completum, & quidem præeunte D. Thoma per nudam rationem philosophicam, eo quod eousque natura humana suscipiat incrementum. Ergo consuetudo poterit etiam eximere sexagenarios a lege jejunii; præsertim cum finis primarius jejunii, qui est repressio concupiscentiæ, magis urgeat in juvene, quam sene.

Respondeo. Negando paritatem. Nam ratio eximendi pueros & juvenes reperitur in omnibus; non vero in omnibus sexagenariis reperitur motivum exemptionis, nempe moralis impotentia servandi legem. Dein in juvenibus non reperitur judicium discretionis sufficiens, quo possent discernere inter casum obligantem ad legem jejunii & non obligantem. Econtra senes habent sufficiens judicium ad distinguendas circumstantias, in quibus obligantur, aut per epikiam deobligantur; certe pollent judicio, ut, si negotiorum, laboris, aut sanitatis ratio poscat saltem moderationem jejunii, quantum a rigore jejunii sit recedendum, ne totaliter infringatur. Denique cum perfectio exigatur a sene potius, quam juvene, apparet, fines jejunii a Deo & ab Ecclesia præstabilitos magis urgere in senibus quam juvenibus. Quod attinet finem reprimendæ concupiscentiæ, cum hoc motivum facile agnosci possit, dicendum erit, in tali casu aut dari obligationem jejunandi per accidens, si videlicet periculum morale incidendi in peccatum alio remedio præcaveri non possit, aut a Confessario jejunium præscribi posse per modum pœnitentiæ medicinalis. Econtra fines illi generales, qui urgent in senibus, non ita clare agnosci possunt a singulis, ut juxta eorum exigentiam jejunium existimetur necessario suscipiendum a singulis, aut necessario imponendum a Confessariis.

Objicies 2. Constat, majores aut pares variationes præcessisse in materia jejunii, quam foret illa deobligatio sexagenariorum. Ergo si illæ potuerunt ab Ecclesia approbari per consensum legalem tacitum, approbari poterit & ista.

Antecedens probatur ab inductione sic. 1. Antiquitus ante sæculum XVI. erat etiam in Germania prohibitus esus ovorum & lacticiniorum. Nunc autem ex dispensatione Pontificia est licitus. 2. Primis Ecclesiæ sæculis feria quarta & sexta per totum annum non solum erat dies abstinentiæ ab esu carnium: sed etiam dies jejunii. Nunc autem solum est dies abstinentiæ die Veneris & Sabbathi. De jejunio quartæ & sextæ feriæ S. Petrus Alexandrinus in Synodo Can. 15. dicit: *Non reprehendet nos quispiam quartam & sextam feriam observantes, in quibus nobis jejunare secundum traditionem præceptum est*. Et in Canone Apostolorum 68. *Si quis laicus quadragesimam, vel quartam diem, vel parasceven*, (id est, feriam sextam) *non jejunat, segregetur*. Ex aliis quoque Patribus constat, his diebus refectionem dilatam fuisse usque ad horam nonam, seu tertiam vespertinam. Sic Epiphanius in *Expositione Fidei num.* 22. Conventus ab Apostolis institituti sunt quarta sextaque feria & Dominica. Item sexta quartaque feria jejunium usque ad nonam indictum. 3. Antiquitus Romæ etiam in quadragesima non jejunabatur, teste D. Augustino Epist. 19. ad Hier. In toto vero Oriente non jejunabatur etiam in quadragesima die Sabbathi, prout constat ex plurimis textibus Patrum; ergo saltem unus dies detrahebatur jejunio. Hinc & Basilius 1. & 2. serm. de jejunio, & Chrysostomus tom. 5. homil. 60. tantum agnoscunt quinque dies jejunii per hebdomadam. 4. Antiquitus refectio differebatur usque ad occasum diei; nunc sumitur circa medium diei cum collatiuncula ad vesperam.

Respondeo, has variationes non posse æquiparari huic variationi magnæ, si sexagenarii eximerentur a lege jejunii; aut si possunt æquiparari divisim, non possunt æquari cum nova hac circa sexagenarios variatione simul cum prioribus conjunctim sumpta. Non enim bona

na eſt conſequentia. Poteſt diſpenſari unus dies jejunii in hebdomada; ergo poteſt diſpenſari & ſecundus, & tertius, & omnes ſimul ſumpti. Itaque etiamſi jam valde conciſa fuerit lex jejunii ſalvis finibus a Deo intentis; non ſequitur, ſimul cum prioribus illis diſpenſationibus ac variationibus addi poſſe etiam ſecundam refectionem ſaltem circa ſexagenarios; quia addendo hanc ultimam diſpenſationem aboleretur totaliter lex jejunii, nec obtinerentur ſufficienter primarii quidam fines a Deo & ab Eccleſia intenti per legem jejunii, qui tamen obtinentur præfatis variationibus non obſtantibus.

Objicies 3. Meipſum faviſſe oppoſitæ ſententiæ in opuſculo: *Conferentiæ novæ Morales.*

Reſpondeo. A me nunquam fuiſſe ſexagenarios deobligatos a lege jejunii pro illis regionibus, in quibus obligatio illa nondum fuit abrogata per conſuetudinem contrariam. De Germania erat quæſtio facti, an in ſexagenariis vigeat conſuetudo non jejunandi? Cum conſuetudo formetur a majore parte communitatis, attuli Theologos morales Germaniæ, qui favent ſexagenariis, numero longe potiores oppoſitis. Quod attinet quæſtionem juris, an ea conſuetudo haberi poſſit pro regula conſcientiæ, attuli quidem rationes varias, ob quas non ſtatim videri poſſit eſſe evidenter irrationabilis; ut proin pertineat ad diſciplinam variabilem pro diverſitate locorum & temporum, ſi accedat approbatio Superiorum legitima. Nunc ubi video, ſummum Caput Eccleſiæ non obſcure reprobare in ſuo Brevi hanc conſuetudinem, eo quod repugnet notabiliter finibus præſtabilitis a Deo & ab Eccleſia, & ipſe eam conſuetudinem tanquam corruptelam rejicio.

CAPUT X.

Qualis juxta SS. Patres obſervanda ſit regula quoad modum jejunii?

Dico. Tantum quiſque tenetur jejunare, quantum poteſt. Senſus eſt, quod extra refectionem unam juſtam quiſque teneatur abſtinere ab eſculentis, quantum vires ſpectatis ſuis laboribus, ac negotiis permittunt; hinc viciſſim cuivis liberum ac licitum eſt, extra tempus refectionis juſtæ tantundem in collatiuncula aut alias ſumere, quantum neceſſarium eſt ad conſervandas congrue vires pro ſuis laboribus, negotiis, aut functionibus. Hæc regula, quæ pro ſexagenariis æque, ac junioribus cujuſcunque conditionis ſervit, *probatur* ex ſenſu Patrum.

Probatur itaque ex *S. Hieronymo*, qui in Epiſt. ad Nepotianum hunc illi jejunii modum præſcribit: *Tantum tibi jejuniorum modum impone, quantum ferre potes:* quod documentum licet loquatur de jejuniis etiam ſpontaneis, ſimul tamen loquitur etiam de obligatoriis.

Probatur 2. *ex D. Leone Papa*, qui ſerm. 3. de jejunio ſeptimi menſis ſic ſcribit: *Amplectamur, dilectiſſimi, beatam vitam ſacratiſſimæ unitatis* (qua tota Eccleſia unanimiter jejunat) *ſoliditatem; & ſolenne jejunium concordante propoſito bonæ voluntatis ineamus. Nihil a quoquam arduum, nihil aſperum quæritur; nec aliquid, quod vires noſtras excedit, indicitur ſive in abſtinentiæ caſtigatione, ſive in eleemoſynæ largitate. Sciunt ſinguli, quid poſſint, quidve non poſſint. Ipſi modulum ſuum pendant; ipſi juſta & rationabili taxatione ſe cenſeant. — Ea vos regula generaliter cohortamur, ut mandatum Dei ſecundum poſſibilitatis veſtræ menſuram operemini.*

Idem loc. cit. ſerm. 2. cap. 3. dicit: *In hac obſervantia* (jejunii) *quamvis omnes nos unanimiter oporteat eſſe devotos; ſiqui tamen ſunt, quorum voluntati aliqua obſiſtat infirmitas, laborem,* (jejunii) *qui ſupra vires eſt corporum, redimant impendiis facultatum. — Dignum eſt, ut in alimoniam pauperum abundantior ſit eorum largitio, quorum ad abſtinendum minor eſt fortitudo. Quod ergo quis in ſua ſibi infirmitate non denegat, alienæ inopiæ libenter impendat, & propriam neceſſitatem faciat ſibi cum indigente communem. Non culpatur infir-*

firmus, a quo cibum accipit pauper esuriens.

Circa hunc & priorem textum Divi Leonis observo, quod neuter seorsim accipiendus sit sine temperamento alterius. In sermone 2. moderationem jejunii relinquit cujusvis propriæ discretioni, ac virium propriarum æstimationi. Ne autem judicium intellectus in causa propria excœcaretur ab amore proprio, in sermone 3. addit limitationem, dum vires intendi jubet juxta moralem possibilitatem.

Probatur 3. Ex D. Gregorio Magno, qui homil. 16. in Evangelia dicit: *Ipse author hominum in quadraginta diebus nullum omnino cibum sumpsit. Nos quoque, in quantum possumus, annuo quadragesimæ tempore carnem nostram per abstinentiam affligere conemur.*

Probatur 4. Ex D. Petro Chrysologo homil. 166. ubi sic habet: *Jejunium, ut est nobis traditum, servetur ad corporis & animæ disciplinam. Certe qui jejunare non potest, non inducat inducere novitatem* (generalem), *sed fateatur, esse fragilitatis propriæ, quod relaxat; & redimat eleemosynis, quod non potest supplere jejuniis.*

Hoc modo & alii SS. Patres respiciunt unice ad possibilitatem moralem jejunantis, dum loquuntur de obligatione vel moderatione circa modum jejunii.

Probatur 5. Ex generali regula Divi Barnabæ Apostoli, qui in sua Epistola num. 21. sic scribit: *Etiam atque etiam postulo a vobis, ut sitis vobismet ipsis boni legislatores, & ut perseveretis vobismet ipsis esse consiliarii fidi.* Ἔτι καὶ ἔτι ἐρωτῶ ὑμᾶς, ἑαυτῶν γίνεσθε ὁμοδέται ἀγαθοὶ. μένετε ἑαυτῶν σύμβελοι πιστοί. Itaque in iis, quæ a lege quoad modum præcepti determinata non sunt, tenetur suus esse legislator. Et cum legislatoris sit, ordinare leges ad bonum commune, id est media necessaria ad fines generales præstabilitos, sequitur, eum modum jejunii a quovis sibimetipsi imperandum esse, quem judicat necessarium ad obtinendos, ut a potiori ac ut in pluribus fines primarios jejunii supra cap. 8. recensitos. Hoc præsuppositio principio quis adeo cœcus est, ut non videat, plures modos jejunandi qui usu vigent, non esse natos aptos, spectata communi natura hominum, a potiori ac in pluribus ad obtinendos illos fines jejunii a Legislatore intentos? Hæc autem cum propria cuivis dictet conscientia, non est verosimile, transgressores excusandos ex conscientia aliena.

FINIS.

Mono. 1093.
M Bri. - 1.8.95.

239.04
Am68

42822

AMORT, EUSEBIUS

AUTHOR

Disquisitiones Dogmaticae
De Controversiis In Theologia

TITLE

Morali Insignibus.

DATE DUE | BORROWER'S NAME

STORAGE - CBPL

42822